Les Bibliothèques Virtuelles Humanistes

Extrait de la convention établie avec les établissements partenaires :

- ces établissements autorisent la numérisation des ouvrages dont ils sont dépositaires (fonds d'Etat ou autres) sous réserve du respect des conditions de conservation et de manipulation des documents anciens ou fragiles. Ils en conservent la propriété et le copyright, et les images résultant de la numérisation seront dûment référencées.
- le travail effectué par les laboratoires étant considéré comme une « oeuvre » (numérisation, traitement des images, description des ouvrages, constitution de la base de données, gestion technique et administrative du serveur), il relève aussi du droit de la propriété intellectuelle et toute utilisation ou reproduction est soumise à autorisation.
- toute utilisation commerciale restera soumise à autorisation particulière demandée par l'éditeur aux établissements détenteurs des droits (que ce soit pour un ouvrage édité sur papier ou une autre base de données).
- les bases de données sont déposées auprès des services juridiques compétents.

Copyright - © Bibliothèques Virtuelles Humanistes



SR 26 B
Am

IRASLC ,
, Rue Finkmatt

250

AMMIANI MARCELLINI RE-
rum gestarũ libri XVIII, *à decimoquarto ad trigesimum primum. nam* XIII *priores desiderantur. Quanto uero castigatior hic scriptor nunc prodeat, ex* Hieronymi Frobenij *epistola, quam hac de causa addidimus, cognosces.*

Librum trigesimumprimum qui in exemplari Frobeniano *non habetur, adiecimus ex codice* Mariangeli Accursij.

PARISIIS.

Ex *officina* Rob. *Stephani typographi Regij.*

M. D. XLIIII.

HIERONYMVS FROBENIVS PHILOLOGIS OMNIBVS S.D.

IOANNES Frobenius pater felicis memoriæ meus, quanto animi ardore totus huc incubuerit, ut autores lectu dignos uel ab interitu reuocaret, uel à mendis quibus ætas illa rudior contaminarat omnia, uindicaret, arbitror nemini studiosorũ ignotum esse: qua re factum est, ut hæredibus suis plus famæ reliquerit, quàm pecuniæ. Huius animum atque industriam, nos non solũ æquare uerum etiam superare pro nostra quidem uirili conamur. Dedit ille tum, ut licuit, Ammiani Marcellini rerum gestarum libros tredecim. Nos nacti uetustum exemplar manu descriptum innumera loca castigauimus, lacunas aliquot expleuimus scribarum incuria prætermissas, & in his uersus interdũ integros restituimus, Græca omnia quæ uel prorsus aberant, uel sic aderãt ut frustra adessent, quum uix à Sibylla quid esset scriptum diuinari posset, reposuimus. Nihil autem horum ex mani coniectura, quæ sæpe fallit, dum in suo quisque commento sibi pulcher est, sed ex fide uetusti codicis. Non fugit nos, ab utrisque peccari, tum ab ijs qui nimium fidunt manu descriptis codicibus, quasi protinus rectum sit, quicquid in illis inuenitur, tum ab his qui de suo capite mutant, adimunt, addunt quod libet. Nos quanquam inter Scyllam & Charybdim medium cursum tenere studuimus, tamen in priorem partem maluimus esse proniores. Excusatius ~~enim peccat, qui ductu~~ labitur ~~aliena, quàm~~ qui seducit alios. Sed de his esto docti lectoris iudicium. Illud mihi uideor meo iure bonáque conscientia pollicéri posse, hactenus Ammianum nunquam æditum fuisse castigatius. His adiũximus libros quatuor à ui-

L0968
3

gesimo sexto usque ad trigesimum, antehac à nemine typis excusos. Quis fuerit Ammianus nondum liquido comperi, nisi quod ipsa res loquitur, fuisse uirum utriusque linguæ peritum, undiquaque doctum: hoc grauioris in historia fidei, quòd plerisq; rebus gerẽdis interfuit. Phrasis duriuscula partim ætati in qua scripsit attribuenda est, partim nationi. Nam reor hominem Græcum genere fuisse, & aliena lingua balbutire nõnihil, idq; gemmo suspicor argumẽto: altero quòd Græcas loquẽdi formas sepenumero refert, altero, quòd lib. 22 exponens unde dicãtur Pyramides, uideliet quòd habeãt speciẽ ignis, addit τοῦ πυρὸς quemadmodum nos dicimus. Alicubi dicit nullum pro nihil, ut Flaccus: Præter laudem nullius auaris. Et sub obtentu pacis nefandum peragitur. Nefandũ Græce dixit pro re nefaria. Id non sentiens corrector, addidit utium. Depravationis magna pars hinc fluxisse uidetur, quòd hæc tum uel discipulis, uel notarijs dictabantur, qua graui molestia nunc omnes subleuauit typographorũ industria. Vox autem dictantis ad excipientiũ aures præsertim ut ferè sunt, imperitorum, non eadẽ peruenit. Velut lib. 22 de Nili cataractis loquens, Vnde, inquit, captos olim accolas usu aurium fragore assiduo, necessitas uertere solum, atque ditiora cogit. Probabile autem est dictantem pronuntiasse, ad quietiora cogit. Et hinc lacunæ quoque frequentes, dum excipientem aut uox aliqua fugit, aut notarij manus linguam dictantis non assequitur. Sed immedicabilius est, quod induxit sciolorum incõsulta temeritas, delentiũ quod nõ intelligunt, substituentiũ quicquid collibuit, & hoc fuco se ἐργοδιώκτους suis cõmendantium si quáplurima uideãtur innouata. In hac prouincia strenuã ac fidelẽ operam nobis nauauit uir utriusq; literaturæ nõ uulgariter callẽs

emunctæque naris, Sigismundus Gelenius. Exemplar manu descriptum gratis & alacriter suppeditauit egregius primœps Abbas Hirsfeldèn. Superest, ut quod amico damus studio, gratis animus accipiatis. Sic enim nobis addetis calcar, ut alacrius ad alia maiora perquirenda accingamur. Ex ædibus nostris Basileæ Calen. Iulij. Anno salutis M. D. XXXIII.

AMMIANI MARCELLINI RERVM GESTARVM LIB. XIIII.

POST emensos insuperabilis expeditionis euentus, languentibus partiũ animis, quas periculorũ uarietas fregerat & laborum, nondum tubarum cessante clangore, uel militare locato per stationum hyberna, fortunæ sæuientis procellæ tempestates alias rebus infundere conãtur, per multa illa & dira facinora Cæsaris Galli, qui ex squalore nimio miseriarum, ætatis adultæ primitijs, ad principale culmen insperato cultu prouectus, ultra terminos potestatis delatæ procurrens, asperitate nimia cuncta fœdabat. Propinquitate enim regiæ stirpis gentilitatéque etiamnum Constantini nomunis efferebatur in fastus, si plus ualuisset, ausurus hostilia in autorem suæ felicitatis, ut uidebatur: cuius acerbitati uxor graue accesserat incentiuum, germanitate Augusti turgida supra modum, quam Annibaliano regi fratris filio antehac Constantinus iunxerat pater: Megæra quædam mortalis, inflammatrix sæuientis assidue, humani cruoris auida, nihil mitius quàm maritus: qui paulatim eruditiores facti processu temporis ad nocendum, per clandestinos uersutosque rumigerulos, cõpertis leuiter addere quædam male suetos, falsa & placentia sibi dicentes, affectati regni, uel artiũ nefandarum calumnias insontibus affingebant. Eminuit autẽ inter humilia, supergressa iam potẽtia fines mediocriũ delictorum, nefanda Clematij cuiusdam Alexandrini nobilis mors repentina: cuius socrus commiscri sibi generum flagrans, eius amore non impetrato, ut ferebatur, per palatij pseudothyrũ introducta, oblato pretioso reginæ monili, id

adsequuta est, ut ad Honoratum tum comitem Oriētis formula missa, letali odio, scelere nullo contactus idem Clematius, nec hisere nec loqui permissus occideretur. Post hoc impie perpetratum quod in alijs quoque iam timebatur, tanquam licētia crudelitati indulta, per suspicionum nebulas æstimati quidam noxij dānabantur: quorum pars necati, alij puniti bonorū multatione, actiq; laribus suis extorres, nullo sibi relicto præter querelas & lachrymas, stipe collatitia uictitabant: & ciuili iustoque imperio ad uoluntatem conuerso cruentam, claudebantur opulentæ domus & claræ. Nec uox accusatoris ulla, licet subditi, & in his malorū quærebatur acerbis, ut saltem specie tenuis crimina præscriptis legum cōmitterentur, quod aliquoties fecere principes sæui: sed quicquid Cæsaris implacabilitati sedisset, id uelut fas iusque perpensum cōfestim urgebatur impleri. Excogitatum est super his, ut homines quidam ignoti, utilitate ipsa parum cauendi, ad colligendos rumores per Antiochiæ latera cuncta destinarentur, relaturi quæ audirent. hi peragranter & dissimulanter honoratorū circulis assistendo, peruadendóque diuites domos egentium habitu, si quidquam nosere poterant uel audire, latenter intromissi per posticas in regiam nuntiabant: id obseruantes conspiratione cōcordi, ut fingerent quædam, & cognita duplicarent in peius: laudes uero supprimerent Cæsaris, quas multis compluribus formido malorum impendentium exprimebat. Et interdum acciderat, ut siquid in penetrali secreto, nullo citeriore eius uitæ ministro præsente, paterfamilias uxori ~~susurraret in aurē~~, ~~uelut~~ Amphiarao referente, ~~aut~~ Martio ~~quōdam~~ natibus inclitis, postridie disceret imperator. Ideóque etiā parietes arcanorū soli conscij timebantur. Adolescebat autē obstinatum propo-

situm erga hæc & similia multa, seruandi stimulos admo uente regina, quæ abrupta mariti fortuna, stridebat in exitiũ præceps: cui eum potius lenitate fœminea ad ueritatis humanitatisq; uiã reducere utilia suadendo deberet, ut in Gordianorum actibus fa.litasse. Maximini truculẽti illius imperatoris retulimus coniugem. Nouo deniq; perniciosóque exẽplo idẽ Gallus ausus est inire flagitiũ graue, quod Romæ cum ultimo dedecore tentasse aliquãdo dicitur Gallienus. Et adhibitis paucis clàm ferro succinctis, uesperi per tabernas palabatur & computa, quæritãdo Græco sermone, cuius erat impendio gnarus, quid de Cæsare sentirent: & hæc confidenter agebat in urbe, ubi pernoctantium luminum claritudo dierum solet imitari fulgorem. Postremo agnitus sæpe, iámque si prodisset, conspicuum fore se contẽplans, non nisi lucè palàm egrediẽs ad agenda quæ putabat seria cernebatur. Et hæc quidẽ medullitus multis gementibus agebãtur. Thalassius uero ea tempestate præfectus prætorio, præsens quoque ipse arrogantis ingenij, considerans incitationem eius ad multorum augeri discrimina, non maturitate uel cõsilijs mitigabat, ut aliquoties ælsæ potestates iras principum molliuerunt: sed aduersando iurgandóque cum parũ congrueret, ad rabiem eumbrabat Augustum, actus eius exaggerando creberrime docẽs, ídque, incertũ qua mente, ne lateret affectans. quibus mox Cæsar acrius efferatus, uelut cõtumaciæ quoddã uexillum altius erigẽs, sine respectu salutis alienæ uel suæ, ad uerrẽda supposita instar rabidi fluminis irreuocabili impetu ferebatur. Nec sanè hæc pernicies sola Oriẽtem diuersis cladibus affligebat. Nãq; & Isauri, quibus usitatũ est sæpe pacari, sæpéq; inopinis excursibus cũcta miscere, ex latrocinijs occultis & raris, alẽte impunitate adolescentẽ in peius

audaciam, ad bella grauia proruperunt: diu quidem perduelles spiritus irrequietis motibus erigentes, attamen indignitate perciti uehemēti ut iactabant: quod eorū quidam capti consortes apud Leonium Pisidiæ oppidū in amphitheatrali spectaculo feris prædatricibus obiecti sunt, præter morē. Atque ut Tullius ait, ut etiam feræ monitæ plerunque ad eum locū ~~ubi aliquando pastæ~~ sunt reuertūtur: ita omnes instar turbinis digressi montibus impeditis & arduis, loca petiuere mari confinia. per quæ in latebrosis sese conuallibus occultātes, cū appeteret nox, luna etiā tum cornuta, ideóque nōdum solido splendore fulgente, nauticos obseruabāt. quos cum in somnum sentirent effusos, per ancoralia quadrupedo gradu repentes, seséque suspēsis passibus iniectantes in scaphas, eisdem nihil opinātibus adsistebant: & incitante auiditate sæuitiam, ne cadentium quidem ulli parcendo obtruncatis omnibus, merces opimas uelut uiles nullis repugnātibus auertebant: hæcq; non diu perpetrata. Cognitis enim uiatorū cæsorū funeribus, nemo deinde ad has stationes appulit nauem: sed ut Scironis prærupta letalia declinātes, littoribus Cyprijs contigui naugabant, qua Isauriæ scopulis sunt cōtrouersa. Procedente igitur mox tempore cum aduectitiū nihil inueniretur, relicta ora maritima in Lycaoniam adnexam Isauriæ se contulerunt: ibique densis inter obsidentiū itinera prætenturis, prouincialium & uiatorū opibus pascebantur. Excitauit hic ardor milites per municipia plurima, quæ ijsdē conterminant, dispositos, & castella: & quisque serpentes latius pro uiribus repellere molienes, nunc globis consertos, aliquoties & dispersos, multitudine superabatur ingenti: quæ nata & educata inter editos recuruósq; ambitus montiū, eos ut loca plana persultat & mollia, missilibus obuios

eminus lacessens, & ululatu truci perterrens. Coactique aliquoties nostri pedites ad eos persequendos scandere cliuos sublimes, etiamsi lapsantibus plantis frutecta prensando uel dumos ad uertices uenerint summos, inter arcta tamen & inuia nullas acies explicare permissi, nec firmare nisu ualido gressus, hoste discursatore rupium abscisa uoluēte superne, periculose per prona discedunt: aut ex necessitate ultima fortiter dimicantes, ruinis ponderum immanium consternuntur. Quamobrem circunspecta cautela obseruatum est deinceps, & cum edita montium petere cœperint grassatores, loci iniquitate milites cedunt. Vbi autem in planicie potuerint reperiri, quod contingit assidue, nec exertare lacertos, nec crispare permissi tela, quæ uehunt bina uel terna, pecudū ritu inertium trucidantur. Metuentes igitur ijdem latrones Lycaoniam magna parte campestrem, cum se impares nostris fore congressione stataria documentis frequentibus scarent, tramitibus deuijs petiuere Pamphiliam, diu quidem intactam, sed timore populationum & cædiū militē per omnia diffuso propinqua, magnis undique præsidijs communitam. Raptim igitur properantes, ut motus sui rumorem celeritate nimia præuenirent, uigore corporum ac leuitate confisi, per flexuosas semitas, ad summitates collium tardius euadebāt. Et cum superatis difficultatibus arduis, ad supercilia uenissent fluuij Melanis alti & uerticosi, qui pro muro tuetur accolas circunfusos, urgente nocte adulta temporéque quieuere paulisper lucem operientes. Arbitrabantur enim nullo impediēte transgressi mopino accursu apposita quæque uastare: sed incassum labores pertulere grauissimos. Nam sole orto, magnitudine angusti gurgitis & profundi, à trāsitu arcebantur: & dum piscatorios quærunt lenun-

culos, uel innare temere contextis ratibus parant, effusæ legiones, quæ hyemabāt tunc apud Sedenistem, impetu occurrere ueloci: & signis prope ripam locatis ad manus cōminus conserendas, densas scutorum compages sciētissime præstruebant: ausos quoque aliquos fiducia nandi, uel cauatis arborum truncis amnem permeare latenter, facillime trucidarunt. Vnde tentatis ad discrimen ultimum artibus multum, cum nihil impetraretur, pauore uique repellente extrusi, & quò tenderent ambigentes, uenere prope oppidum Laranda: ubi uictu recreati & quietæ, postquam abierat timor, uicos opulentos adorti, equestrium adiumento cohortium, quæ casu propinquabant, neq; resistere planitie porrecta conati digressi sunt: retróque concedentes, omne iuuentutis robur relictum in sedibus acciuerunt. Et quoniam media graui adflictabantur, locum petiuere Paleas nomine, uergentem in mare, ualido muro firmatum: ubi conduntur nunc usque commeatus, distribui militibus omne latus Isauriæ defendentibus assueti. Circunstetere igitur hoc munimentum per triduum, & trinoctium: & cum neque acliuitas ipsa sine discrimine possit adiri letali, nec cuniculis quicquam geri possit, nec procedebat ullū obsidionale commentum, mœsti excedunt, postremo ira subeuntē maiora uiribus aggressuri. Proinde concepta rabie sæuiore, quam desperatio incendebat & fames, amplificatis uiribus ardore, incohibili in excidiū urbium matris insolentia efferebantur, quā omnes tuebatur Castritius, trēsque legiones bellicis sudoribus induratæ. Horum aduentum prædocti speculationibus fidis rectores militum, tessera data solenni, armatos omnes celeri eduxere procursū: & agliter præterito Calicadni fluminis pontē, cuius undarum magnitudo Meroem alluit, turres in speciem loca-

uere pugnandi. Neq; tamen exiluit quisquã, nec permissus est congredi. Formidabatur enim flagrãs uesania manus, & superior numero, & ruitura sine respectu salutis in ferrũ. Viso itaq; exercitu procul, auditóque latronũ cantu, represso gradu parũper stetere prædones: extantésq; minantes gladios postea lentius mœdebant: quibus occurrere bene pertinax miles explicatis ordinibus parãs, hastisq; feriẽs scuta, qui habitus irã pugnantiũ concitat & dolorẽ, proximo iam gestu terrebat. Sed eũ in certamen alacriter consurgentẽ reuocauere ductores, rati intempestiuum anceps subire certamen, cũ haud longe muri distarent, quorum tutela securi, poterant in solido loci cuncta conlocare. Hac icti persuasione reducti intra mœnia bellatores, obseratis undiq; portarũ aditibus, propugnaculis insistebant & pinnis, cõgesta undique saxa telaque habentes in prõptu, ut si quis sese proripuisset ulterius, multitudine missiliũ sternerentur & lapidum. Illud tamen clausos uehementer angebat, quòd captis nauigijs, quæ frumenta uehebant per flumen, Isauri quidem alimentorũ copijs adfluebant: ipsi uero solitarũ rerum cibos iam consumendo, mediæ propinquantis cerũnas exitialeis horrebant. Hæc ubi latius fama uulgasset, missæque relationes assiduæ Gallum Cæsarem permouissent, quoniã magister equitum lõgius ea tempestate distinebatur, iussus comes Oriẽtis Nebridius, conuractis undique militaribus copijs ad eximendã periculo ciuitatem amplam & opportunam studio properabat ingenti. quo cognito abscessere latrones, nulla re amplius memorabili gesta, dispersíque, ut solent, auia montium petiere celsorum. Eò adducta re per Isauriam, rege Persarũ bellis finitimis implicato, repellẽtéque à cõlimitijs suis ferocissimas gentes, quæ mente quadã uersabili hostiliter eũ sæpe incessunt, & in

nos arma mouentē aliquoties iuuant, Nohodares quidā no mune è numero optimatum, incursare Mesopotamiam quoties copia dederit ordinatus, explorabat nostra solicite, si reperisset usquā locum ui subita perrupturus. Et quia Mesopotamiæ tractus omnes crebro inquietari sueti, prætenturis & stationibus seruabantur agrarijs, læuorsum flexo itinere Osdruenæ subsederat, æstimans partes, nouum parúmque aliquando tentatum commentum adgressus: quod si impetrasset, fulminis instar cuncta uastaret. Erat autē quod agitabat huiusmodi: Batne municipium in Athemusia conditum Macedonum manu priscorum, ab Euphrate flumine breui spatio disparatur, refertum mercatoribus opulentis: ubi annua solennitate prope Septembris initium ad nundinas magna promiscuæ fortunæ conuenit multitudo ad commerciandā quæ Indi mittunt, & alia plurima uehi terra maríque consueta. Hanc regionem præstitutis celebritati diebus inuadere parans dux antè dictus, per solitudines Aboréque amnis herbidas ripas, suorum indicio proditus, qui admissi flagitij metu exagitati ad præsidia discurrere Romana, absque ullo egressus effectu, deinde tabescebat immobilis. Saraceni tamen nec amici nobis unquam, nec habendi, ultro citróque discursantes, quicquid inueniri poterat, momento temporis parui uastabant, milnorum rapaci uitæ similes: qui si prædam dispexerint celsius uolatu rapiunt celeri, aut si impetrarint, non immorantur. Super quorum moribus licet in actibus principis Marci, & postea aliquoties meminerim retulisse, tamen nunc quoque pauca de ijsdem expediam carptim. Apud has gentes, quarum exordiens initium ab Assyrijs ad Nili cataractas porrigitur & confinia Blemyiarum, omnes pari sortē sunt bellatores, seminudi, coloratis sagulis pube tenus

amicti, equorum adiumento pernicium, graciliúmque camelorum per diuersa reptantes in tranquillis uel turbidis rebus: nec eorum quisquam aliquando stuam apprehendit, uel arborẽ colit, aut arua subigendo quærità uictum, sed errant semper per spatia longe latéque distenta, sine lare, sine sedibus fixis aut legibus perferunt diutius cœlum. haud tractus unius soli illis unquam placet. uita est illis semper in fuga, uxoréque mercenariæ conductæ ad tempus expacto: atque ut sit species matrimonij, dotis nomine futura coniunx hastam & tabernaculum offert marito, post statum diẽ si id elegerit discessura: & incredibile est, quo ardore apud eos in Venerem uterque soluitur sexus. Ita autem quoad uixerint, late palantur, ut alibi mulier nubat, in loco pariat alio, liberóque procul deducat, nulla copia quiescendi permissa. Victus uniuersis caro ferina est, lactisque abundans copia, qua sustentantur, & herbæ multiplices, & siquæ alites capi per aucupium possint, & plerosque nos uidimus frumenti usum & uini penitus ignorantes. Hactenus de natione perniciosa, nunc ad textum propositum reuertamur. Dũ hæc in Oriẽte aguntur, Arelate hyemem agens Constantius, post theatrales ludos atque Circenses ambitioso editos apparatu, ad diem sextum idus Octobris, qui imperij eius annum triesimum terminabat, insolentia pondera grauius librans, siquid dubiũ deferebatur aut falsum pro liquido accipiens & comperto, inter alia excarnificatum Gerontium Magontianæ comitem partis, exulari mœrore multauit. Vtque ægrũ corpus quassari etiam leuibus solet offensis, ita animus eius angustus & tener, quicquid increpuisset, ad salutis suæ dispẽdium existimans factum, aut cogitatum, insontium cædibus fecit uictoriã luctuosam. Siquis enim militarium

uel honoratorum, aut nobilis inter suos, rumore tenus esset insimulatus fouisse partes hostiles, iniecto onere catenarum, in modum beluæ trahebatur: & inimico urgente, uel nullo quasi sufficiente hoc solo quod nominatus esset, aut delatus, aut postulatus, capite uel multatione bonorum, aut insulari solitudine damnabatur. Accendebant eius asperitatem iactata uulgo crimina, quibus imminui amplitudo imperij dicebatur: *& iracundiæ suspicionem proximorum cruentæ blanditiæ, exaggerantium incidentia, & dolere impendio simulantium, si principis perditur uita, à cuius salute uelut filo pendere statum orbis terrarum fictis uocibus exclamabant.* Ideóque fertur neminem aliquando ob hæc uel similia pœnæ addictum, oblato de more elogio reuocari iussisse, quod inexorabiles quoque principes facilitarunt: *& exitiale hoc uitium quod in alijs nõnunquam intepescit, in illo ætatis progressu efferuescebat, obstinatum eius propositum accendente adulatorum cohortę. inter quos* Paulus eminebat notarius ortus in Hispania, glabro quidem sub uultu latens, odorandi uias periculorum occultas perquam sagax. Is in Britanniam missus ut militares quosdam perduceret ausos conspirasse Magnentio, cum reniti non possent, his licentius supergressus flumi nis modo fortunis complurimum sese repentinus infudit. *& ferebatur per strages multiplices ac ruinas, uinculis membra ingenuorum adfligens, & quosdam obterens manicis, crimina scilicet multa consarcinando à ueritate longe discreta. unde admissum est facinus impium, quod* Constantij *temporibus notam inusserat sempiternam.* Martinus *regens illas prouincias pro præfecto, ærumnas innocentium grauiter gemens, sæpe obsecrans, ut ab omni culpa immunibus parceretur, cum non impetraret, minaba-*

tur se discessurum: ut saltem id metuens perquisitor maleuolus, tandem desineret quieti traditos homines in aperta pericula proiectare. Per hoc minui studium suum existimans Paulus, ut erat in complicandis negotijs artifex dirus, unde & Catena inditum est cognomentum, uicarium ipsum eos quibus parserat adhuc defensantem, ad sortem periculorum communium traxit. Et instabat ut eum quoque cum tribunis & alijs pluribus ad comitatum imperatoris unctum perduceret: quo percitus ille exitio urgente, abrepto ferro eundem adoritur Paulum. Et quia languente dextera letaliter ferire non potuit, iam districtum mucronem in proprium latus impegit: hocque deformi genere mortis excessit è uita iustissimus, re mora ausus miserabiles casus leuare multorum. Quibus ita scelestè patratis, Paulus cruore perfusus, reuersus est ad principis castra, multos coopertos pondere catenæ adducens, in squalorem deiectos atque mœstitiã: quorum aduentu intendebãtur eculei, uncósque parabat carnifex & tormenta. & ex ijs proscripti sunt plures, actique in exiliũ alij: nonnullos gladij consumpsere pœnales. Nec enim quisquã facile meminit sub Constantio, ubi susurro tenus hæc mouebantur, quenquam absolutum. Inter hæc Orphitus præfecti potestate regebat Vrbem, ultra modũ delatæ dignitatis sese efferens insolenter: uir quidẽ prudens & forensium negotiorum oppido gnarus, sed splendore liberalium doctrinarũ minus quàm nobilẽ decuerat institutus, quo administrante seditiones sunt cõcitatæ graues ob inopiã uini. hui' auidis usibus uulgus intentum ad motus asperos excitatur & crebros. Et quoniã mirari posse quosdam peregrinos existimo, hæc lecturos forsitan si contigerit: quãobrem cũ oratio ad ea monstrãda deflexerit, quæ Romæ gerũtur, nihil præter

seditiones narratur, & tabernas & uilitates harum similes alias: summatim causas præstringam, nusquam à ueritate sponte propria digressurus. Tempore quo primis au *spicijs in mũdanum fulgorem surgeret ut uictura dum erunt homines* Roma, *ut augeretur sublimibus incrementis fœdere pacis æternæ, uirtus conuenit atque fortuna plerũque dissidentes: quarum si altera defuisset, ad perfectam non uenerat summitatem. eius populus ab incunabulis primis adusque pueritiæ tempus extremum, quod annis circuncluditur ferè trecentis, circummurana pertulit bella: deinde ætatem ingressus adultam, post multiplices bellorũ ærumnas, Alpes transcendit & fretum: in iuuenem erectus & uirum ex omni plaga, quam orbis ambit immensus, reportauit laureæ triumphos. Idémque uergens in senium, & nomine solo aliquoties uincens, ad trãquilliora uitæ discessit. Ideo* Vrbs *uenerabilis post superbas efferatarum gentium ceruices oppressas, latásque leges, fundamenta libertatis & retinacula sempiterna, uelut frugi parens, & prudens & diues,* Cæsaribus *tanquam liberis suis regenda patrimonij iura permisit. & olim licet otiosæ sint tribus, pacatéque centuriæ, & nulla suffragiorum certamina, sed* Pompiliani *redierit securitas temporis: per omnes tamen quotquot sunt partes terrarum ut domina suspicitur & regina, & ubique patrum reuerenda cum autoritate canicies, populique* Romani *nomen circunspectum & uerendum. Sed læditur hic cœtuum magnificus splendor leuitate paucorũ incondita, ubi nati sint non reputantium, sed tanquam indulta licentia ad errores, lapsorum ad lasciuiam. ut enim Simonides lyricus docet, beate perfecta ratione uicturo ante alia patriã esse conuenit gloriosam. Ex his quidam æternitati se commẽdari posse per*

statuas æstimantes, eas ardēter adfectant, quasi plus præmij ex figmentis æreis sensibus carentibus adepturi, quàm ex conscientia honestè rectéque factorum: eásque auro curant imbracteari, quod Acilio Glabrioni delatum est primo, cum consilijs armísque regem superasset Antiochum. Quàm autem sit pulchrū exigua hæc spernentem & minima, ad ascensus ueræ gloriæ tendere, longos & arduos ut memorat uates Ascræus, Censorius Cato monstrauit. Qui interrogatus quamobrem inter multos nobiles statuā non haberet, Malo, inquit, ambigere bonos, quamobrem id non meruerim, quàm, quod est grauius, cur impetrauerim mussitare. Alij summum decusm carrucis solito altioribus, & ambitioso uestium cultu ponunt: sudant sub ponderibus lacernarum, quas in colli exerta singulis ipsis adnectant, nimia subtegminum tenuitate perua, filis extantes crebris à locis omnibus, maximéque sinistra: ut longiores fimbriæ tunicæque perspicua luceant uarietate liciorum, effigiatæ in species animaliū multiformes. Alij nullo quærente, uultus seueritate adsimulata, patrimonia sua in immensum extollunt, cultorum (ut putant) feracium, multiplicantes annuos fructus, quæ à primo ad ultimum solem se abunde iactitant possidere: ignorantes profectò maiores suos, per quos ista magnitudo Romana porrigitur, non diuitijs eluxisse: sed per bella sæuissima, nec opibus, nec uictu, nec indumentorū uilitate à gregarijs militibus discrepantes, oppositā cuncta superasse uirtute. Hinc ex collatitia stipe Valerius humatur ille Publicola, & subsidijs amicorum mariti inops cum liberis uxor alitur Reguli, & dotantur ex ærario filiæ Scipionis, cum nobilitas florem adultæ uirginis, diuturnam absentiam pauperis erubescēret patris. At nunc si ad aliquem bene nummatum tumentémque loculis

honestus aduena salutatum introiueris, primitus tanquam exoptatus susciperis, & interrogatus multa, coactúsque mẽtiri, miraris nunquam antea uisus, summatem uirum tenuem te sic enixius obseruantem: ut pœniteat hæc bona tanquam præcipua non uidisse ante decennium. Romanáque affabilitate confisus, cum eadem postridie feceris ut incognitus hæres & repentinus, hortatore illo hesterno numerando, qui sis uel unde uenias diutius ambigente. Agnitus uero tandem & adscitus in amicitiam, si te salutandi assiduitate dederis triennio indiscretus, & per totidem defueris, reueteris ad paria perferẽda: nec ubi esses interrogatus, & num è medio discesseris, ætatẽ omnem frustra in stipite conteres summittendo. Cum autem interualata temporibus conuiuia longa & noxia cœperint apparari, uel distributio solennium sportularum, anxia deliberatione tractatur, an exceptis his quibus uicissitudo debetur, peregrinum inuitari conueniet: & si digesto plene consilio id placuerit fieri, is adhibetur qui pro domibus excubat aurigarum, aut artem tesseriariam profitetur, aut secretiora quædam se nosere confingit. Homunes enim eruditos & sobrios ut infaustos & inutiles uitant quoque: accedente quòd & nomenclatores assueti hæc & alia uẽditare mercede accepta, cœnis quosdam & prandijs inserunt subditiitios ignobiles & obscuros. Mensarũ enim uoragines, & uarias uoluptatum illecebras, ne longius progrediar, prætermitto: illuc transiturus quòd quidam per ampla spatia urbis, subuersásque silices, sine periculi metu properanter equos uelut publicos signatis, quod dicitur, calceis agitant, familiariũ agmina tanquam prædatorios globos post terga trahentes, ne Sannione quidẽ, ut ait Comicus, domi relicto. quo comitatu matronæ complures opertis

capitibus & basternis per latera ciuitatis cuncta discurrunt: útque prælíorum periti rectores primo cateruas densas opponunt & fortes, deinde leues armaturas, post iaculatores, ultimásque subsidiales acies, si sors adegerit, inuasuras: ita præpositis urbanæ familiæ suspensæ digerentibus solicitæ, quos insignes faciunt uirgæ dextris aptatæ, uelut tessera data castrensi iuxta uehiculi frontem omne textrinum incedit: huic atratum cœquinæ adiũgitur ministeriũ, deinde totum promiscue seruitiũ, cum otiosis plebeis de uicinitate coniũctis. postrema multitudo spadonum à senibus in pueros desinẽs, coloris obluridi, distortáq; liniamentorũ compage deformis: ut quaquà incesserit quisquam cernens mutilorũ hominum agmina, detestetur memoriam Semiramidis reginæ illius ueteris, quæ ~~teneros mares~~ castrauit omnium ~~primaq; uelut~~ uim iniectans naturæ, eandémque ab instituto cursu retorquens, quæ inter ipsa oriundi crepundia per primigenios seminis fontes tacita quodammodo lege uias propagãdæ posteritatis ostendit. Quod cum ita sit, paucæ domus studiorũ serijs cultibus anteà cælebratæ, nunc ludibrijs ignauiæ torrentes exundant, perflabili sono uocali tinnitu fidium resultantes. denique pro philosopho cantor, & in locum oratoris doctor artium ludicrarum accitur, & bibliothecis sepulchrorum ritu in perpetuũ clausis organa fabricãtur hydraulica, & lyræ ad speciem carpentorum ingentes, tibiáeque & histrionici gestus instrumenta non leuia. Postremo ad id indignitatis est uentum, ut cum peregrini ob formidatam haud ita dudum alimentorum inopiã pellerentur ab urbe præcipites, sectatoribus disciplinarum liberaliũ impendio paucis sine respiratione ulla extrusis, tenerentur mimarum assectæ ueri, quíq; id simularũt ad tẽpus: & tria millia saltatricũ ne inserpellata

quidem cum choris totidémque remanerent magistris. Et licet quocunq; oculos flexeris, fœminas affatim multas spectare cirratas, quibus si nupsissent per ætatem ter iam nixus poterat suppetere liberorum, adusque tædium pedibus pauimenta tergentes iactari uolubilibus gyris, dũ exprimunt mnumera simulacra quæ finxere fabulæ theatrales. Illud autem non dubitatur, quòd cum esset aliquando uirtutum omniũ domicilium Roma, ingenuos aduenas plerique nobiliũ, ut Homerici bacarum suauitate Lotophagi, humanitatis multiformibus officijs retentabant. Nunc uero inanes flatus quorundã, uile esse quicquid extra urbis pomœriũ nascitur æstimant, præter orbos & cœlibes: nec credi potest, qua obsequiorum diuersitate coluntur homines sine liberis Romæ. Et quoniã apud eos ut in capite mũdi morborum acerbitates celsius dominantur, ad quos uel sedandos omnis professio medendi torpescit: excogitatũ est adminiculum sospitale, nequis amicum perferentem similia uideat. additúmque est cautionibus paucis, remedium aliud satis ualidum: famulos percontatum missos, quemadmodũ ualeant noti hac ægritudine cõligati, non antè recipiant domum quàm lauacro purgauerint corpus. Ita etiã alienis oculis usa metuitur labes. Sed tamen hæc cum ita tutius obseruentur, quidam uigore artuũ iminuto rogati ad nuptias, ubi aurum dexteris manibus cauatis offertur, impigre uel usque Spoletiũ pergunt. Hæc nobilium instituta. Ex turba uero imæ sortis & paupertinæ in tabernis aliqui pernoctant unarijs: nonnullis uelabris umbraculorũ theatralium latent, quæ Cãpanam imitatus lasciuiam Catulus, in ædilitate sua suspendit omniũ primus: aut pugnaciter aleis certant, turpi sono fragosis naribus introrsum reducto spiritu concrepantes: aut quod est studiorum

omnium maximum, ab ortu ad uesperam sole fatiscunt uel pluuijs, præmia aurigarũ equorúmque, uel præcipuas delicias scrutantes. Et est admodum murũ uidere plebem innumeram mentibus ardore quodam infuso, cum dimicationum curulium euentu pendentem. hæc similáque memorabile nihil uel serium agi Romæ permitunt. ergo redeũdum ad textum. Latius iam dissimulata licentia onerosus bonis omnibus Cæsar nullum post hæc adhibẽs modum, Oriẽtis latera cuncta uexabat, nec honoratis parcens, nec urbium primatibus, nec plebeis. Denique Antiochiæ ordinis uerendi duces sub uno elogio iussit occidi, ideo efferatus quòd ei celebrari ulitatem intempestiuam urgenti, cum impenderet inopia grauius rationabili responderũt. & perisset ad unum, ni comes Orientis tunc Honoratus fixa cõstantia restitisset. Erat autem diritatis eius hoc quoque indicium, nec obscurũ, nec latens, quòd ludicris cruentis delectabatur, & in circo sex uel septẽ aliquotiens uetitis certaminibus pugilum uicissim se concidẽtium, perfusorúmque sanguine specie ut lucratus ingentia lætabatur. Accendebat super his incitatum propositum ad nocendũ aliqua mulier uilis, quæ ad palatiũ ut poposcerat intromissa, insidias ei latenter obtendi prodiderat ab militibus obscurissimis: quam Constantina exultans, ut in tuto iam locata mariti salute, muneratam, uehiculóque impositam, per regiæ ianuas emisit in publicum, ut ijs illecebris alios quoque ad indicanda prolicerent paria uel maiora. Post hæc Gallus Hierapolim profecturus, ut expeditioni specie tenus adesset, Antiochiensi plebi simpliciter obsecranti, ut imediæ dispelleret metum, quæ per multas difficilésque causas affore iam sperabatur, non ut mos est principibus quorum diffusa potestas localibus subinde medetur ærumnis,

disponi quicquam statuit uel ex prouincijs alimenta trãsferri conterminis: sed consularem Syriæ Theophilum propè adstantem, ultima metuenti multitudini dedit, assidue replicando, quod inuito rectore nullus egere poterit uictu. Auxerunt hæc uulgi sordidioris audaciam. Et cum ingrauesceret penuria commeatuum fames & furor, impulsu Eubuli cuiusdam inter suos clari, domum ambitiosam ignibus subditis inflammauit: rectorémque ut sibi iudicio imperiali addictum calcibus incessens, & pugnis conculcans, semineæm laniatu miserando discerpsit. Post cuius lachrymosum interitum ~~in unius exitio quisque~~ imaginem periculi sui considerans, ~~documento recenti similia~~ formidabat. Eodem tempore Serenianus ex Duce, cuius ignauia populatam in Phœniæ Cœlen antè retulimus, pulsatæ maiestatis imperij reus iure postulatus à lege, mœrtum qua potuit suffragatione absolui: apertè cõuictus familarẽ suum cum pileo, ~~quo caput~~ operiebat, incantato uetitis artibus, ad templum misisse fatidicum: quæritatum expresse an ei firmum portenderetur imperium, ut cupiebat. & iunctum dupléxque ijsdem diebus acciderat malum, quòd & Theophilum insontem atrox interæpit casus, & Serenianus dignus execratione cunctorum, innoxius modo non reclamante publico uigore discessit. Hæc ~~subinde Cõstantius~~ audiens, & quædam referente Thalassio doctus, quem mouisse iam compererat, lege communi scribens ad Cæsarem blandius adiumenta paulatim illi subtraxit, solicitari se simulans, ne quod militare otiũ ferè tumultuosum in eius perniciẽ conspiraret, solísque scholis iussit esse contentum Palatinis & protectorum cum scutarijs & gentilibus: & mandabat Domitiano ex comite largitionum præfecto, ut cum in Syriam uenerit, Gallum, quem crebro accperat ad

Italiam properare, blande hortaretur & uerecunde. Qui cum uenisset ob hæc festinatis itineribus Antiochiam, præstrictis palatij ianuis contempto Cæsare, quem uideri decuerat, ad prætorium cum pompa solenni perrexit: morbóque diu uexatus, nec regiam introijt, nec processit in publicum: sed abditus multa in eius moliebatur exitium, addens quædam relationibus superuacua, quæ subinde dimittebat ad principem. Rogatus ad ultimum, admissúsque in consistorium, ambage nulla prægressa inconsiderate & leuiter, Proficiscere, inquit, ut præceptum est Cæsar, sciens quòd si cessaueris, & tuas & palatij tui auferri iubeo propediem annonas. Hócque solo contumaciter dicto, subiratus abscessit, nec in conspectum postea uenit sæpius accersitus. hinc ille commotus, ut iniusta perferens & indigna, præfecti custodiã protectoribus mandauerat fidis. Quo comperto Montius tũc quæstor, asper quidẽ sed ad lenitatem propensior, consulens in commune, aduocatos Palatinarũ primos scholarũ alloquutus est mollius, dicens nec decere hæc fieri, nec prodesse, addénsque uoces obiurgatorio sono, quod si id placeret, post statuas Constantini deiectas super adimenda uita præfecto conueniet securius cogitari. His cognitis, Gallus ut serpens appetitus telo uel saxo, iámque spes extremas opperiens, & succurrens saluti suæ, quauis ratione colligi omnes iussit armatos: & cum starent attoniti, di strictis dentium acie stridens, Adeste, inquit, iuri fortes mihi periclitanti uobiscum. Montius nos tumore insuetato quodam & nouo, ut rebelles & maiestati recalcitrantes Augustæ, per hæc quæ strepit incusat: iratus nimirum, quòd contumacem præfectum, quid rerum ordo postulat ignorare dissimulantem, formidine tenus iusserim custodiri. Nihil morati post hæc militares, auidi sæpe turbarum, ador-

ti sunt Montium primum qui deuertebat in proximo, leui corpore senem atque morbosum: & hirsutis resticulis cruribus eius mnexis, diuaricatum sine spiramento ullo adusque prætorium traxere præfecti. Et eodem impetu Domitianum præcipitem per scalas itidem funibus constrinxerunt: eósque coniunctos per ampla spatia ciuitatis acri raptauere discursu. iámque artuum & membrorum diuulsa compage superscandentes corpora mortuorũ, ad ultimam truncata deformitatem, uelut exaturati abiecerunt in flumen. Incenderat autem audacès usque ad insaniam homines, ad hæc quæ nefarijs egere conatibus, Luscus quidam curator urbis subito uisus: cúmque eo Sthenelaus baiulorum præcentor, ad expediendum quod orsi sunt incitans uocibus crebris, qui haud longe postea ideo uiuus exustus est. Et quia Montius inter dilaniantium manus spiritum efflaturus, Epigonum & Eusebium, nec professionem, nec dignitatem ostendens, aliquoties increpabat: qui sint hi, magna quærebatur industria. & nequid intepescæret, Epigonus è Lycia philosophus ducitur, & Eusebius è Mysia pietatis cognomento concitatus orator: cum quæstor non hos, sed tribunos fabricarum insimulasset, promittentes armorum si nouæ res agitari cœpissent. Iisdem diebus Apollinaris Domitiani gener, paulo antè agens palatij Cæsaris curam, ad Mesopotamiam missus à socero, per militares numeros immodicè scrutabatur, an quædam altiora meditantis iam Galli secreta susceperint scripta. qui compertis Antiochiæ gestis, per minorem Armeniam lapsus, Constantinopolim petijt. eximdéque per protectores retractus arctissime tenebatur. quæ dum ita struũtur, indicatum est apud Tyrum indumentum regale textum occultè, incertum quo locante, uel cuius usibus apparatum. Ideo rector pro-

uinciæ tunc pater Apollinaris, eiusdem nominis, ut conscius ductus est. aliique congregati sunt ex diuersis ciuitatibus multi, qui atrocium criminum ponderibus urgebantur. Iámque lituis cladum concrepantibus internarũ non cælatæ ut antea turbidum sæuiebat ingenium à ueri cõsideratione detortum: & nullo impositorum uel compositorum fidem solenniter inquirente, nec discernente à societate noxiorum insontes, uelut exturbatum è iudicijs fas omne discessit: & causarum legitima silente defensione, carnifex rapinarum sequester, & obductio capitum, & bonorum ubique multatio uersabatur per Orientales prouincias: quas recensere puto nunc opportunum, absque Mesopotamia digesta cum bella Parthica dicerentur, & AEgypto, quã necessario aliud reieci ad tempus. Superatis Tauri montis uerticibus, qui ad solis ortum sublimius attolluntur, Cilicia spatijs porrigitur late distentis, diues bonis omnibus terra: eiusque lateri dextro adnexa Isauria pari sorte uberi palmite uiret & frugibus multis, quam mediã nauigabile flumen Calicadnus intersecindit. Et hanc quidem præter oppida multa, duæ ciuitates exornant, Seleucia opus Seleuci regis, & Claudiopolis, quam deduxit Coloniam Claudius Cæsar: Isauria enim antehac mœnium potens, olim subuersa ut rebellatrix internecina, ægre uestigia claritudinis pristinæ monstrat admodum pauca: Ciliciam uero quæ Cydno amne exultat, Tarsus nobilitate perspicabilis: hanc condidisse Perseus memoratur, Iouis filius & Danaes, uel certe ex AEthiopia profectus, Sandan quidam nomine, uir opulentus & nobilis: & Anazarbus autoris uocabulum referens: & illius domicilium Mopsi, quem à cõmilitio Argonautarum cum aureo uellere direpto reducem & errore abstractum, delatũ ad

Africæ littus mors repentina consumpsit: & ex eo æspite Punico tecti manes eius heroici, dolorũ uarietati medentur plerũque sospitales. Hæ duæ prouinciæ bello quondã piratico cæteris mixtæ prædonum, à Serulio proconsule missæ sub iugum, factæ sunt uectigales. Et hæ quidem regiones uelut in prominenti terrarum lingua positæ, ab orbe eo monte Amano disparantur. Orientis uero limes in longum protentus & rectum, ab Euphratis fluminis ripis adusq; superciliaporrigitur Nili, læua Saracenis cõtermi nans gentibus, dextra pelagi fragoribus patẽs: quam plagam Nicator Seleucus occupatam auxit magnum in modũ, cum post Alexandri Macedonis obitum, successorio iure teneret regna Persidis, efficaciæ impetrabilis rex, ut indicat cognomentum. Abusus enim multitudine hominum, quam tranquillis in rebus diutius rexit & agrestibus habitaculis, urbes construxit multis opibus firmas & uiribus: quarum ad præsens pleræque licet Græcis nominibus appellentur, quæ ijsdem ad arbitrium imposita sunt conditoris, primigenia tamen nomina non amittunt, quæ eis Assyria lingua institutores ueteres indiderunt. Et prima post Osdroenam, quam (ut dictum est) ab hac descriptione discernimus, Comagena nunc Euphratẽsis clementer assurgit, Hierapoli, uetere Nino & Samosata ciuitatibus amplis illustris. deinde Syria per spatiosam interpatet diffusa planiciem. hanc nobilitat Antiochia mundo cognita ciuitas, cui non certauerit alia aduectitijs ita affluere opijs & internis, & Laodicea, & Apamia, itidémque Seleucia, inde à primis auspicijs florẽtissimæ. Post hãc acliuis Libano monti Phœnice regio plena gratiarum & uenustatis, urbibus decorata magnis & pulchris. in quibus amœnitate celebritatéq; nominum Tyrus excellit, Sidon & Berytus, ijsdémq;

pares, Emissa, Damascus, seculis conditæ priscis. Has autem prouincias, quas Orōtes ambiens amnis, imóq; pede Cassij montis illius ælsi prætermeans, funditur Partheniūm mare, Cn. Pōpeius superato Tigrane, regnis Armeniorum abstractas ditioni Romanæ coniunxit. Vltima Syriarū est Palæstina, per interualla magna protenta, cultis abundans terris & nitidis, & ciuitates habens quasdā egregias, nullam nulli cedentem, sed sibi uicissim uelut ad perpendiculum æmulas: Cæsaream, ~~quam ad honorem~~ Octauiani principis exædificauit ~~Herodes~~, & Eleutheropolim, & Neapolim, itidémque Ascalonem, Gazam, æuo superiore extructas. In his tractibus nauigerū nusquam uisitur flumen, & in locis plurimis aquæ suapte natura calentes emergūt, ad usus aptæ multipliciū medelarū. Verū has quoque regiones pari sortē Pompeius Iudæis domitis, & Hierosolymis captis, in prouinciarum speciem rectori delata iurisdictione formauit. Huic Arabia est conserta, ex alio latere Nabatæis contigua, opima uarietate cōmerciorum, castrísq; oppleta ualidis & castellis, quæ ad repellendos gentium uicinarū excursus, solicitudo perui gil ueterū per opportunos saltus erexit & cautos. Hæc quoq; ciuitates habet inter oppida quædam ingentes, Bostram & Gerazam atque Philadelphiā, murorum firmitate cautissimas. Hanc prouinciæ imposito nomine, rectoréque attributo, obtempe rare legibus nostris Traianus compulit imperator, incolarum tumore sæpe contuso, cum glorioso martē Mediam urgeret & Parthos. Cyprum itidem insulam procul à continenti discretam & portuosam, inter municipia crebra urbes duæ faciunt claram, Salamis & Paphus: altera Iouis delubris, altera Veneris templo insignis. tanta autem tāmque multiplici fertilitate abūdat rerū omnium eadem

Cyprus, ut nullius externi indigens adminiculi, indigenis uiribus, à fundamento ipso carinæ ad supremos usque carbasos ædificet onerariam nauem, omnibusque armamentis instructam mari committat. nec piget dicere, auide magis hanc insulam populum Romanum uiuassisse quàm iuste. Ptolemæo enim rege fœderato nobis & socio, ob ærarij nostri angustias iusso sine ulla culpa proscribi, ideóq; hausto ueneno uolũtaria morte deleto, & tributaria facta est, & uelut hostiles eius exuuiæ classi impositæ, in urbẽ aduectæ sunt per Catonem. Nunc repetetur ordo gestorũ. Inter has ruinarum uarietates, à Nisibi quam tuebatur accitus, cui nos obseruturos uinxerat imperiale præceptum, dispicere litis exitialis semina cogebatur, abnuens & reclamans adulatorum oblatrãtibus turmis, bellicosus sanè milésque semper & militum ductor, sed forẽsibus iurgijs longe discretus: qui metu sui discriminis anxius, cum accusatores quæsitorésque subdititios sibi cõsociatos ex ijsdem foueis cerneret emergentes, quædam quæ palàm agitabantur, occultis Constantium literis edocebat, implorans subsidia, quorũ metu tumor notissimus Cæsaris exhalaret. Sed cautela nimia in peiores hæserat plagas, ut narrabimus postea, æmulis consarcinantibus insidias graues apud Constantium cætera mediũ principem, sed siquid auribus huiusmodi quiuis infudisset ignotus acerbum & implacabilem, & in hoc causarum titulo dissimilem sui. proinde die funestis interrogationibus præstituto, imaginarius iudex equitũ resedit magister, adhibitis alijs iam quæ essent agenda prædoctis: & assistebant hincinde notarij, quid quæsitum esset, quidue responsum, cursim ad Cæsarem perferentes. cuius imperio trucis tum à stimulis reginæ, exertantis aurem subinde per aulæum, nec diluere obiecta permissi,

nec defensi periere complures. Primi igitur omnium statuuntur Epigonus & Eusebius, ob nominum gentilitatem oppressi. Prædiximus enim Mōtium sub ipso uiuendi termino his uocabulis appellatos fabricarū culpasse tribunos, ut adminicula futuræ ultioni pollicitos. & Epigonus quidem amictu tenus philosophus, ut apparuit, precē frustra tentata, sulcatis lateribus, mortisque metu admoto, turpi confessione cogitatorum socium, quæ nulla erant, fuisse firmauit, cum nec uidisset quicquam nec audisset, penitus expers forensium rerum: Eusebius uero obiecta fidentius negans, suspēsus in eodem gradu cunctatus est, latrocinium illud esse non iudicium clamans. Cúmque pertinacius ut legum gnarus accusatorē flagitaret atque solennia, doctus id Cæsar, libertatémque superbiam ratus, tanquam obtrectatorem audacem excarnificari præcepit. qui ita euisceratus ut cruciatibus membra deessent, implorans cælo iustitiam, torum renidens fundato pectore mansit immobilis, nec se incusare nec quenquam alium passus: & tandem nec confessus nec confutatus, cum abiecto consortē pœnali est morte mulctatus. & ducebatur intrepidus temporum iniquitati insultans, imitatus Zenonem illum uetere Stoicum, qui ut mentiretur quædam, lacratus diutius, auulsam sedibus linguam suam cum cruēto sputamine in oculos interrogantis Cyprini regis impegit. Post hæc indumentū regale quærebatur: & ministris fucandæ purpuræ tortis, confessisque pectoralē tuniculā sine manicis textam, Maras quidam nomine inductus est (ut appellant Christiani) diaconus: cuius prolatæ literæ scriptæ Græco sermone ad Tyrij textrini propositum. celerari speciem perurgebat: quam autem, non indicabat. denique etiā idem usque ad discrimen uitæ uexatus, nihil fateri compulsus est. Quæstione igitur

per multiplices dilatata fortunas, cum ambigerentur quædam, nonnulla leuius actitata constaret, post multorũ clades Apollinares ambo *pater & filius in exilium acti, cum ad locum* Crateras *nomine peruenissent, illã scilicet suã quæ ab* Antiochia *uicesimo & quarto disiũgitur lapide, ut mandatum est, fractis cruribus occiduntur. Post quorum necem nihilo lenius ferociens* Gallus, *ut leo cadaueribus pastus, multa huiusmodi scrutabatur: quæ singula narrare non refert, ne professionis modum, quod euitatum est, excedamus. Hæc dum* Oriens *diu perferret, cæli reserato tepore,* Constantius *consulatu suo septies & Cæsaris iterum egressus* Arelatæ Valentiam *petit, in* Gundomadũ *&* Vademariũ *fratres* Alemannorũ *reges arma moturus, quorum crebris excursibus uastabãtur confines limitibus terræ* Gallorum. *Dumque ibi diu moratur, commeatus opperiens, quorum translationem ex* Aquitania Aruerni *imbres solito crebriores prohibebant, auctique torrentes,* Arculanus *aduenit protector domesticus,* Hermogenis *ex magistro equitum filius, apud* Constantinopolim, *ut supra retulimus, populari quondam turbela diserpti: quo uerissime referẽte quæ* Gallus *egerat, damnis super præteritis mœrens, & futurorũ timore suspensus, angorem animi quandiu potuit emendabat. miles tamen mœrea omnis apud* Cabillonem *collectus, morarum impatiens sæuiebat, hoc irritatior, quòd nec subsidia uiuendi suppeterent, alimentis nondum ex usu translatis.* Vnde Rufinus *ea tempestate præfectus prætorio, ad discrimen trusus est ultimum. ire enim ipse compellebatur ad militem, quem exagitabat inopia simul & feritas, & alioquin coalito more in ordinarias dignitates asperum semper & sæuum, ut satisfaceret, atque monstraret quam ob causam annonæ conue-*

ctio sit impedita. quod opera consulta cogitabatur astute, ut hoc insidiarum genere Galli periret auunculus, ne eum ut præpotens acueret in fiduciam exitiosa cœptantem. Verum nauata est opera diligens. Eusebius præpositus cubiculi missus est Cabillona aurum secum perferens: quo per turbulentos seditionum concitatores occultius distributo, & tumor consenuit militum, & salus est in tuto locata præfecti. Deinde cibo abunde perlato, castra die prædicto sunt mota. Emensis itaque difficultatibus multis, & niue obrutis callibus pluribus, ubi prope Rauracum uentum est ad supercilia fluminis Rheni, resistente multitudine Alemanna, pontem suspendere nauium compage Romani ui nimia uetabantur, ritu grandinis undique conuolãtibus telis: & cum id impossibile uideretur, imperator cogitationibus magnis attonitus, quid capesseret ambigebat. Ecce autem ex improuiso index quidam regionum gnarus, aduenit, & mercede accepta uadosum locum nocte monstrauit, unde superari potuit flumen. & potuisset aliorsum intentis hostibus, ni pauci ex eadem gente, quibus erat honoratioris militiæ cura commissa, populares suos hæc per nuncios docuissent occultos, ut quidam existimabant. Infamabat autem hæc suspicio Latinum domesticorum comitem, & Agilonem tribunum stabuli, atque Scudilonem scutariorum rectorem, qui tunc ut dexteris suis gestantes Remp. colebantur. At Barbari suscepto pro instantium rerum ratione consilio, dirimentibus forte auspicijs, uel cõgredi prohibentibus, autoritate sacrorum mollito rigore, quo fidentius resistebant, optimates misere delictorum ueniam petituros & pacem. Tentis igitur regis utriusque legatis, & negotio rectius diu pensato, cum pacem oporteret tribui, quæ iustis conditionibus petebatur, eámque ex re fore sen-

tentiarum uia concinens approbasset, aduocato in concionem exercitu, imperator pro tempore pauca dicturus, tribunali assistens, circundatus potestatum cœtu cæsarum, ad hunc disseruit modũ: Nemo quæso miretur, si post exudatos labores itinerum longos, congestósque affatim commeatus, fiducia uestri ductante Barbaricos pagos aduentans, uelut mutato repente consilio ad placidiora diuerti. Pro suo enim loco & animo quisque uestrum reputans, id inuenit uerum, quòd miles ubique licet membris uigentibus firmus, se solum uitámque propriã circunspicit & defendit: Imperator uero officiorum, dum æquus omnibus alienæ custos salutis, nihil non ad sui spectare tutelam rationes populorum cognoscit, & remedia cuncta quæ status negociorum admittit, arripere debet alacriter secunda numinis uoluntate delata. Id in breue igitur conferam, & ostendam qua ex causa omnes simul adesse uolui, commilitones mei fidissimi: accipite æquis auribus, quæ succinctius explicabo: Veritatis ~~enim fermo est sim~~plex. Arduos uestræ gloriæ gradus, quos fama per plagarũ quoque accolas extremarum diffundit, excellenter accrescens, Alemannorum reges & populi formidantes, per oratores quos uidetis summissis ceruicibus cõcessionem præteritorum posunt & pacem: quam ut cunctator & cautus utiliúmque monitor, si uestra uoluntas adest, tribui debere censeo multa contẽplans: Primo ut Martis ambigua declinentur, dein ut auxiliatores pro aduersarijs ascisamus, quod pollicentur: tum autem incruenti mitigemus ferociæ flatus perniciosos sæpe prouincijs: postremo id reputãtes, quòd non ille hostis uincitur solus, ~~qui cadit in acie pondere armorum~~ oppressus & ~~uirtum: sed multo tutius etiam~~ tuba tacente, sub iugo mittitur ~~uoluntarius, qui~~ sentit expertus, nec forti-

tudinem in rebelles, nec lenitatē in supplices animos deesse. In summa tanquā arbitros uos quod suadetis opperior, ut princeps trāquillus temperanter adhibere modū allapsa felicitatē decernens. Non enim inertiæ, sed modestiæ humanitatíque (mihi creditē) hoc quod recte consultum est assignabitur. Mox dicta finierat, multitudo omnis ad quæ imperator uoluit prōptior, laudato consilio, cōsensit in pacem, ea ratione maxime percita, quòd norat expeditionibus & crebris, fortunam eius in malis tantū ciuilibus uigilasse: cum autem bella mouerentur externa, accidisse plerunque luctuosa. Icto post hæc fœdere gentium ritu, perfectāque solennitate, imperator Mediolanum ad hyberna discessit. ubi curarum abiectis ponderibus alijs, tanquam nodum & odium difficillimum Cæsarem conuellere nisu ualido cogitebat: eíque deliberanti cum proximis clādestinis colloquijs, & in nocturnis, qua ui, quibúsue commētis id fieret, antequam effundendis rebus pertinacius incumberet confidentia, aciri mollioribus scriptis per simulationem tractatus publici minis abiectis eundem placuerat Gallum, ut auxilio destitutus, sine ullo interiret obstaculo. Huic sententiæ uersabilium adulatorum refragantibus globis, inter quos erat Arbitio ad insidiandū acer & flagrans, & Eusebius tunc præpositus cubiculi, effusior ad nocendum, id occurrebat, Cæsare discedente Vrsicinum in Oriente perniciosè relinquendum, si nullus esset qui prohiberet altiora meditaturum. Iisdémq; residui regij accessere spadones, quorum ea tempestate plus habendi cupiditas ultra mortalem modum adolescebat, inter ministeria uitæ secretioris per arcanos susurros nutrimenta fictis criminibus subserēres: qui ponderibus inuidiæ grauioris uirū fortissimum opprimebant, subolescere imperio adultos

eius filios mussitantes, decore corporũ fauorabiles & ætate, per multiplicem armaturæ scientiã agilitatémque membrorum inter quotidiana proludia exercitos, consulto consilio cognitos, Gallum suopte ingenio trucem, per suppositos quosdam ad sæua facinora ideo animatum, ut eo digna omnium ordinum detestatione exoso, ad magistri equitum liberos principatus insignia transferãtur. Cum hæc taliáque solicitas eius aures euerberarent, expositas semper huiusmodi rumoribus & patẽtes, uario animo tumescente, consilio tandem dato optimum factu elegit: & Vrsicinum primum ad se uenire summo cum honore mandauit, ea specie, ut pro rerum tunc urgentium captu disponeretur concordi consilio, quibus uirium incrementis Parthicarum gentium arma minantium impetus frangerentur. Et nequid suspicaretur aduersi uenturus uicarius, dum redit, Prosper mussus est comes: acceptisque literis, & copia rei uehicularia data, Mediolanum itineribus properauit magnis. Restabat ut Cæsar post hæc properaret accitus, & abstergendæ causa suspicionis, sororem suam, eius uxorem, Cõstantius ad se tandem desideratam uenire multis fictisque blanditijs hortabatur. Quæ licet ambigeret, metuens sæpe cruentum, spe tamen quòd eum lenire poterat ut germanum, profecta cum Bithyniam introisset, in statione quæ Cænos Gallicanos appellatur absumpta est ui febrium repentina. Cuius post obitum maritus contemplans occidisse fiduciam, qua se fultum existimabat, anxia cogitatione quid moliretur, hærebat. Inter res enim impeditas & turbidas, ad hoc unum mentem solicitam dirigebat, quòd Constantius cũcta ad suam sententiam conferẽs, nec satisfactionem suscipiet aliquam, nec erratis ignoscet: sed ut erat in propinquitatis perniciẽ inclinatior, laqueos

ei latenter obtendens, si cœpisset incautum morte multaret. Eò necessitatis adductus, ultimáque, ni uigilasset, opperiens, principem locum siqua patuisset copia affectabat: sed perfidia proximorum ratione bifaria deserebatur, qui eum ut truculentum horrebant & leuem, quíque altiorem Constantij fortunam in discordijs ciuilibus formidabant. Inter has curarum moles immensas, imperatoris scripta suscipiebat assidua, monentis orantisque ut ad se ueniret, & mente monstrãtis obliqua, Remp. non posse diuidi, nec debere. sed pro uiribus quenque ei ferre suppetias fluctuanti, nimirum Galliarũ indicans uastitatem: quibus subserebat non adeo uetus exemplum, quòd Diocletiano & eius collegæ, ut apparitores Cæsares, non resides, sed ultro citróque discurrẽtes obtemperabant: & in Syria Augusti uehiculũ irascentis per spatiũ mille passuũ ferè pedes antegressus est Galerius purpuratus. Aduenit post multos Sudilo scutariorũ tribunus, uelamẽto subagrestis ingenij, persuasionis opifex callidus, qui eũ adulabili sermone serijs admixto, solus omniũ proficisci pellexit, uultu assimulato sæpius replicando, quòd flagrãtibus uotis eum uidere frater cuperet patruelis: quod per imprudentiã gestum est, remissurus ut mitis & clemens: participémque eum suæ maiestatis adscitum, ut futurum laborum quoque socium, quos Arctoæ prouinciæ diu fessæ poscebant. Vt que solent manum iniectantibus fatis hebetari sensus hominum & obtundi, his illecebris ad meliorum expectationem erectus, egressisque Antiochia numine Læuo ductantæ, prorsus ire tendebat de fumo, ut prouerbium loquitur uetus, ad flammam: & ingressus Constantinopolim tanquam in rebus prosperis & securis editis equestribus ludis, capiti Coracis aurigæ imposuit coronam ut uictoris. Quo cognito,

Cōſtantius ultra mortalem modum exarſit: ac ne quo casu idem Gallus de futuris incertus, agitare quædam cōducentia ſaluti ſuæ per itinera conaretur, remoti ſunt omnes de induſtria milites agentes in ciuitatibus peruijs. Eóq; tempore Taurus quæſtor ad Armeniam miſſus, confidenter nec appellato eo nec uiſo tranſiuit. Venere tamen aliqui iuſſu imperatoris adminiſtrationum ſpecie diuerſarum, eundémne commouere ſe poſſet, néue tentaret aliquid occulte cuſtodituri. inter quos Leōtius erat, poſtea urbi præfectus, ut quæſtor, & Lucillianus quaſi domeſticorum comes, & ſcutariorū tribunus nomine Bainobaudes. Emenſis itaque longis interuallis & planis, cum Hadrianopolim peroiſſet urbem Hemimontanam Vſcudumā antehac appellatam, feſſáſque labore diebus duodecim recreans uires, cōperit Thebeas legiones in uicinis oppidis hyemantes, conſortes ſuos miſiſſe quoſdam eum ut remaneret promiſſis fidis hortaturos & firmis, fiducia ſui abunde per ſtationes locat confines: ſed obſeruātæ cura perrigili proximorum, nullam dicendi uel audiendi quæ ferebant furari potuit facultatem. Inde alijs ſuper alias urgētibus literis exire, & decem uehiculis publicis, ut præceptum eſt, uſus, relicto palatio omni, præter paucos thori miniſtros & menſæ, quos aduexerat ſecum, ſqualore concretus celerare gradum compellebatur adigētibus multis, temeritati ſuæ ſubinde flebiliter imprecatus, quòd eum iam deſpectum & uilem arbitrio ſubdiderat infirmorum. Inter hæc tamen per inducias naturæ conquieſcentis, ſauciabantur eius ſenſus circunſtridentium terrore larnarum: interfectorúmque cateruæ Domitiano & Montio præuijs correptū eum, ut exiſtimabat in ſomnis, uncis furialibus obiectabāt. Solutis enim corporeis nexibus, animus ſemper uigens moti-

bus indefessis, & cogitationibus subiectus & curis, quæ mortalium solicitant mentes colligit uisa nocturna, quas phantasias nos appellamus. Pandente itaque uiam fatorũ sorte tristissima, qua præstitutũ erat eum uita & imperio spoliari, itineribus intereiectis per mutationẽ iumentorũ emensis, uenit Petobionem oppidum Noricorum, ubi reseratæ sunt insidiarum latebræ omnes. & Barbatio repente apparuit comes, qui sub eo domesticis præfuit, cum Apodemio agente in rebus, milites ducens, quos beneficijs suis oppigneratos elegerat imperator, certus nec præmijs nec miseratione ulla posse deflecti. Iámq; non adumbratis fallacijs res agebatur: sed qua palatium est extra muros, armatis omnes circũsedit. Ingressúsq; obscuro iam die, ablatis regijs indumẽtis, Cæsarem tunica texit & paludamento communi, eum post hæc nihil passurum uelut mandato principis iurandi crebritate confirmans: & statim, inquit, exurge: & inopinum carpento priuato impositum, ad Istriam duxit prope oppidum Polam, ubi quondam peremptum Constãtini filium accepimus Crispum. Et cum ibi seruaretur arctissime terrore propinquãtis exitus iã præsepultus, accurrit Eusebius cubiculi tunc præpositus, Pentadiúsq; notarius, & Mellobaudes armaturarum tribunus, iussu imperatoris compulsuri eum sigillatim docere quam ob causam quenque apud Antiochiam necatorum iusserat trucidari. Ad quæ Adrasteo pallore perfusus hactenus uoluit loqui, quod plerosq; incitante coniuge iugulauerit Cõstantina, ignorans profecto Alexandrum Magnum urgenti matri ut occideret quendam insontem, & dictitanti spe impetrandi postea quæ uellet, eũ se per nouem menses utero portasse prægnãtem, ita respõdisse prudenter, Aliam parens optima posce meredem: hominis enim salus beneficio

nullo pensatur. Quo comperto, irreuocabili primæps percitus dolore, fiduciam omnem fundandæ securitatis in eodem posuit abolendo. Et missio Sereniano, quem in crimen maiestatis uocatũ præstigijs quibusdã absolutum esse monstrauimus, Pẽtadio quinetiam notario, & Apodemio agente in rebus, eum capitali supplicio destinauit: & ita colligatis manibus in modũ noxij cuiusdã latronis cæruicæ abscissa, ereptáq; uultus & capitis dignitate, cadauer est relictum informe, paulo ante urbibus & prouincijs formidatum. Sed uigilauit utrobique superni numinis æquitas. Nam & Gallũ obitu oppressit crudeli, & non diu postea ambo cruciabili morte absumpti sunt, qui eum licet nocẽtẽ, blandius palpantes periurijs adusque plagas perduxere letales: quorũ Scudilo distillatione iecoris pulmones uomitãs interijt: Barbatio qui in eum diu falsa composuerat crimina, cum ex magisterio peditum altius niti quorũdam susurris incusaretur, damnatus, extincti per fallacias Cæsaris manibus anima in ludibrioso obitu parentauit. Hæc & huiusmodi quædã innumerabilia ultrix facinorũ impiorũ, bonorúmque præmiatrix aliquoties operatur Adrastia, atque utinam semper, quam uocabulo duplici etiã Nemesim appellamus. Ius quoddam sublime numinis efficacis, humanarũ mentium opinione lunari circulo superpositũ, uel, ut definiunt alij, substãtialis tutela generali potẽtia partilibus præsidens fatis: quam theologi uetères fingentes iustitiæ filiam, ex abdita quadam æternitate tradunt omnia despectare terrena. Hæc ut regna causarum, & arbitra rerũ, hæc disceptatrix urnam sortium tẽperat, accidentiũ uices alternans: uoluntatúmque nostrarum exorsa interdum aliò quàm quò contendebant exitu, terminans, multiplices actus permutando conuoluit. Eadémque necessi

tatis insolubili retinaculo mortalitatis uinciens fastus tumentes meæssum, & incrementorum detrimentorúmque momẽta uersans, ut nouit, nunc erectas mentium ceruices opprimit & eneruat, nunc bonos ab imo suscitans ad bene uiuendum extollit. Pinnas autem ideo illi fabulosa uetustas aptauit, ut adesse uelocitate uolucri cunctis existimetur: & prætendere gubernaculum dedit, eique subdidit rotam, ut uniuersitatem regere per elementa discurrens omnia non ignoretur. Hoc immaturo interitu ipse quoque sui pertæsus, excæssit è uita ætatis nono atq; uigesimo, cum quadriẽnio imperasset, natus apud Thuscos in Massa Veternensi, patre Cõstantio, Constantini fratre imperatoris, matréque Galla sorore Ruffini & Cerealis, quos trabeæ consulares nobilitarunt, & præfecturæ prouinciarũ. forma conspicuus bona, decente filo corporis, membrorúmque recta compage, flauo capillo, & molli barba, licet recens emergente lanugine teneras per genas, ita tamen ut maturius autoritas emineret: tãtum à temperatis moribus Iuliani differens fratris, quãtum inter Vespasiani filios fuit Domitianum & Titum. Assumptus autem in amplissimum fortunæ fastigium, uersabileu motus expertus est, qui ludũt mortalitatẽ: nunc euehẽtes quosdam in sidera, nũc ad Cocyti profunda mergẽtes. cuius rei cã innumera sint exempla, pauca tactu summo transcurram. Hæc fortuna mutabilis & inconstans fecit Agathoclem Siculum ex figulo regem, & Dionysium gentium quondam terrorem Corinthi literario ludo præfecit. Hæc Adramitenum Andriscum in fullonia natum ob pseudo Philippi nomen euexit: & Persei legitimum filium artem ferrariam ob quærendum docuit uictum. Eadem Mancinum post imperium dedit Numantinis, summa atrocitate Veturium, &

Claudium Corsis substrauit. quid feritati Carthaginis Regulum? istius iniquitatē Pōpeius post quæsitū ex rerū gestarum amplitudine cognomentum, ad spadonū libidinē in AEgypto trucidatur. Et Eunus quidā ergastularius seruus ductauit in Sicilia fugitiuos. Quàm splendido loco multi nati, eadem rerum domina conniuente, Veriati genua sunt amplexi uel Sparthaci? quot capita, quæ horruere gētes, funesti carnifices absciderunt? Alter in uincula ducatur, alter insperatæ præficitur potestati, alius à summo culmine dignitatis excutitur. Quæ omnia si scire quisquam uelit quàm uaria sunt, & assidua, arenarum numerum idem iam desipiens, & montium pondera scrutari poterit.

AMMIANI MARCELLINI RERVM GESTARVM LIB. XV.

TCVNQVE potuimus ueritatem scrutari, quéque uidere non licuit per ætatem, uel perplexe interrogando uersatos in medio scire, narrauimus ordine cāsuum exposito diuersorū: residua quæ sequuturus aperiet textus, pro uiriū cāptu limatius absoluemus, nihil obtrectatores longi, ut putāt, operis formidantes. Tunc enim laudanda est breuitas, cū moras rūpens intempestiuas, nihil subtrahit cognitioni iustorum. Nondum apud Noricum exuto penitus Gallo, Apodemius, quoad uixerat, igneus turbarum mœntor, raptos eius calcæos uehens equorū permutatione uelocī, ut nimietatē cogendi quosdam extingueret, præcursorius index Mediolanum aduenit, ingressúsque regiam antē pedes proiecit Constantij, uelut spolia regis occisi Partherum. & perlato nuncio repētino, docente

rem insperatam & arduam, ad sententiam totam facilitatæ completam, hi qui summam aulã tenebant, omni placendi studio in adulationem ex more collato, iurtutem felicitatémque imperatoris extollebant in cœlum: cuius nutu in modum gregariorũ militum, licet diuersis temporibus, duo exauctorati sunt principes, Veteranio nimirũ & Gallus. Quo ille studio blanditiarum exquisito sublatus, immunémque se demde fore ab omni mortalitatis incommodo fidenter existimans, confestim à iustitia declinauit ita intemperanter, ut æternitatem eam aliquoties assereret, & ipse dictando scribendóque propria manu orbis totius se dominum appellaret: quod dicentibus alijs, indignanter admodum ferre deberet is, qui ad æmulationem ciuilium principum uitam formare morésque suos, ut prædicabat, diligentia laborabat enixa. Nanque etiamsi mundorum infinitates Democriti regeret, quos Anaxarcho incitante Magnus somniabat Alexander, id reputasset legens uel audiens, quod ut docent mathematici concinentes, ambitus terræ totius quæ nobis uidetur immensa ad magnitudinem uniuersitatis, instar breuis obtinet puncti. Iámque post horrendam deleti Cæsaris cladem, sonante periculorum iudicialium tuba, in turba læsæ maiestatis arcessebatur Vrsicinus, adolescente magis magísque contra salutem liuore omnibus bonis infesto. Hac enim superabatur difficultate, quòd ad suscipiẽdas defensiones æquas & probabiles imperatoris aures occlusæ, patebant susurris insidiantiũ clandestinis: qui Constantij nomine per Oriẽtis tractus omnes abolito, antedictum ducem domi forísque desiderari, ut formidolosum Persicæ genti fingebant. Sed contra accidentia uir magnanimus stabat immobilis, ne se proijceret abiectius cauens, parum tuto loco innocentiam stare medullitus ge-

mens, hóque uno tristior, quòd amici antè hæc frequentes ad pauciores desciuerant, ut ad successores officiorum more poscente solent transire lictores. Impugnabat autem eum per fictæ benignitatis illecebras collegu, & uirũ fortem propalàm sæpe appellans Arbitio, *ad mnectendas letales insidias uitæ simplici perquàm callens, & ea tempestate nimiũ potens. Vt enim subterraneus serpens foramen subsidens occultum, adsultu subito singulos transitores obseruans incessit: ita ille addens etiam potestati lædẽdi militiæ munus, nec læsus aliquando nec lacessitus, inexplebili quodam lædendi proposito conscientiam polluebat. Cogitur paucis arcanorũ præfectis conscijs latenter cum imperatore sententiam retegere. id egerat, ut nocte uentura procul à conspectu militarium raptus Vrsicinus indemnatus occideretur, ut quondam* Domitius Corbulo *dicitur cæsus in colluuione illa* Neroniani *seculi, prouinciarum fidus defensor & cautus. quibus ita compositis cum ad hoc destinati prædictum tempus opperirentur, consilio in lenitudinem flexo, facinus impium ad deliberationem secundã differri præceptum est. Indéque ad* Iulianum *recens perductum calumniarũ uertitur machina, memorabilẽ postea principem, gemino crimine, ut iniquitas æstimabat, implicitum: quòd à macelli fundo in* Cappadocia *posito ad Asiã demigrarat liberalium desiderio doctrinarũ, & per Constantinopolim transeũtem uiderat fratrem. qui cum obiecta dilueret, ostenderétque neutrum sine iussu fecisse, nefando assentatorum cœtu urgente perisset, ni aspiratione superni ruminis,* Eusebia *suffragante regina ductus ad Comum oppidũ* Mediolano *uicinum, ibíque paulisper moratus, pro colendi ingenij causa, ut cupidine flagrauit, ad Græciã ire permissus esset. Nec defuere demæps ex his e-*

mergentia casibus, quæ displicæret secundis auibus contigisse, dum punirentur ex iure, uel tanquam irrita diffluebant & uana. sed accidebat nonnunquam ut opulenti pulsantes præsidia potiorum, ijsdémque tanquam ederæ celsis arboribus adhærentes, absolutionem pretibus mercarētur immensis. tenues uero, quibus exiguæ res erant ad tuendam salutem aut nullæ, damnabantur abruptæ. Idcóque & ueritas mendacijs uelabatur, & ualuere pro ueris aliquoties falsa. Perductus est ijsdem diebus & Gorgonius cui erat thalami Cæsariani cura commissa: cúmque eum ausorum fuisse participem conatorémque interdum ex confesso pateret, conspiratione spadonum, iustitia concinnatis mendacijs obumbrata, periculo euolutus abscessit. Hæc dum Mediolani aguntur, militarium cateruæ ab Oriente perductæ sunt Aquileiam, cum aulicis pluribus, membris inter catenas fluentibus, spiritum trahentes exiguum, uiuendíque moras per ærumnas detestati multiplices. Arcessebantur enim ministri fuisse Galli ferocientis, pérque eos Domitianus discerptus credebatur, & mortuus, & alij post eos acti in exitium præceps. ad quos audiendos Arbora missus est, & Eusebius cubiculi tunc præpositus, ambo inconsideratæ iactantiæ, iniusti pariter & cruenti: qui nullo perspicaciter sine innocentium sontiúmque differentia, alios uerberibus uel tormētis adflictos exulari pœna damnarunt, quosdam ad infimam trusere militiam, residuos capitalibus addixere supplicijs. Impletisque funerum busis, reuersi uelut ouantes gesta retulerunt ad principem ergo hæc & similia palàm obstinatum & grauem. Vehemētius hinc & deinde Constantius, quasi præscriptum fatorū ordinem conuulsurus, recluso pectore patebat insidiātibus multis: unde rumorū aucupes subito extitere cōplures,

honorum uertices ipsos ferinis morsibus appetentes: posteáque pauperes & diuites indiscrete, non ut Cybiratæ illi Verrini *tribunal unius legati lambentes, sed Reip. membra totius per incidentia mala uexantes. Inter quos facile* Paulus *&* Mercurius *eminebant: hic origine* Persa, *ille natus in* Dacia: *notarius hic, ille minister triclinij rationalis. &* Paulo *quidem, ut relatum est supra,* Catena *inditum est cognomentum, eo quòd in complicandis calumniarum nexibus erat indissolubilis, tetra uenena serens, uariéque disperdens, ut in colluctationibus calcæ tenere quidam solent artifices palæstritæ.* Mercurius *solenniorũ appellatus* Comes, *quòd ut clàm mordax canis interno utio summissus, agitans caudã epulis, cœtibúsque se crebris inserens, si per quietem quisquam, ubi fusius natura uagatur, uidisse aliquid amico narrasset, id uenenatis artibus coloratum in peius, patulis imperatoris auribus infundebat: & ob hoc homo tanquam inexplicabili obnoxius culpæ, graui mole criminis pulsabatur.* Hæc augente *uulgatius fama, tãtum aberat ut proderet quisquam uisa nocturna, ut ægre homines dormisse sese præsentibus fatérentur externis: mœrebántque docti quidam quòd apud* Atlanteos *nati non essent, ubi memoranturſomnia non uideri: quod unde euenìat, rerum scientissimis relinquamus. Inter has quæstionum suppliciorúmque species diras, in* Illyrico *exoritur alia clades, ad multorum pericula ex uerborum inanitate progressa. In prouincia* Africani Pannoniæ *secundæ rectoris, apud* Sirmium *poculis amplioribus madefacti quidam, arbitrum adesse nullũ existimantes, licenter imperium præsens ut molestissimum incusabant: quibus alij optatam permutationem temporũ aduentare ueluti è præsagijs affirmabant: nonnulli maiorũ auguria sibi portendi*

incogitabili dementia promittebant. E quorũ numero Gaudentius magnis in rebus mentę præcipiti stolidus, rem ut seriam detulerat ad Rufinum apparitionis præfecturæ prætorianæ tunc principem, ultimorum semper auidũ hominem, & coalita prauitatę famosum, qui confestim quasi pinnis allatus ad comitatum principis aduolauit: eúmque ad suspiciones huiusmodi mollem & penetrabilem ita acriter inflãmauit, ut sine deliberatione ulla Africanus, & omnes letalis mensæ participes iuberentur sublimes tolli. Quo facto delator funestus, uetita ex more humano ualidius cupiẽs, biennio id quod agebat, ut postularat, continuare præceptus est. Missus igitur ad eos corripiendos Teutomeres protector domesticus cum collegis, onustos omnes catenis, ut mandatum est, perducebat. Sed ubi uentum est Aquileiam, Marinus ex campiductore eo tempore uacans, autor perniciosi sermonis, & alioquin natura feruentis, in taberna relictus, dũ parantur itineri necessaria, lateri cultrum casu repertum impegit, statímque extractis uitalibus interijt. Residui ducti Mediolanum, excruciatique tormentis, & confessi ui quæstionis, inter epulas petulanter se quædam loquutos, iussi sunt retineri pœnalibus claustris sub absolutionis aliqua spe, licet incerta. Protectores uero pronuntiati uertere solũ exilio, ut Marino ijsdẽ conscijs mori permisso, ueniã Arbitione meruere precante. Re hac modo finita, paulo post & Lentiensibus Alemannicis pagis indictum est bellum, conlimitia sæpe Romana latius irrũpentibus. ad quem procinctum imperator egressus, in Rhetias campósque uenit Caninos: & digestis diu consilijs, id uisum est honestum & utile omnibus, ut eò cũ militis parte Arbitio magister equitum, cum ualidiore exercitus manu relegens margines lacus Brigantiæ pergeret, protinus Bar-

baris congressuris: cuius loci figuram breuiter, quantum ratio patitur, designabo. Inter nõtium cælsorũ anfractus impulsu immani Rheni discurrentis extenditur penes Alepontios, ut deciduas cataractas inclinatione pernicia fundit tur Nilus, torrente ab ortu protinus primigenio copijs aquarũ proprijs irruẽti cursu simplici. Iámq; adiutus niuibus liquatis ac solutis, altáque diuortia riparũ adradẽs, lacum inuadit rotundũ & uastum, quẽ Brigantiã accola Rhetus appellat, pérque quadringenta & sexaginta stadia lõgum, parique penè spatio latè diffusum, horrore syluarum squalentium inaccessum, nisi qũia uetus illa Romana uirtus & sobria iter composuit latum, Barbaris & natura locorum & cæli inclementia refragante. Hanc ergo paludem spumosis strependo uerticibus amnis irrumpens, & undarum quietem permeans pigram, mediam uelut finali intersecat libramento: & tanquam elementum perenni discordia separatũ, nec aucto, nec imminuto agmine quod intulit, uocabulo & uaribus absoluitur integris, nec contagia deinde ulla perpetiens, Oceani gurgitibus intimatur. Quódque est impendio mirum, nec stagnum aquarum rapido trãscursu mouetur, nec limosa subluuie tardatur properans flumen, & confusum miscri non potest corpus: quod ni ita agi ipse doceret aspectus, nulla ui credebatur posse discerni. Sic Alpheus oriẽs in Arcadia, cupidine fontis Aretusæ captus, scindens mare, ut fabulæ ferunt, adusque amatæ confinia progreditur. Arbitio qui aduentus Barbarorum mentiarent non expectans dum adessent, licet sciret aspera orsa bellorum, in occultas delatus insidias, uelut immobilis malo repentino perculsus est. Interea uisi è latebris hostes exiliunt, & sine aliqua intermissione quicquid offendi poterat, telorũ genere multiplici configebant.

Nec enim resistere nostrorũ quisquam potuit, nec aliud uitæ subsidiũ, nisi discessu sperare ueloci. Quocirca uulneribus declinãdis intenti, in cõposito agmine milites huc & illuc dispalantes terga ferienda dederũt. Pleriq; tamen per angustas semitas sparsi, periculóque præsidio tenebrosæ noctis extracti, reuoluta iã luce redintegratis uiribus agmini quisq; proprio sese consociauit. In quo casu ita tristi & inopino abundans numerus armatorũ, & tribuni desiderati sunt decẽ: ob quæ Alemanni sublatis animis, ferocius incidentes quotidie prope munimenta Romana, adimente matutina nebula lucem, strictis mucronibus discurrebant frẽdendo minas tumidas intentantes. Egressique repente scutarij, cum obiectu turmarum hostiliũ reperaussi stetissent, omnes suos conspirantibus animis ciebant ad pugnã. Verum cum plerosque recentis æruminæ documenta terrerẽt, in tuto fore residua credens hærere Arbitio. tres simul exiluere tribuni, Arentheus agens uicem armaturarum rectoru, & Seniauchus qui equestrem turmam comitum tuebatur, & Bappo ducens promoto missis sibi causa communis uelut propriam uiri cunctis arcentibus ueterum exemplo accolarum, fluminis hostibus superfusi non iusto prælio, sed discursionibus prædatorijs uniuersos in fugam cogere fœdissimam. qui dispersi laxatis ordinibus, diimque elabi properant impediti, corpora nudantes intecta, gladiorũ hastarúmque densis ictibus truncabantur. multique cum equis interfecti iacentes, etiam cum eorum ossibus uidebantur innexi. quo uiso omnes è castris effusi, qui predire in prælium cum socijs ambigebant, cauendi immemores proterebant barbarã plebẽ, nisi quos fuga exemerat morti, calcãtes cadauerum strues, perfusi sanie peremptorũ. Hócque exitu prælio terminato,

imperator Mediolanum *ad hyberna ouans reuertit & lætus.* Exoritur *iam hinc rebus adflictis haud dispari prouinciarum malo, calamitatum turbo nouarum, destructurus omnia simul, ni fortuna moderatrix humanorum casuum, motum euentu celeri consummasset impendio formidatum. Cum diuturna incuria Galliæ cædes acerbas rapinásque & mœndia* Barbaris *licenter grassantibus nullo iuuante perferrent,* Siluanus *pedestris militiæ rector iratus, & efficax ad hæc corrigenda, primum ipsis superuenit,* Arbetione *id maturari modis quibus poterat adigente, ut absenti æmulo, quem quietum superesse adhuc grauabatur, periculosæ molis onus impingeret.* actuarius *sarcinaliũ principis iumentorum, commendatitias ab eo petierat ad amicos, ut quasi familiaris eiusdem esset notissimus.* Hoc *impetrato cum ille nihil suspicans simpliciter præstitisset, seruabat epistolas, ut perniciosum aliquid in tempore moliretur.* Memorato itaq; *duce Gallias ex Rep. discursante* Barbaróque *propellente, iam sibi diffidentes & trepidantes, idem* Dynamius *inquietius agens ut uersutus & in fallendo exercitatus, fraudem comminiscitur impiam, subornatore & conscio, ut iactauere rumores incerti,* Lãpadio *præfecto, &* Eusebio *ex comite rei priuatæ, cui cognomentum erat indito* Mattiocobæ, *atque* AEdesio *ex magistro memoriæ, quos ad consulatum ut amicos iunctissimos idem curarat subrogari præfectus: & periculo serie literarum absersa, sola in columi relicta subscriptione, alter multum à uero illo dissonans, superscribitur textus: uelut* Siluano *rogante uerbis obliquis, hortantéque amicos agentes intra palatium, uel priuatos, inter quos & Thuscus erat* Albinus, *aliique plures, ut se altiora cœptantem, & propediem solium principis aditurum iuuarent. hunc fascem ad arbi-*

trium figmenti commisit, uitam pulsaturus insontis. Dynamius præfectus est ut hæc pro imperatore scrutaretur. Hæc & simlia cum astu texeret, consistoriũ solus ingressus intimum, captato tempore uincire sperans perugilem salutis imperatoriæ custodem. Lectãque in consistorio astu callido consarcinata materia, tribuni iussi sunt custodiri, & de prouincijs duci priuati, quorũ epistolæ nomina designabant. Confestimque iniquitate rei percitus Malarichus gentilium rector, collegis adhibitis strepebat immaniter, circumueniri homines dicatos imperio per factiones & dolos minime debere proclamans: petebatque ut ipse relictis obsidum locis necessitudinibus suis, Mallobaude armaturarum tribuno spondente quòd remearet uelocius, iuberetur ire ductarus Siluanum, aggredi nihil tale conatum, quale insidiatores acerrimi concitarunt: uel contra se paria promittente Mallobaudem orabat properare permitti, hæc quæ ipse pollicitus est impleturum. Testabatur enim id se proculdubio scire, quòd si quis mitteretur externus, suopte ingenio Siluanus etiam nulla re perterrente timidior, composita forte turbaret. Et quanquam utilia moneret & necessaria, uentis tamen loquebatur incassum. Nãque Arbetione autore, Apodemius ad eum uocandum cum literis mittitur, inimicus bonorum omnium diuturnus & grauis: qui incidẽtis cum uenisset in Gallias dissidens à mandatis conuentis, quæ proficiscenti sunt data, nec uiso Siluano, nec oblatis scriptis ut ueniret admonito remansit: adscitóque rationali quasi proscripti iámque necandi magistri peditum cliẽtes & seruos hostili tumore uexabat. Inter hæc tamen dum præsentia Siluani speratur, & Apodemius quieta perturbat, Dynamius ut argumento ualidiore impie structorum assereret fidem, compositas

d.i.

literas, his concinnentes quas obtulerat principi per præfectum ad tribunum miserat fabricæ Cremonensis nomine Siluani *&* Malarichi, *à quibus ut arcanorum conscius monebatur parare propere cuncta. Qui cum hæc legisset, hærens, & ambigens diu quidnam id esset (nec enim meminerat secum aliquãdo super negotio ullo interiore hos quorum literas accperat, colloquutos) epistolas ipsas per baiulum qui portarat, iuncto milite ad* Malarichum *misit, obsecrans ut doceret aperte quæ uellet, non ita perplexe: nec enim intellexisse firmabat, ut subagrestem & simplicem, quid significatum esset obscurius. Hæc* Malarichus *subito nactus, etiam tunc squalens & mœstus suámque & popularis* Siluani *uicem graui ter ingemiscens, adhibitis* Francis, *quorum ea tempestate in palatio multitudo florebat, erectius iam loquebatur: tumultuabatúrque, factis insidijs, retectáque iam fallacia, per quã ex confesso salus eorũ appetebatur. Hisque cognitis statuit imperator, dispiciẽtibus consistorianis & militaribus uniuersis in negotium præterinquiri. Cúmque iudices fastidissent,* Florentius Nigriniani *filius agens tunc pro magistro officiorum, contemplans diligentius scripta, apicúmque pristinorum reliquias quasdã reperiens, animaduertit tũ factum ex priore textu interpollato longe alium quàm dictarat* Siluanus, *ex libidine consarcinatæ falsitatis adscriptum. Proinde fallaciarum nube discussa, imperator doctus gesta relatione fideli, abrogata potestate, præfectum statui sub quæstione præcipit, sed absolutus est enixa conspiratione multorum: suspensus autem* Eusebius *ex comitè priuatarum, se conscio hæc dixerat concitata.* AEdesius *enim nescisse quid actum sit pertinaci insiciatione contendens abijt innoxius. & ita finito negotio, omnes sunt absoluti, quos exhibe-*

ri delatio compulit criminis. Dynamius uero ut præclaris artibus illustratus, cum correctoris dignitate abijt, necnon corrigere iussus est Thuscus reliquam principis creduli militiã. Agens inter hæc apud Agrippinam Siluanus, assiduisque suorum compertis nuntijs, quæ Apodemius in labem suarum ageret fortunarum, & sciens animum tenerum uersabilis principis in dicta causa, timens ne absens & indemnatus perageretur reus, in difficultate positus maxima, barbaricæ se fidei committere cogitabat. Sed Lanio gaiso uetante, tunc tribuno, quem dum militaret candidatus, solum adfuisse morituro Constanti supra scripsimus, docentéque Francos unde oriebatur interfecturos eũ, aut accepto præmio proditurosque, nihil tutum ex præsentibus ratus, in consilia cogebatur extrema: & sensim cũ principiorũ uerticibus secretius collocutus, ijsdémque magnitudine promissæ mercedis annisis, cultu purpureo, draconum & uexillorũ insignibus ad tempus abstracto, ad culmen imperiale surrexit. Dúmque hæc aguntur in Gallijs, ad occasum inclinato iam die, prefertur Mediolanum insperabilis nuntius, aperte Siluanum demonstrans, dum ex magistro peditũ altius nititur solicitato exercitu ad Augustum culmen euectum. Hac mole casus inopini Constantio icto, quasi fulmine fati, primates consilio secunda uiglia conuocato properarunt omnes in regiam. Cúmque nulli ad eligendum quid agi deberet mens suppetere posset aut lingua, summissis uerbis perstringebatur: fit mentio ut consilijs rei bellicæ præstantissimi, frustráque graui iniuria lacessiti. & per admissionem magistrum, qui mos est honoratior, acito eodem, ingresso consistorium offertur purpura multo quàm antea placidius primus exterorum & regio more instituit adorari, cum semper antea

ad similitudinem indicum salutatos principes legerimus. Ita is qui paulo antea cum insectatione maleuola, Orientis uorago, muadendáque summæ rei per filios adsectator compellabatur: tunc dux prudentissimus & Constantini Magni fuerat commilito, solúsque ad extinguendũ probis quidem, sed insidiosis rationibus petebatur. Diligens enim opera nauabatur Siluanum extingui, ut fortissimum perdu ellem: aut si secus accidisset, Vrsicinum exulceratum iam penitus aboleri, ne superesset scrupulus impendio formidandus. Igitur cum de profectione cælebranda disponeretur, propulsationem obiectorum criminum eundem ducem parãtem prægressus oratione leni prohibet imperator, nõ id esse memorans tempus, ut controuersia defensio causæ susciperetur, cum uicissim restitui in pristinam concordiam partes, necessitas subigeret urgentium rerum, antequam crescæret mollienda. Habita igitur deliberatione multiplici, potissimum tractabatur, quo commento Siluanus gesta etiam tum imperatorem ignorare existimaret: probabili argumento ad firmandam fidem reperto, monetur honorificis scriptis, ut accepto Vrsicino successore, cum potestate rediret intacta. Post hæc ita digesta protinus iubetur exire tribunus: & protectores domesticos decem, ut postularat, ad iuuandas necessitates publicas secum duxit. Inter quos ego quoque eram cum Veriniano collega, residui omnes propinqui & familiares. Iámque eum egressum solum de se metu quisque per longa spatia deducebat. Et quanquam ut bestiarij obijceremur intractabilibus feris, perpendentes tamen hoc bonum habere tristia præcedentia, quod in locis suis secunda substituunt, mirabamur illam sententiam Tullianam in æternis ueritatis ipsius adytis promulgatam, quæ est talis: Et quanquam optatissimum

est perpetim fortunam quàm florentissimam permanere, il la tamen qualitas uitæ non tantum habet sensum, quantum cum ex sæuis & perditis rebus ad meliorem statum fortuna reuocatur. Festinamus itaque itineribus magnis, ut ambitiosus magister armorum ante allapsum per Italicos de tyrannide ullum rumorem in suspectis finibus appareret. Verum cursim nos properantes erratica quædam ante uolans prodiderat fama: & Agrippinam ingressi inuenimus cuncta nostris conatibus altiora. Nanque conuena undique multitudine trepide cœpta fundante, coactisque copijs multis, pro statu rei præsentis id aptius uidebatur, ut ad imperatoris nouelli, per ludibriosa auspicia uirium accessus firmantis, sensum ac uoluntatem dux flebilis uerteretur: quo uarijs assentandi figmentis in mollius urgente securitate, nihil metuens hostile deciperetur. Cuius rei finis arduus uidebatur. Erat enim cautius obseruandum ut appetitus opportunitati obtemperarent, nec præcurrentes eam, nec deferentes: qui si eluxissent in tempestiue, constabat nos omnes sub elogio uno mortæ multandos. Susceptus tamen idem dux leniter, adactúsque inclinante negotio ipso ærumnæ adorare solenniter anhelantem elsius purpuram, specialius colebatur, & intimus facilitate aditus, honoréque mensæ regalis adeo antepositus alijs, ut iam secretius de rerum summa consultaretur. Aegre ferebat Siluanus ad cõsulatum potestatésque sublimes elatis indignis, se & Vrsicinũ solos post exudatos magnos pro Repub. labores & crebros: ita fuisse despectos, ut ipse quidem per quæstiones familiarium sub disceptatione ignobili crudeliter agitatus, commisisse in maiestatem arcesseretur: alter uero ab Orientæ raptus, odijs inimicorum adducæretur: & hoc assidue clàm querebatur & palàm. Ter

rebant nos tamen cum dicerentur hæc & similia, circumfrementia undique murmura causantis inopiam militis, & rapida celeritate ardentis angustias Alpium perrumpere Cottiarum. In hoc æstu mentis ancipiti, ad effectum tendens cõsilium occulta scrutabamur indagine: sederátque tandem mutatis præ timore sæpe sententijs, ut quæsitis magna industria cautis ministris, obstricto religionum consecratione colloquio, Bracciti solicitarentur atque Cornuti, fluxioris fidei & ubertate mercedis ad momentum omne uersabiles. Firmato itaque negotio, per sequestres quosdam gregarios obscuritate ipsa ad id patrandum idoneos, præmiorũ expectatione accensos, solis ortu iam rutilo subitus armatorum globus erumpit: atque, ut solet in dubijs rebus, audentior cæsis custodibus regia penetrata Siluanum extractum ædicula, quò exanimatus confugerat, ad conuenticulum ritus Christiani tendentem, densis gladiorum ictibus trucidant. ita dux haud exilium meritorum hoc genere oppetit mortis, metu calumniarum, quibus factione iniquorum irretitus est absens, ut tueri possit salutem ad præsidia progressus extrema. Licet enim ob tempestiuam illam cum armaturis proditionem ante Mursense prælium, obligatum gratia retineret Constantium, ut dubium tamen & mutabilem uerebatur: licet patris Bonitij prætenderet fortia facta, sed pro Constantini partibus in bello ciuili acriter contra Licinianos sæpe uersati. Euenerat autem antequam huiusmodi aliquid agitaretur in Gallijs, Romæ in circo maximo populus, incertum ratione quadam percitus, an præsagio, ut Siluanus deiectus est magnis uocibus exclamaret. Igitur Siluano Agrippinæ, ut relatum est, interfecto, mæstimabili gaudio re cognita, princeps insolentia coalitus & tumore, hoc quoque

felicitatis suæ prosperis cursibus adsignabat: eo more, quo semper oderat fortiter facientes, ut quondam Domitianus, superare tamen quacunque arte contraria cupiebat. Tantúmque abfuit laudare industrie gesta, ut etiam quædam scriberet de Gallicanis intercepta thesauris, quos nemo attigerat. Idq; scrutari iusserat arctius, interrogato Remigio etiam tum rationario apparitionis armorum magistri, cui multo postea Valentiniani temporibus laqueus uitam in causa Tripolitanæ legationis rupit. Post quæ ita completa, Constantius ut iam cælo contiguus, cæsibúsque imperaturus humanis, magniloquentia fastúque sufflabatur adulatorum: quos augebat ipse, spernendo proïciendóque id genus parum callentes: ut Cræsum legimus ideo regno suo Solonem expulisse præcipitem, quia blandiri ne sciebat: Et Dionysium intentare poetæ Philoxeno mortem, cum eum recitantem proprios uersus absurdos & inconcinnos laudantibus cunctis solus audiret immobilis: quæ res perniciosa uitiorum est altrix. ea demum laus grata esse potestati debet excelsæ, cum interdum & uituperationi secus gestorum pateat locus. Iámque post securitatem quæstiones agitabãtur de more, ex uinculis catenísque plures ut noxij plectebantur. Exurgebat enim efferuens lætitia Paulus tartareus ille delator ad uenenatas artes suas licentius exercendas: & inquirentibus in negotium consistorianis atque militaribus, ut præceptum est, Proculus admouetur eculeo, Siluani domesticus, homo gracilis & morbosus, metuentibus cunctis, ne ui nimia tormentorum leui corpore fatigato reos atrocium criminum promiscue citari faceret multos. Verum contra quàm speratum est contigit. Memor enim somnij quo uetitus erat per quietem, ut ipse firmaut, pulsare quenquam insontem, usque ad

confinia mortis uexatus, nec nominauit, nec prodidit aliquem: sed adserebat factum Siluani constanter, id eum cogitasse quod mijt, non cupiditate, sed necessitate compulsum argumento euidenti demonstrans. Causam enim probabilem ponebat in medio multorum testimonijs claram, quòd die quinto antequam insulas susciperet principatus, donatum stipendio militem Constantij nomine adlocutus est, fortis esset & fidus. Vnde apparebat, quòd si præsumeret fortunæ superioris insignia, conaretur auri tam graue pondus repetere ut suum. Post hũc damnatorum sorte Pœmenius raptus ad supplicium interijt: qui (ut supra retulimus) cum Treuiri ciuitatem Cæsari claussissent Decentio, ad defendẽdam plebem electus est. Tum Asclepiodotus, & Lutto, & Maudio comites interempti sunt, aliique plures. Hæc & similia perplexe temporis obstinatione scrutante, dum has exitiorum communium clades suscitat turbo feralis, Vrbem æternam Leontius regens, multa spectati iudicis documenta præcipiebat, in audiendo celer, in disceptando iustissimus, natura beneuolus, licet autoritatis causa seruandæ acer quibusdam uidebatur, & inclinatior ad amandum. Prima igitur ars seditionis in eum concitandæ ulissima fuit & leuis. Philoromum enim aurigam rapi præceptum, sequuta plebs omnis uelut defensura proprium pignus, terribili impetu præfectum incessebat ut timidum: sed ille stabilis & erectus immussis apparitoribus correptos aliquos uexatósque tormentis, nec strepente ullo, nec obsistente insulari pœna mulctauit. Diebúsque paucis sequutis cum itidem plebs excita calore quo consueuit, uim causando ad Septizonium conuenisset celebrem locum, ubi operis ambitiosi Nymphæum Marcus condidit imperator: illuc de industria per-

gens præfectus ab omni toga apparitionéq; rogabatur enixius, ne in multitudinem se arrogantem immutteret, & minacem ex commotione pristina sæuientem: difficilisque ad pauorem recti tetendit, adeo ut eum obsequentiũ pars desereret, licet in periculũ festinantem abruptum. Insidẽs itaque uehiculo cum speciosa fiducia contuebatur acribus oculis tumultuãtum undique cuneorum ueluti serpentium uultus, perpessúsque multa dici probrosa, agnitum quendã inter alios eminentiem, uasti corporis, rutilique capilli, interrogauit an ipse esset Petrus Valuomeres ut audierat cognomento: eúmque, cum esse sono respondisset obiurgatorio, ut seditiosorum antesignanum olim sibi compertum, reclamantibus multis' post tergo manibus uinctis suspendi præcepit. Quo uso sublimi tribuliúmque adiumentum nequaquam implorãte, uulgus omne paulo ante confertum per uaria urbis mẽbra diffusum ita euanuit, ut turbarum acerrimus concitor tanquam in iudiciali secreto exaratis lateribus ad Picenum eijceretur: ubi postea ausus eripere uirginis non obscuræ pudorem, Patruini consulari sententia supplicio ob id capitali addictus. Hoc administrante Leontio, Liberius Christianæ legis antistes à Cõstantio ad comitatum mitti præceptus est, tanquam imperatoris iussis & plurimorum sui consortium decretis obsistens, in re, quam breui textu percurram. Athanasium episcopum eo tempore apud Alexandriam ultra professionem altius se efferentem, scisitarique conatum externa, ut prodidere rumores assidui, cœtus in unum quæsitus eiusdem loci multorum (synodus ut appellant) remouit à sacramẽto quod obtinebat. Dicebatur enim fatidicarũ sortium fidẽ, quéue augurales portenderẽt alitẽs, scientissime callẽs, aliquoties prædixisse futura. Super his intendebantur ei alia quoque

à præposito legis abhorrētia, cui præsidebat. Hūc per subscriptionem abijcere sede sacerdotali, paria sentiēs cæteris iubente principe Liberius monitus perseuerenter renitebatur, nec uisum hominem, nec auditū damnare nefas ultimum sæpe exclamans, apertè scilicet recalcitrans imperatoris arbitrio. Id enim ille Athanasio semper infestus, licet sciret impletum, tamen autoritate qua potiores æternæ Vrbis episcopi, firmari desiderio nitebatur ardenti. quo non impetrato, Liberius ægre populi metu, qui eius amore flagrabat, cum magna difficultate noctis medio potuit asportari. Et hæc quidē Romæ, ut ostendit textus superior, agebantur. Constantium uero exagitabant assidui nuntij, deploratas iam Gallias indicantes, nullo renitente ad internicionem barbaris uastantibus uniuersa. æstuánsque diu qua ui propulsaret erumnas, ipse in Italia residens, ut cupiebat (periculosum enim existimabat se in partem contrudere longè dimotam) reperit tandem cōsilium rectum: & Iulianum patruelē fratrem haud ita dudū ab Achaia contractum accitu, etiam tum palliatum, in societatem imperij assiciscere cogitabat. Id ubi urgente malorum impendentium mole est confessus proximis, succumbere tot necessitatibus támque crebris unum se, quod nunquam fecerat, apertè demonstrās: illi in assentionem nimiam eruditi infatuabant, nihil esse ita asperum dictitantes, quod præpotens uirtus, fortunáque tam uicina sideribus non superaret ex more. Addebántque noxarum conscientia stimulante complures, deinceps caueri debere Cæsaris nomen, replicantes gesta sub Gallo. quis adnitentibus obstinate, opponebat se sola regina, in certum migrationem ad longinqua pertimescens, an pro natiua prudētia consulens in cōmune, omnibúsque memorās anteponi debere propinquum. Post

multáque per deliberationes ambiguas agitata, stetit fixa sententia: abiectisq; disputationibus irritis, ad imperium placuit Iulianum assumere. Cum uenisset accitus prædicto die, aduocato omni quod aderat commilitio, tribunali ad altiorem suggestum erecto, quod aquilæ circundederũt & signa, Augustus insedens, eúmque manu retinens dextera, hæc sermone placido peroraut: Assistimus apud uos optimi Reip. defensores, causæ cõmuni uno penè omnium spiritu uindicandæ, quam acturus tanquam apud æquos iudices succinctius edocebo. Post meritum rebelliũ tyrannorum, quos ad hæc tentanda quæ mouerũt rabies egit & furor, uelut impijs eorũ manibus Romano sanguine parentantes, insultant barbari Gallias rupta limitum pace, hac animati fiducia, quod nos per disiunctissimas terras arduæ necessitates adstrigunt. Huic igitur malo ultra opposita iã proserpenti, dum patitur tempus occurrerit nostri uestríque cõsulti suffragium, & colla superbarum gentium detumescent, & imperij fines erunt intacti. restat ut rerum spem, quam gero, secũdo roboretis effectu. Iulianũ hunc fratrem meum patruelem, ut nostis, uerecũdia, qua nobis ita ut necessitudine charus est, recte spectatum, iámque eluentis industriæ iuuenem, in Cæsaris adhibere potestatem exopto, cœptis si uidentur utilia etiam uestra concessione firmandis. Dicere super his plura conantem interpellans concio lenius prohibebat, arbitrium summi Iouis id esse, non mentis humanæ, uelut præscia uenturi prædicans. Stánsque imperator immobilis, dum silerent, residua fidẽtius explicauit. Quia igitur uestrũ quoq; fauores adesse fremitus indicat lætus, adulescens uigoris tranquilli, cuius temperati mores emittendi sunt potius quàm prædicandi, ad honorem prosperatum exurgat: cuius præclaram

indolē bonis artibus institutam hoc ipso plene uideor exposuisse quod elegi. Ego eū præsente nutu Dei cælestis amictu principali uelabo. Dixit: Móxque indutum amita pur. pura Iulianum, & Cæsarem cum exercitus gaudio declaratum, his alloquitur cōtractiore uultu submœstū: Recepisti primæuus originis tui splendidum florem, amantissime mihi omnium fratrē: aucta gloria mea confiteor, qui iustus in deferenda superiori potestate nobilitati mihi propinquæ, quàm ipsa potestate uideor esse sublimis. Adesto igitur laborum, periculorūmque particeps, & tutelam ministerij suscipe Galliarum, omni beneficentia partes leuaturus afflictas: & si hostibus congredi sit necesse, fixo gradu consiste inter signiferos ipsos audendi tempore considerātus hortator: pugnantes accendēs præeundo cautissime, turbatōsque subsidijs fulciens, modeste increpans desides, uerissimus testis affuturus industrijs & ignauis. Prom urgente rei magnitudine, perge uir fortis ductūrus uiros itidē fortes. aderimus nobis uicissim amoris robusta constantia, militabimus simul, unà orbem pacatum, Deus modo uelit quod oramus, pari moderatione pietatēq; recturi. Mecum ubiq; uidēberis præsens, & ego tibi quodcūque acturo non deero. ad summa mihi propera socijs omniū uotis, uelut assignatam tibi ab ipsa Rep. stationem cura perugili defensurus. Nemo post hæc finita reticuit: sed militares omnes horrendo fragore, scuta genibus illidentes, quod est prosperitatis indicium plenum (nam cōtra cum hastis clypei feriūtur, ira documentum est, & doloris) immane quo quantōque gaudio præter paucos Augusti probauere iudicium: Cæsarémque admiratione digna suscipiebant, imperatorij muricis fulgore flagrantem: cuius oculos cum uenustate terribiles, multūmque excitatius gratum, multum

diúque contuentes, qui futurus sit colligebāt, uelut scrutatis uetteribus libris, quorum lectio per corporū signa pandit animarum interna. Eúmque ut potiori reuerētia seruaretur, nec supra modū laudabant, nec infra quàm decebat: atque ideo cænorum uoces sunt æstimatæ, non militum. Susceptus denique ad concessum uehiculi, receptúsque in regiam, hunc uersum ex Homerico carmine susurrabat, ἔλλαβε πορφύριος θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή. Hæc die octauo Iduum Nouembrium gesta sunt, cum Arbetionem consulem annus haberet & Lollianum. Deinde diebus paucis Helena Cōstatij sorore, eidem Cæsari coniugali fœdere copulata, paratisque uniuersis, quæ maturitas proficiscendi poscebat, comitatu paruo susceptio, Calendis Decembribus egressus est: deductúsque ab Augusto adusque locum duabus columnis insignem, qui Laumellum interiacet & Ticinum, itineribus rectis Taurinos peruenit. ubi nuntio percellitur graui, qui nuper in comitatum Augusti perlatus de industria silebatur, ne parata diffluerēt. Indicabat autem Coloniam Agrippinam ampli nominis urbem in secunda Germania, pertinaci Barbarorū obsidione reseratam, & magnis uiribus deletā. Quo mœrore perculsus uelut primo aduentantium malorum auspicio, murmurans querulis uocibus sæpe audiebatur: nihil se plus assecutum, quàm ut occupatior interiret. Cúmque Viennam uenisset, ingredientem optatum quidem & imperatorem honorificè susceptura omnis ætas concurrebat & dignitas: procúlque uisum plebs uniuersa cum uicinitate finitima imperatorē clementem appellans & faustum, præuia consonis laudibus celebrabat, auidius pompam regiam in principe legitimo cernens: cōmuniúmque remedium ærumnarum in eius locabat aduentu, salutarem quendā Genium afful-

sisse conclamans, nec secius arbitrata. Tunc anus quædam orba luminibus, cum percõtando quinam esset ingressus, Iulianum Cæsarem comperisset, exclamauit, hunc deorum templa reparaturum. Proinde quoniã, ut Mantuanus uates prædixit excelsus, Maius opus moueo, maiórque mihi rerum nascitur ordo, Galliarũ tractus & situm ostendere puto nunc tempestatiuum, ne inter procinctus ardẽtes præliorúmque uarios casus ignota quibusdam expediens, imitari uidear desides nauticos, attrita lintea cum rudentibus, quæ licuit parari securius, inter fluctus resarcire coactos & tẽpestates. Ambigentes super origine prima Gallorum scriptores ueteres, notitiã reliquere negotij semiplenam: sed postea Timagenes & diligentia Græcus & lingua, quæ diu sunt ignorata, collegit ex multiplicibus libris: cuius fidem secuti obscuritate dimota, eadẽ distincte docebimus & apertè. Aborigines primos in his regionibus quidã uisos esse firmarũt, Celtas nomine regis amabilis, & matris eius uocabulo ~~Galatas~~ dictos: ita enim Gallos sermo Græcus appellat. Alij, Doriense antiquiorẽ sequutos Herculem, oceani locos inhabitasse confines. Drasidæ memorãt reuera fuisse populi partem indigenã. Sed alios quoque ab insulis extimis confluxisse & tractibus transrhenanis, crebritate bellorũ, & alluuione feruidi maris sedibus suis expulsos. Aiunt quidam paucos post excidium Troiæ, fugitantes Græcos ubique dispersos, loca hæc occupasse, tũc uacua. Regionum autẽ incolæ id magis omnibus asseuerant, quod etiam nos legimus in monumentis eorum incisum: Amphitryonis filium Herculẽ ad Geryonis & Taurisci sæuorum tyrannorum perniciem festinasse, quorum alter Hispanias, alter Gallias infestabat: superatisque ambobus coisse cum generosis fœminis, susepisséque liberos plures,

& eos partes quibus imperitabant, suis nominibus appellasse. A Phocæa uero Asiaticus populus Harpali inclementiã uitans Cyri regis præfecti, Italiam naugio petijt. Cuius pars in Lucania Veliam, alia condidit in Viennensi Massiliam. dein secutis ætatibus oppida aucta uirium copia, instituere non pauca: sed declinanda uarietas sæpe satietati coniuncta. Post hoc loci hominibus paulatim excultis ingruere studia laudabiliũ doctrinarũ, inchoata per Bardos, & Eubages, & Druidas. & Bardi quidem fortia uirorum illustrium facta herocis composita uersibus cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt: Eubages uero scrutantes summa & sublima naturæ pãdere conabantur. Inter hos Druidæ ingenijs celsiores, ut autoritas Pythagoræ decreuit, sodalitijs astricti consortijs, quæsionibus occultarum rerum altarúmque erecti sunt, & despectantes humana pronũtiarunt animas immortales. hanc Galliarum plagam ob suggestus montium arduos, & horrore niuali semper obductos, orbis residui molis ante hac penè ignotam, nisi quà littoribus est uicina, munimina claudũt undique natura uelut arte circundata. & à latere quidẽ australi Tyrrheno alluitur & Gallico mari: quà cœleste suspicit plaustrũ, à feris gẽtibus fluẽtis distinguitur Rheni: ubi occidẽtali subiecta est sideri, oceano, & altitudine Pirenæi surgitur. unde ad solis ortus attolitur, aggeribus cedit Alpium Cottiarũ: quas rex Cottius perdomitis Gallijs, solus in angustijs latens, inuidque locorũ asperitatẽ cõfisus, lenito tandẽ timore in amicitiã Octauiani receptus principis, molibus magnis extruxit ad uiæm memorabilis muneris compẽdiarias & uiantibus opportunas, medias inter alias Alpes uetustas, super quibus cõperta paulo postea referemus. In his Alpibus Cottijs, quarũ initium à Segusione

oppido est, præcelsum erigitur iugum nulli ferè sine discrimine penetrabile. Est enim è Gallis uenientibus prona hu militatæ deuexum, pendentium saxorum altrinsecus uisu terribile, præsertim uerno tempore: cum liquente gelu, niuibúsque solutis flatu calidiore uentorũ, per diruptas utrinque angustias, & lacunas prunarum cõgerie latebrosas, descendẽtes cunctantibus plãtis homines & iumenta procidunt & carpenta: ídque remediũ ad arcendum exitium repertũ solum, quòd pleraque uehicula uastis funibus colligata, ponè cohibente uirorum uel boum nisu ualido, uix gressu reptante paulo tutius deuoluuntur. Et hæc, ut diximus, anni uerno contingunt. Hyeme uero humus crustata frigoribus, & tanquam leuigata, ideóque labilis incessum præcipitantem impellit, & patulæ ualles per spacia plana glacie perfidæ uorant nonnunquam transeuntes. ob quæ callidi, eminentes ligneos stylos per cautiora loca defigunt, ut eorum series uiatorem ducat innoxium: qui si niuibus operti latuerint, montanis defluẽtibus riuis euersi, agrestibus præuijs difficile peruadũtur. A summitate autem huius Italici cliui planicies adusque stationem nomine Martis, per septem extenditur milia: & hinc alia celsitudo erectior, ægréque superabilis ad Matronæ porrigitur uerticem, cuius uocabulum casus fœminæ nobilis dedit. Vnde decliue quidem iter, sed expeditius adusque castellũ Virgantiam patet. Huius sepulchrum reguli, quem itinera struxisse retulimus, Segusione est mœnibus proximum: manéque eius ratione gemina religione colũtur: quòd iusto moderamine rexerat suos: & adscitus in societatẽ rei Romanæ, quietem gẽti præstitit sempiternam. & licet hæc, quam diximus uiam, media sit, & compendiaria, magísq; celebris, tamen etiam aliæ multo antea temporibus sunt

constructæ diuersis. primâ Thebanus Hercules ad Geryonem extinguendum, ut relatum est, & Taurisciam lenius gradiens, prope maritimas cõposuit Alpes. hícque harũ nomen indidit. Monœci simultèr arcem & portum ad perennem sui memoriam consecrauit. Deinde emensis postea seculis multis, hac ex causa sunt Alpes excogitatæ Pœninæ. Superioris Africani pater P. Cornelius Scipio Saguntinis memorabilibus ærumnis & fide, pertinaci destinatione Afrorũ obsessis, iturus auxilio, in Hispaniam traduxit omnistam manu ualida classem. sed ciuitate potiore Marte deleta, Annibalẽ assequi nequiens, triduo ante transito Rhodano ad Italiæ partes contendentẽ, nauigatione ueloci intercurso spatio maris haud lõgo, digressurũ montibus apud Genuam obseruabat Liguriæ oppidum, ut cum eo, si copiã fors dedisset, uiarũ asperitate fatigato decerneret in planicie. consulens tamen rei communi, Cn. Scipionem fratrem ire monuit in Hispanias, ut Hasdrubalem eximde similiter erupturũ arceret. quæ Annibal doctus à perfugis, ut erat expeditæ mentis & callidæ, Taurinis ducentibus accolis per Tricastinos & oram Vocontiorũ extremam ad saltus Tricorios uenit. indéque exorsus, aliud iter antehac insuperabile fecit: excisáque rupe ~~in immensum elata~~, quam cremando ~~in magna flammarum~~, acetóque infuso dissoluit, per Druentiam flumen gurgitibus uagis intutum, regiones occupauit Hetruscas. Hactenus super Alpibus: nũc ad restantia ueniamus. Tẽporibus priscis cum laterent hæ partes ut barbaræ, tripartitæ fuisse creduntur, in Celtas eosdẽ Gallos diuisæ, & Aquitanos, & Belgas, lingua, institutis, legibusque discrepantes. & Gallos quidem, qui sunt Celtæ, ab Aquitanis Garumna disterminat flumẽ, à Pirenæis oriens collibus, postque oppida multa transcursa in oceano

delitescens. à Belgis uero eandem gentem Matrona discindit, & Sequana: amnes magnitudinis geminæ: qui fluentes per Lugdunensem, post circunclausum ambitu insulari Parisiorum castellum Lutetiam nomine, consociatim meant: meantéque protinus prope castra Constantia funduntur in mare. Horum omnium apud ueteres Belgæ dicebantur esse fortissimi, ea propter quòd ab humaniore cultu longe discreti, nec aduentitijs effœminati delicijs, diu cum Transrhenanis certauere Germanis. Aquitani enim, ad quorum littora ut proxima placidáque meres aduentitiæ conuehuntur, moribus ad mollitiem lapsis facile in ditionem uenere Romanam. Regebantur autem Galliæ omnes, iam inde ut crebritate bellorum urgẽti cessere Iulio dictatori, potestate in partes diuisa quatuor: quarum Narbonensis una, Viennensem intra se continebat, & Lugdunensem: altera Aquitanis præerat uniuersis. superiorem Germaniam, Belgásque duæ iurisdictiones ijsdem rexere temporibus. at nunc numerantur prouinciæ per omnem ambitum Galliarum. secunda Germania, prima ab Occidentali exordiens cardine, Agrippina & Tungris munita ciuitatibus amplis & copiosis. deinde prima Germania, ubi præter alia municipia Magontiacus est, & Vangiones, & Nemetes, & Argentoratus barbaricis cladibus nota. Post has Belgica prima Mediomatricos prætendit, & Treuiros domicilium principum clarum. huic adnexa est secunda Belgica, qua Ambiani sunt urbs inter alias eminens, & Cathelauni & Remi. apud Sequanos Byzantios uidimus, & Rauracos, alijs potiores oppidis multis. Lugdunensem primam Lugdunus ornat, & Cabillona, & Senones, & Biturigæ, & mœnium Augustuduni magnitudo uetusta. Secundam enim Lugdu-

nẽsem Rothomagi, *&* Turini Mediolanum *ostendunt: &* Tricastini, Alpes Graiæ *&* Pœninæ, *exceptis obscurioribus habent, &* Auenticum, *desertam quidem ciuitatem, sed non ignobilem quondam, ut ædificia semiruta nunc quoque demonstrant.* Hæ *prouinciæ, urbésque sunt splendidæ Galliarum.* Aquitania, *quæ* Pirenæos *montes & eam partem spectat* Oceani, *quæ pertinet ad* Hispanos. Prima *prouincia est* Aquitanica, *amplitudine ciuitatum admodum culta: omissis alijs multis,* Burdegala, *&* Auerni *excellunt, &* Santones, *&* Pictaui. *Nouem populos* Ausci *commendant, &* Vasatæ. *In* Narbonensi *clusa est* Narbona, *&* Tolosa, *quæ principatum urbium tenent.* Viennensis *ciuitatum exultat decore multarum, quibus potiores sunt* Vienna *ipsa, &* Arelatæ, *&* Valentia: *quibus* Massilia *iungitur: cuius societate & uiribus in discriminibus arduis fultã aliquoties legimus* Romam. *His propè* Sallumij *sunt, &* Nicæa, *&* Antipolis, *insuléque* Stœchades. *& quoniam ad has partes opere contexto peruenimus, silere super* Rhodano *maximi nominis flumine incongruũ est, & absurdum.* A Pœninis Alpibus *effusiore copia fontium* Rhodanus *fluens, & proclium impetu ad planiora digrediens, proprio agmine ripas occultat, & paludi sese ingurgitat nomine* Lemano: *eámque intermeans nusquam aquis miscetur externis: sed altrinsecus summitates undæ præterlabens, quæritãs exitus, uiam sibi impetu uelóci molitur.* Vnde *sine iactura rerum per densa paludium fertur, &* Sequanos, *longéque progressus* Viẽnensem *latere sinistro perstringit, dexter* Lugdunensem: *& emensus spatia fluctuosa,* Ararim, *quẽ* Saucõnam *appellãt, inter* Germaniã *primã fluentem, suũ in nomen adscisit: qui locus exordium est* Galliarum. *Eximdéque non millenis*

passibus, sed leucis itinera metiuntur, ubi Rhodanus *aquis aduenis locupletior, uehit grandissimas naues, uentorũ flatu iactari sæpius assuetas. finitúsque inter ualles, quas ei natura præscripsit, spumeus Gallico mari concorporatur per patulum sinum, quem uocant* Ad gradus, *ab* Arelate *octauo decimo fermè lapide disparatũ. Sit satis de situ locorum. nunc figuras & mores designabo.* Celsioris *staturæ, & candidi penè* Galli *sunt omnes, & rutili, luminúmque toruitate terribiles, audi iurgiorum, & sublatius insolescentes.* Nec *enim eorum quenquam, adhibita uxore rixantem, multo fortiore & glauca, peregrinorum ferre potẽrit globus: tum maxime cum illa inflata ceruice suffrendẽs, ponderdnsque niueas ulnas & uastas, admissis ad cibos emittere cœperit pugnos, ut catapultas tortilibus neruis excussas. metuendæ uocẽs complurium, & minaces, placatorum iuxta & irascentiũ: tersi tamen pari diligentia cuncti & mundi: nec in tractibus illis, maximéq; apud* Aquitaniam, *poterit uideri uel fœmina, licet per quàm pauper, ut alibi, frustis squalere pannorum.* Ad *militãdum omnis ætas aptissima, & pari pectoris robore senex ad procinctũ ducitur, & adultus gelu duratis artubus, & labore assiduo multa contempturus & formidanda: nec eorum aliquãdo quisquam, ut in* Italia, *munus* Martiũ *pertimescens pollicem sibi præcidit, quos iocaliter murcos appellant.* Vini *auidum genus, affectans ad uini similitudinem multiplices potus: & inter eos humules quidam obtusis ebrietate continua sensibus, quam furoris uoluntariam speciem esse* Catoniana *sententia definiuit, raptantur discursibus uagis: ut uerum illud uideatur, quod ait defendẽs* Fonteium Tullius, *Gallos post hæc dilutius esse poturos, quod illi uenenum esse arbitrabantur.* Hæ *regiones, præcipuè quæ*

confines Italicis, *paulatim leuius odere sub imperium uenire* Romanum: *primo tentatæ per* Fuluium *prælijs paruis, quassatæ per* Sextium, *ad ultimum per* Fabium Maximum *domitæ: cui negotij plenus effectus, asperiore* Allobrogum *genæ deuicta, hoc indidit cognomentum. nam omnes* Galliæ, *nisi quæ paludibus inuiæ fuere, ut* Sallustio *docetur autore, post decennalis belli mutuas clades, societatique nostræ fœderibus iunxit æternis.* Euectus *sum longius, sed remeabo tandem ad cœpta.* Domitiano *crudeli morte cõsumpto,* Musonianus *successor in* Oriẽte *prætoriam regebat potestatẽ præfecti, facũdia sermonis utriusque clarus: unde sublimius quàm sperabatur eluxit.* Constantinus *enim cum limatius superstitionum quæreret sectas* Manicheorum *& similium, nec interpres inueniretur idoneus, hunc sibi commendatum ut sufficientem elegit: quem officio functum peritæ,* Musonianum *uoluit appellari, ante* Strategium *dictitatũ: & ex eo percursis honorum gradibus multis, ascendit ad præfecturã, prudens aliàs, tolerabilis prouincijs, & mitis, & blãdus, & ex qualibet occasione, maximèque ex controuersis litibus, quod nefandum est, & in totum lucrãdi auditatæ sordescens: ut inter alia multa euidenter apparuit in quæstionibus agitatis super morte* Theophili Syriæ *consularis, ob proditionẽ* Cæsaris Galli *impetu plebis promiscuæ discerpti: ubi dãnatis pauperibus, quos cum hæc agerentur peregre constabat fuisse, autores diri facinoris exuti patrimonijs absoluti sunt diuites.* Hunc Prosper *adæquabat, pro magistro equitum agente etiam tum in* Gallijs *militem regens, abiecte ignauus, & ut ait* Comicus, *artæ despecta furtorum rapiens propalãm. quis concordantibus, mutuáque commercia uicissim sibi conciliando locupletatis,* Persicis *duces*

uicini fluminibus rege in ultimis terrarũ suarum terminis occupato, per prædatorios globos nostra uexabãt, nunc Armeniam, aliquoties Mesopotamiam confidentius mursantes, Romanis ductoribus ad colligendas obeuntiũ exuuias occupatis.

AMMIANI MARCELLINI RERVM GESTARVM LIB. XVI.

HAEC *per orbem Romanum fatorum ordine contexto uersante, Cæsar apud Viennam in collegium fastorum à cõsule octies Augusto adscitus, urgente genuino uigore, pugarum fragores, cædésque barbaricas somniabat, colligere prouinciæ fragmenta iam parans, si affuisset flatu tandem secundo. Quia igitur res magnæ, quas per Gallias uirtute felicitatéque correxit, multis ueterum factis fortibus præstant, singula serie progrediente monstrabo, instrumenta omnia mediocris ingenij, si suffecerint, commoturus. Quicquid autem narrabitur quod nõ falsitas arguta concinnat, sed fides integra rerum absoluit, documentis euidentibus fulta, ad laudatiuam penè materiam pertinebit. Videtur enim lex quædã uitæ melioris hunc iuuenem à mobilibus cunis adusque spiritum comitata supremum. nanque incrementis uelocibus ita domi forisque colluxit, ut prudentia Vespasiani filius Titus alter æstimaretur: bellorum gloriosis cursibus Traiani simillimus: clemens ut Antonius: rectæ perfectæque rationis indagine congruens Marco, ad cuius æmulationem actus effingebat & mores. & quoniam, ut Tulliana docet autoritas, omnium magnarum artium sicut arbo-*

rum altitudo nos delectat, radices stirpésque non item: sic præclaræ huius indolis rudimenta tunc multis obnubilantibus tegebantur, quæ anteferri gestis eius postea multis & miris hac ratione deberēt, quòd adolescens primæuus ut Erichtheus in secessu Mineruæ nutritus, ex academiæ quietis umbraculis, non è militari tabernaculo in puluerem Martium tractus, strata Germania, pacatisque rigentis Rheni meatibus, cruēta spirantium regum hic sanguinem fudit, alibi manibus catenas affixit. Agens itaque negotiosam hyemem apud oppidū ante dictum mœr rumores qui uolitabant assidui, comperit Augustudunu ciuitatis antiquæ muros spatiosi quidem ambitus, sed carie uetustatis inualidos, barbarorum impetu repentino insessos, torpente præsentium militum manu ueteranos concursatione peruigili defendisse: ut solet abrupta sæpe discrimina salutis ultima desperatio propulsare. Nihil itaque remittentibus curis, ancillari adulatione posthabita, qua eum proximi ad amœnitatem flectebāt & luxum, satis omnibus comparatis, VIII Cal. Iul. Augustudunum peruenit, uelut dux diuturnus, uiribus eminens & cōsilijs, per diuersa palantes barbaros, ubi dedisset fors copiam, aggressurus. Habita itaq; deliberatione, assistentibus locorū peritis, quodnā iter eligeretur ut tutū, multa ultro citróq; dicebantur, alijs per arboroſā, quibusdā per sedes Leucorū iri debere firmātibus. sed cū subsereret quidam, Siluanum praeloantæ magistrū peditū, per cōpendiosas uias, uerū suspectus, quia tenebris multis umbrantur, cū VIII auxiliariū milibus ægre trāsisse, fidētius Cæsar audaciā uiri fortis imitari magnopere nitebatur cūctis uiribus. & nequa interueniret mora adhibitis cataphractis solis, & balistarijs, parū ad tuendū rectorē idoneis, percurso eodē itinere

Autosidorum peruenit: ubi breui, sicut solebat, otio cum militæ recreatus, ad Tricæsinos tendebat: & barbaros in se cæteruatim ruentes, partim cum timeret ut ampliores, confertis lateribus obseruabat: alios occupatis habilibus locis de cursu facili proterens: nonnullos pauore traditos cepit: residuos in curam celeritatis omne quod poterāt conferētes, quia sequi nō ualebat grauitate præpeditus armorum, innocuos abire perpessus est. Proinde certiori iam spe ad resistendum ingruētibus confirmatus, per multa discrimina uenerat Tricassas adeo insperatus, ut eo portas penè pulsante, diffusæ multitudinis barbaræ metu aditus urbis non sine anxia panderetur ambage: & paulisper moratus dum fatigato consulit militi, ciuitatem Remos, nihil prolatādum existimans, petit: ubi in unum cōgregatum exercitum uehētem iusserat opperiri præsentiam suam: cui præsidebat Vrsicini successor Marcellus: & ipse Vrsicinus adusque expeditionis finem agere præceptus ijsdem in locis. Post uariatas itaque sentētias plures, cum placuisset per decem pagos Alemannam adgredi plebem, densatis agminibus tendebat illuc solito alacrior miles: & quia dies humectus & decolor uel contiguum excipiebat aspectū, iuuante locorum gnaritate, hostes tramite obliquo discurso post Cæsaris terga, legiones duas arma cogētes adorti penè delessent, ni subito cōcitus clamor sociorū, auxilia cōegisset. hinc & deinde nec itinera, nec flumina trāsire posse sine insidijs putans, erat prouidus & cunctator, quod præcipuum bonum in magnis ductoribus, opem ferre solet exercitibus & salutē. Audiens itaq; Argentoratū, Brotomagum, Tabernas, Salisonem, Nemetas, & Vangionas, & Maguntiacum ciuitates barbaros possidētes, territoria eorum habitare (nam ipsa oppida ut circundata re-

tibus busta declinant) primam omnium Brotomagum occupauit: eique iam aduentanti Germanorũ manus pugnam intentans occurrit. Cúmque in bicornem figuram acie diuisa collãto pede res agi cœpisset, exitióque hostes urgerentur ancipiti, captis nonnullis, alijs in ipso prælij furore truncatis, residuis discessere celeritatis præsidio tecti. Nullo itaque posthac repugnante, ad recuperandam ire placuit Agrippinam, ante Cæsaris in Gallias aduentum excisam: per quos tractus nec ciuitas ulla uisitur, nec castellũ: nisi quod apud Confluentes, locum ita cognominatum, ubi amnis Mosella confunditur Rheno, Rigodulum oppidum est, & una prope ipsam Coloniam turris. Igitur Agrippinam ingressus, non antè motus est exinde, quàm Francorum regibus furore mitescente perterritis, pacem Reip. firmaret interim profuturam, & urbẽ reciperet munitissimam. quibus uincendi primitijs lætus, per Treueros, hyematurus apud Senonas, oppidum tunc opportunum abscessit. ubi bellorum inundantium molem humeris suis, quod dicitur, uehens scindebatur in multiplices curas: ut milites qui à solitis desciuere præsidijs reducerentur ad loca suspecta, & conspiratas gentes in noxam Romani nominis disiectaret, ac præuideret ne alimenta deessent exercitui per uaria discursuro. Hæc solicitè perpensantem, hostilis aggreditur multitudo oppidi capiundi spe in maius accensa: ideo confidentes, quod nec Scutarios adesse prodẽtibus perfugis didicerant, nec Gentiles per municipia distributos, ut commodius uescerentur. Clausa ergo urbe, murorúmque intuta parte firmata, ipse cum armatis diu noctúque inter propugnacula uisebatur & pinnas, ira exundante substridens, cum erũpere sæpe conatus, paucitate præsentis manus impediretur. Post triæsimum denique diẽ abiere barbari tristes, inani-

ter stulteque cogitasse ciuitatis obsidiũ mussitantes. & quod indignitati rerum est adsignandũ, periclitãti Cæsari distulit suppetias ferre Marcellus magister equitũ agens in stationibus proximis: cum etiam si ciuitas absque principe uexaretur, opposita multitudine malis obsidionalibus expediri deberet. Hoc metu solutus efficacissimus Cæsar, prouidebat constanti solicitudine, ut militum diuturno labori quies succederet aliqua, licet breuis, ad recreandas tamen sufficiens uires: quanquam ultima squalentes inopia terræ sæpe uastatæ exigua quædam uictui congrua suggerebant. Verum hoc quoque diligentia curato peruigili, affusa lætiore spe prosperorum, sublato animo ad exequenda plurima consurgebat. Primum igitur factúque difficile temperãtiam ipse sibi indixit atque retinuit, tanquã astrictus sumptuarijs legibus uiueret: quas ex rhetris Lycurgi, id est axibus Romam translatas diúque obseruatas, & senescentes paulatim reparauit Sylla dictator: reputans ex prædictis Democriti, quòd ambitiosam mensam fortuna, parcam uirtus apponit. Id enim etiã Tusculanus Cato prudenter definiens, cui Censorij cognomentum castior uita indidit: Cultus magna, inquit, cura tibi, magna uirtutis incuria. Denique cum legeret libellum assidue, quem Cõstantius ut priuignum ad studium mittens, manu sua conscripserat, præliæenter disponens quid in conuiuio Cæsaris impendi deberet, phasianum, & mulsam, & sumen exigi uetuit, & inferri, munificis militis uili & fortuito cibo cõtentus. Hinc contingebat ut noctes ad officia diuideret tripartita, quietis, & publicæ rei, & musarum: quod factitasse Alexandrum legimus Magnum: sed multo hic fortius. Ille nanque æenea concha supposita, brachio extra cubile protento pilam tenebat argenteam: ut cum neruorũ rigorem sopor la

xasset, infusus gestaminis lapsi tinnitus abrũperet somnũ. Iulianus uero absque instrumẽto quoties uoluit euigilauit: & nocte dimidiata semper exurgens, nõ è plumis uel stragulis sericis ambiguo fulgore nitentibus, sed ex tapetæ, & ξυλόρα, quam uulgaris simplicitas Susurnam appellat, occultæ Mercurio supplicabat, quẽ in mundo uelociorem sensum esse, motum mentiũ suscitantem, theologicæ prodidere doctrinæ. Atq; in tanto rerum defectu explorante

curabat. post quæ ut ardua & seria terminata ad procudendũ ingeniũ uertebatur: & incredibile quo & quanto ardore rerum principaliũ notitiam œlsam indagans, & quasi pabula quædã animo ad sublimiora scandenti conquirens, per omnia philosophiæ membra prudenter disputando currebat. Sed tamen cum hæc effecte plenéque colligeret, nec humiliora despexit, poeticam mediocriter, & rhetoricam (ut ostendit orationum epistolarúmque cum grauitate comitas incorrupta) & nostrarũ externarúmque rerũ historiã multiformem. super his aderat Latine quoque disserendi sufficiens sermo. Si itaque uerum est, quod scriptores uarij memorant, Cyrũ regem, & Simonidem lyricum, & Hippiam Eleum sophistarũ acerrimum ideo ualuisse memoria, quòd epotis quibusdã remedijs id impetrarunt, credendum est hunc etiam tum adultum totum memoriæ dolium, si usquam reperiri potuit, exhausisse. Et hæc quidem pudicitiæ uirtutúmque sunt signa nocturna. Diebus uero quæ ornate dixerit, & facete, quæue in apparatu, uel in ipsis egerit cõgressibus præliorum, aut in re ciuili, magnanimitatæ correxit & libertatæ, suo quæque loco singula demonstrabũtur. Cum exercere præludia disciplinæ castrẽsis philosophus cogeretur ut primæps, artémq; modulatius incœdẽdi per Pyrrichã concinnẽtibus disceret fistulis, uetus illud

prouerbium, Clitellæ bouu impositæ sunt, plane non est nostrum onus, Platonem crebro nominans exclamat. Inductis quadam solenni agentibus in rebus in consistorium ut aurum acciperent, inter alios quidam ex eorum consortio non, ut moris est, expansa chlamyde, sed utraque manu cauata suscepit. & imperator: Rapere, inquit, non accipere scium agentes in rebus. Audito à parentibus uirgines raptas, eum qui uiolarat, conuictum relegari decreuit. bisque indigna pati quærentibus, quod non sit morte mulctatus, responderat: Hactenus incusent iura clementiam: sed imperatorem mitissimi animi legibus præstare cæteris decet. Egressurum eum ad expeditionem plures interpellabant, ut læsi, quos audiendos prouinciarum rectoribus commendabat. et reuersus, quid egerint singuli, quærens, delictorum uindictas genuina lenitudine mitigabat. Ad ultimum exceptis victorijs, per quas cadentes sæpe incolumi contumacia barbaros fudit, quod profuerit anhelantibus extrema penuria Gallis, hinc maxime claret, quod primitus partes eas ingressus, pro capitulis singulis tributi nomine uicenos quinos aureos reperit flagitari: discedens uero septenos tantum munera uniuersa complentes. ob quæ tanquam solem sibi serenum post squalentes tenebras affulsisse cũ alacritate & tripudijs lætabantur. Denique id eum adusque imperij finem & uitæ scimus utiliter obseruasse, ne per indulgentias quas appellant, tributariæ rei concederet aliqua. Norat enim hoc facto se aliquid locupletibus additurum, cum constet ubique pauperes inter ipsa dictorum exordia soluere uniuersa sine laxamento compelli. Inter has tamen regendi moderandique uias, bonis principibus æmulandas, barbarica rabies exarserat in maius: utque bestiæ custodum negligentia raptu

uiuere solitæ, ne his quidem admotis & appositis fortioribus abscesserunt, sed tumescentes inedia sine respectu salutis armata uel greges mursant: ita etiam illi, cunctis quæ diripuere consuptis, fame urgente agebant aliquoties prædas: interdũ antequam cõtingerẽt aliquid, oppetebãt. Hæc per eũ annum spe dubia, euentu tamen secundo, per Gallias agebãtur. In comitatu uero Augusti circulatrabat Arbitionem inuidia, uelut summa mox adepturum, decora cultus imperatorij præstruxisse: instabãtque ei strepens immania comes Verissimus nomine, arguens corãm, quod à gregario ad magnum militiæ culmen euectus: hoc quoque non contentus ut paruo, locum appeteret principalem. sed specialiter eum insectabatur Dorus quidam ex medico scutariorum, quem niceteriorum centurionem sub Magnentio Romæ prouectum, retulimus accusasse Adelphium urbi præfectum ut altiora cœptantem. Cúmque res in inquisitionem ueniret, necessarijsque negotio tentis, obiectorum probatio speraretur, tanquam per satyram subito cubicularijs suffragantibus, ut loquebatur pertinax rumor, & uinculis sunt exutæ personæ, quæ strinxgebãtur ut conscíæ, & Dorus euanuit, & Verissimus ilico tacuit, uelut aulæo deposito scenæ. Iisdem diebus adlapsorum ore Constantius doctus, obsesso apud Senonas Cæsari auxiliũ non tulisse Marcellum: eum sacramento solutum abire iussit in larem: qui tanquam iniuria graui perculsus, quædam in Iulianum moliebatur, auribus Augusti cõfisus in omne patentibus crimen. Ideóque cum discederet, Eutherius præpositus cubiculi mittitur statim post eum, si quid finxerit conuicturus. Verum ille hoc nesciens, mox uenit Mediolanum strepens & tumultuans, ut erat uanidicus, & amenti propior, admissus in consistoriũ, Iulianum ut procacem

insimulat: iámque ad euagandum altius, ualidiores sibi pinnas aptare. Ita enim cum motu quodam corporis loquebatur ingenti. Hoc eo fingente licentius, Eutherius ut postulauit inductus, iussúsque loqui quod uellet, uerecunde & modice docet ~~uelari ueritatem~~ mendacijs. Magistro enim armorum (ut credebatur) cessante consulto, industria uigili Cæsarem diu obsessum apud Senonas barbaros repulisse: apparitoremque fidum autori suo, quoad uixerit, fore obligata cruce sua spondebat. Res monuit super hoc eodem Eutherio pauca subserere forsitan non credenda, ea re, quòd si Numa Pompilius, uel Socrates bona quædam dicerent de spadone, dictisque religionum adderent fidem, à ueritate desciuisse arguerentur. Sed inter uepres rosæ nascuntur, & inter feras nonnullæ mitescunt. itaque carptim præcipua quæ sunt comperta monstrabo. Natus in Armenia sanguine libero, captúsque à finitimis hostibus, etiam tum paruulus abstractus geminis Romanis mercatoribus uenundatus, ad palatium Constantini deducitur. ubi paulatim arte curáque rationem recte uiuendi, solertiámque ostendebat, literis quantum tali fortunæ satis esse poterat eruditus, cogitandi inueniendíque dubia & scrupulosa acumine nimio præstans, immensum quantum memoria uigens, benefaciendi auidus, plenúsque iusti consilij: quem si Constans imperator olim ex adulto spectasset, plurdque tanquam maturum audiret honesta suadentem & recta, nulla uel uenia certe digna peccasset. Is præpositus cubiculi etiam Iulianum aliquoties corrigebat, Asiaticis coalitu moribus, ideóque leuem. Denique digressus ad otium, ascitúsque postea in palatium, semper sobrius, & in primis consistens, ita fidē continentiámque uirtutes coluit amplas, ut nec prodidisse aliquando arcanū, nisi tuendæ cau-

ſa alienæ ſalutis, nec exarſiſſe cupidine plus habendi arceſſeretur, ut cæteri. Vnde factum eſt, ut ſubinde Romam ſe cedens, ibique fixo domicilio conſeneſcens, comitem circumferens conſcientiam bonam, colatur à cunctis ordinibus, & ametur, cum ſoleat id genus hominum poſt partas ex iniquitate diuitias, latebras captare ſecretas, ut lucifugæ uitantes multitudinis læſæ conſpectus. Cui ſpadonum ueterũ hunc comparare debeam, antiquitatem replicando complures meuenire non potui. Fuerunt enim apud ueteres, licet oppidò pauci fideles & frugiferi, ob quædam uitia maculoſi: mter præcipua enim quæ eorum quiſque ſtudio poſſederat, uel ingenio, aut rapax, aut feritate contentior fuit, aut propenſior ad lædendũ, uel diligentibus nimium blãdus, aut potentiæ faſtu ſuperbior: ex omni latere autem ita peritum, neque legiſſe me, neque audiſſe confiteor ætatis noſtræ teſtimonio locupleti confiſus. Verum ſi forte ſcrupuloſus quidam lector antiquitatum, Menophilum Mithridatis Pontici regis eunuchum nobis opponat, hoc monitu recordetur, nihil ſuper eo relatum, præter id ſolum, quod in ſupremo diſcrimine glorioſe mõſtrauit. Ingenti prælio ſuperatus à Romanis & Pompeio rex prædictus, fugénſque ad regna Colchorum auita, filiam nomine Drypetinen, uexatã aſperitate morborum, in caſtello Simhorio huic Menophilo commiſſam reliquit: qui uirginem omni remediorum ſolatio plene curatam patri tutiſſime ſeruãs, cum à Mãlio Priſco imperatoris legato munimentum quo claudebatur obſideri cœpiſſet, defenſoréſque deditionem meditantes ſentiret, ueritus ne parentis opprobrio puella nubilis captiua ſupereſſet & uiolata, interfecta illa mox gladium in uiſcera ſua compegit. Nunc redeam unde diuerti. *Superato (ut dixi) Marcello, euerſáque Serdica,*

unde oriebatur, in castris Augusti per simulationem tuendæ maiestatis imperatoriæ multa & nefanda perpetrabãtur. Nam siquis super occentu soricis uel occursu mustelæ, uel similis signi gratia consuluisset quẽquam peritum, aut anile incantamentum ad leniẽdum adhibuisset dolorem, quod medicinæ quoque admittit autoritas, reus unde non poterat opinari delatus, raptúsque in iudicium pœnaliter mteribat. Per id tempus fertur fuisse uirum quendam nomine Danum, quem terrore tenus uxor rerum leuium incusarat, certum an incertum reum non libet affirmare, in defensum inde Rufinus eluserat: quo indicante quædam
* cognita per Gaudentiũ agentem in rebus consularem Pan
* noniæ tũc Africanum, cum retulissent præfectum apparitionis præfecturæ prætorianæ. Dum etiam princeps ob de uotionem bis, ut loquebãtur iactantius, uersabilem fœminam post nefandum concubitum periculosam in fraudem illexit: suasíque consarcinatis mendacijs læsæ maiestatis arcessere maritum insontem, & fingere quod uelamen purpureum à Diocletiani sepulchro furatus, quibusdam conscijs occultabat. Hisque ad multorum exitium ita formatis, ipse spe potiorum ad imperatoris peruolat castra, excitaturus calumnias consuetas. réque comperta iubetur Mauortius tunc præfectus prætorio, uir sublimis constantiæ, crimen acri inquisitione spectare, iuncto ad audiendi societatem Vrsulo largitionum comite, seueritatis itidem non improbandæ. Exaggerato itaque negotio ad arbitrium temporum, cum nihil post tormenta multorum inueniretur, iudicésque hærerent ambigui, tandem ueritas respirauit oppressa, & in abrupto necessitatis mulier Rufinum totius machinæ confitetur autorẽ, nec adulterij fœditatem suppressa: statimque legibus cõcemptis, multa ultro citróque discussa,

tandem ordo & iustitia ambos sententia damnauere letali. Quo cognito Constantius fremens, & tanquam uindicem salutis suae lugens extinctum, missis equitibus citis, Vrsulum redire ad comitatum minaciter iussit. territatus spretis qui prohibebant, perrupit intrepidus: ingressusque consistorium, ore & pectore libero docuit gesta, atq; fiducia linguis adulatorum occlusis, & praefectum & se discrimine graui subtraxit. Tunc illud apud Aquitanos euenit, quod latior fama uulgarat. Veterator quidam ad lautum conuiuium rogatus & mundũ, qualia sunt in his regionibus plurima, cum uidisset linteorum toralium par, duos clauos ita latissimos, ut sibi uicissim arte ministrantiũ cohaererẽt, mensámq; operimẽtis paribus tectam: anteriorẽ chlamydis partẽ utraque manu uehẽs, intrinsecus structuram omnẽ ut amictus adornauerat, principalésq; res patrimoniũ diues euertit. Malignitate simili quidã agens in rebus in Hispania, ad cœnam itidem inuitatus, cũ inferẽtes uespertina lumina pueros exclamasse audisset ex usu, Vincamus: interpretatus atrociter deleuit nobilẽ domum. Haec taliáque ideo magis magísque crescebãt, quòd Constantius impendio timidus semper se feriri sperabat, ut Dionysius tyrannus ille Siciliae: qui ob hoc idẽ uitiũ & tonstrices docuit filias, necui alieno ora committeret lenienda: ædémque breuẽ ubi cubitare sueuerat, alta circundederat fossa, eámque põte solubili superstrarat: cuius disiectos asseres & axiculos secũ in somnum abiẽs trãsferebat, eosdémque compaginabat lucis initio processurus. Instabãt itidẽ has malorũ ciuiliũ buccinas potentes in regia, ea re ut dãnatorũ petita bona suis accorporarẽt, essétque materia per uicinitates eorum late grassandi. Nanque ut documenta liquida prodiderunt, proximorum fauces aperuit primus

omniũ Constantinus: sed eos medullis prouinciarum sagi-
nauit Constantius. Sub hoc enim ordinum singulorũ auto
res infinita cupidine diuitiarũ arserunt sine iustitiæ distin
ctione uel recti: inter ordinarios iudices Rufinus primᵒ præ
fectus prætorio, & inter militares equitũ magister Arbi-
tio, præpositúsque cubiculi, & Vrsicinus equestris ordinis
præfectus: quæstor & in urbe Anitius, qui in regiã æmu
lationẽ posteritate tendẽs, satiari nunquam potuit cum pos
sessione multo maiore. At Persæ in Oriente per furta & la
trocinia potius quàm, ut solebant antea, per cõcursatorias
pugnas hominum prædas agitabãt & pecorũ, quîs nõnun-
quã lucrabãtur ut repentini, aliquoties superati multitudi
ne militum amittebant. interdum nihil prospiciere pror-
sus quod poterat rapi permittebãtur. Musonianus tamen
præfectus prætorio, multis (ut ante diximus) bonis artibᵒ
eruditus, sed uenalis, & flecti à ueritate pecunia facilis, per
emissarios quosdã fallendi perstringendique gnaros Per-
sarum scrutabatur consilia, assumpto in deliberationes
huiusmodi Cassiano Mesopotamiæ duce, stipẽdijs & disci
ministribus indurato diuersis. qui cum fide concinente spec-
ulatorũ aperte cognoscerent, Saporẽ in extremis regni limi
tibus suorũ sanguine fuso multiplici ægre propulsare gen
tes infestas, tamen Saporẽ ducem parti nostræ contiguum,
occultis per ignotos milites tentauere colloquijs, ut si copiã
fors dedisset, suaderet regi per literas pacem tandem ali-
quando cum principe Romano firmare: ut hoc facto late-
re ab omni securus perduelles adbellaret assiduos. Paruit
tamen Sapor, hisque fretus refert ad regẽ, quòd bellis acer-
bissimis Constantius implicatus pacem postulat precariã.
Dúmque ad Chionitas & Eusenos hæc scripta mittuntur,
in quorum confinijs agebat hyemem Sapor, tempus inter-

æssit longum. Hæc dũ per eas partes & Gallias pro captu temporũ disponũtur, Cõstantius concluso Iani templo, stratisq; hostibus cunctis, Romã gestiebat uisere, post Maxẽtij exitium absq; nomine ex sanguine Romano triumphaturus. Nec enim gentem ullã bella cientem per se superauit, aut uictam fortitudine suorũ comperit ducum, uel addidit quædam imperio, aut usquam in necessitatibus summis primus, uel inter primos est usus: sed ut pompã nimis extentam, rigentiáque auro uexilla, & pulchritudinem stipatorũ ostenderet agenti tranquillius populo, hæc uel simile quicquam uidere nec speranti unquam nec optanti: ignorans fortasse, quosdam ueterũ principum in pace quidem lictoribus fuisse contẽtos: ubi uero præliorum ardor nihil perpeti poterat segne, aliũ anhelãter auido flatu uẽtorũ lemunculo se commisisse piscantis, aliũ ad Deciorũ exempla uouisse pro republica spiritum, alium hostilia castra per semetipsum cum militibus in finis exploraſſe: diuersis denique actibus inclaruisse magnificis, ut gloriosas suas res posteritati ælebri memoria cõmendarent. Vt igitur multa quæque consumpta sunt in apparatu regio, pro meritis cuilibet munera reddita, secunda Orphiti præfectura trãs curso Ocriculo elatus honoribus magnis, stipatúsque agminibus formidandis, tanquam acie ducebatur instructa, omniũ oculis in eo contuitu pertinaci intentis. Cúmque urbi propinquaret, senatus officia, reuerendásque patritiæ stirpis effigies ore sereno contemplans, non ut Cyneas ille Pyrrhi legatus in unum coactam multitudinem regum, sed asylum mundi totius adesse æstimabat. unde cum se uertisset ad plebem, stupebat qua celeritate omne quod ubique est hominum genus confluxerit Romam: & tanquam Euphratem armorum specie territurus, aut Rhenum,

altrinsecus præeuntibus signis, insidebat aureo solus ipse carpento fulgenti claritudine lapidũ uariorum. Quo micante lux quædã miscẽri uidebatur, alternúmq; potestatis gressus multipliceſ: alios purpureis subtegminibus texti circũdedere dracones, hastarũ aureis gẽmatisque summitatib' illigati, hiatu uasto perflatiles, & ideo uelut ira perciti sibilãtes, caudarúmq; uolumina relinquẽtes in uentũ. Et inde debat hincinde ordo geminus armatorũ clypeatus atq; cristatus, coruſco lumine radiãs, nitidis loricis indutus, sparstque cataphracti equites, quos clibanarios dictitant Persæ, thoracum muniti tegminibus, & limbis ferreis cincti, ut Praxitelis manu polita crederes simulacra, nõ uiros: quos laminarũ circuli tenues apti corporis flexibus ambiebant, per omnia membra deducti: ut quocunque artus necessitas cõmouisset, uestitus congrueret iunctura cohærẽter aptata. Augustus itaque faustis uocibus appellatus, uocum lituorúmque intonante fragore cohorruit, talem se, tánque immobilem, qualis in prouincijs suis uisebatur, ostendens. Nã & corpus perhumile curuabat portas ingrediẽs ælsas, & uelut collo munito rectam aciem luminum tendẽs, nec dextra uultum, nec læua flectebat, tanquã figmentum hominis: non cum rota concuteret nutans, nec spuens, aut os aut nasum tergens uel fricans, manúmue agitans est usus unquã. Quæ licet affectabat, erant tamẽ hæc & alia quædam in cætera uita patientiæ non mediocris indicia, ut existimari dabatur, uni illi concessa. Quòd autem per omne tempus imperij, nec in consessum uehiculi quenquam suscepit, nec in trabea socium priuatum adsciuit, ut facere principes consueuere, & similia multa, quæ elatus in arduum supercilium tanquam leges æquissimas obseruauit, prætereo, memor ea me retulisse cum incidissent. Proinde

Romã ingressus, imperij uirtutúmque omniũ larem, cum uenisset ad rostra, perspectissimum priscæ potentiæ forum, obstupuit: pérque omne latus quò se oculi contulissent, miraculorum densitate præstrictus, alloquutus nobilitatẽ in curia, populúmque pro tribunali, in palatiũ receptus fauore multiplici, lætitia fruebatur optata: & sæpe cum equestres ederet ludos, dicacitate plebis oblectabatur, nec superbæ, nec à libertate coalita desciscentis, reuerenter modum ipse quoque debitũ seruans. Nõ enim ut per ciuitates alias ad arbitriũ suum certamina finiri patiebatur: sed ut mos est, uarijs casibus permittebat. Deinde intra septem montiũ culmina, per acliuitates planiciémque posita urbis mẽbra collustrans & suburbana, quicquid erat primum id eminere inter alia cũcta sperabat: Iouis Tarpei delubra, quantũ terrenis diuina præcellũt, lauacra in modũ prouinciarũ extructa, amphitheatri molẽ solidatam lapidis Tiburtini cõpage, ad cuius summitatem ægre uisio humana conscendit: Pãtheon uelut regionem teretẽ speciosa cælsitudine fornicatam, elatósque uertice scansili suggestus consulũ & priorum principũ imitamenta portantes, & urbis templũ, fórúmque Pacis, & Põpeij theatrũ, & Odæum, & stadiũ, aliáque inter hæc decora Vrbis æternæ. Verũ cum ad Traiani forũ uenisset, singularem sub omni cælo structuram, ut opinamur, etiã numinum assensione mirabilẽ, hærebat attonitus per Giganteos contextus circunferẽs mẽtem, nec relatu effabiles, nec rursus mortalibus appetendos. Omni itaque spe huiusmodi conandi depulsa, Traiani equum solum locatum in atrij médio, qui ipsum principẽ uehit, imutari se uelle dicebat, & posse. Cui propè astans regalis Hormisda, cuius è Persidẽ discessum supra monstrauimus, respondit gestu gentili: Ante, inquit, imperator sta-

bulum tale condi iubeto, si uales: equus quem fabricare dis ponis, ita late succedat, ut iste quem uidemus. Is ipse interrogatus, quid de Roma sentiret: id tantum sibi placuisse aiebat, quòd didicisset ibi quoque homines mori. Multis igitur ci stupore uisis horrendo imperator, de fama querebatur ut inualida uel magna, quod augens omnia semper in maius, erga hæc explicanda quæ Romæ sunt obsolescit: deliberánsque diu quid ageret, urbis addere statuit ornamentis, ut in proximo circo erigeret obeliscum, cuius originem formámque loco condecenti monstrabo. Inter hæc Helenæ sorori Cõstantij, Iuliani coniugi Cæsaris Romã adfectionis specie ductæ, regina tũc insidiabatur Eusebia, ipsa quoad uixerat sterilis: quæ sitimque uenenum bibere per fraudẽ illexit, ut quotiescũque concepisset, immaturũ abijceret partum. Nã & pridem in Gallijs cum marẽ genuisset infantẽ, hoc perdidit dolo: quòd obstetrix corrupta mercede, mox natum præsecto plusquam conuenerat umbilico necauit: tanta tãmque diligens opera nauabatur, ne fortissimi uiri soboles appareret. Cupiens itaque Augustissima omnium sede morari diutius imperator, ut otio puriore frueretur & uoluptate, assiduis nũtijs terrebatur & mœrtis, indicãtibus Sueuos Rhetias incursare, Quadósq; Valeriã, & Sarmatas, latrocinandi peritissimum genus, superiorem Mœsiam & secundam populari Pannoniam. quibus percitus XXX postquam ingressus est die, IIII Cal. Iunias ab urbe profectus, per Tridentum iter in Illyricum festinauit. Vnde misso in locum Marcelli Seuero, bellorũ usu & maturitate firmato, Vrsicinum ad se uenire præcepit. Et ille literis gratanter acceptis, Sirmium uenit, conuitantibus socijs: libratíq; diu super pace consilijs, quam fundari posse cum Persis Musonianus retulerat, in Orientem cum magi

sterij remittitur potestate. profectis è consortio nostro ad regendos milites natu maioribus, adolescentes eum sequi iubemur, quicquid pro Rep. mandauerit impleturi. At Cæsar exacta apud Senonas hyeme, Germanicis undiq; circumfremẽtibus minis, secundis omnibus motus Remos properauit, alacrior magísque lætus quòd exercitum regebat Seuerus, nec discors, nec arrogans, sed longa militiæ frugalitate compertus, & eum recta præeuntem sequuturus ut ductorem morigerum miles. Parte alia Barbatio post Siluani interitum promotus ad peditum magisterium, ex Italia iussu principis cum XXV millibus armatorum Rauracos uenit. cogitatum est enim, sollicitéque præstructum, ut sæuientes ultra solitum Alemanni, uagantésque fusius, multitudine geminata nostrorum forcipis specie trusi in angustias cæderentur. Dum hæc tamen ritè disposita cœlerãtur, læti barbari ad tempestiua furta solertes, inter utriusque exercitus castra occulti transgressi, inuasere Lugdunum incautam: eámque populatam nisu auido concremassent, ni clausis aditibus repercussi, quicquid extra oppidũ potuit inueniri, uastassent. Qua clade cognita, agili studio Cæsar missis cuneis tribus equitum expeditorum & fortium, tria obseruauit itinera, sciẽs per ea erupturos procul dubio grassatores. nec quod destinauerat, irritum fuit. Cũctis enim qui per eos tramites exiere trũcatis, receptáque præda omni intacta, hi solũ innoxij absoluti sunt, qui per uallũ Barbationis trãsiere securi: ideo labi permissi, quòd Bainobaudes tribunus & Valentinianus postea imperator cum equestribus turmis quas regebant ad exequẽdum id ordinati, à Cella tribuno scutariorũ, qui Barbationi sociatus uenerat ad procinctum, iter obseruare sunt uetiti, unde redituros didicere Germanos. Quo non contentus

magister peditum ignauus, & gloriarũ Iuliani peruicax obtrectator, sciens se id contra utilitatem Romanã iussisse: (Hoc enim cũ argueretur, Cella cõfessus est) relatione fefellit Constantiũ: finxitque hos eosdem tribunos ad solicitãdos milites quos duxerat, per speciem uenisse negotij publici: qua causa abrogata potestate ad lares rediere priuati. Iisdem diebus exercituũ aduentu perterriti barbari, qui domicilia fixere trans Rhenũ, partim difficiles uias, & suaptę natura cliuosas & incõmeabiles, clausere solerter arboribus immensi roboris cæsis. Alij occupatis insulis sparsis crebro per flumen Rhenum, ululãtes lugubre cõuitijs & Romanos mæssebant & Cæsarẽ. qui grauiori motu animi pereitus, ad corripiendos aliquos septẽ à Barbatione petierat naues, ex his quas uelut trãsiturus amnẽ, ad cõpagnandos parauerat pontes: qui nequid per eũ impetraretur, omnes incendit. Doctus denique exploratorum delatione recens captorum, æstate iam torrida fluuiũ uado posse transiri, hortatus auxiliares uelites cum Bainobaude Cornutorum tribuno misit, facinus memorabile si iuuisset fors patraturos. qui nunc incedendo per breuia, aliquoties scutis in modum alueorũ suppositis, nando ad insulã uenere propinquã: egressique promiscue uirilis & muliebris sexus sine ætatis ullo discrimine trucidabant ut pecudes: naftique uacuas lintres, per eas licet uacillãtes euecti, huiusmodi loca plurima perruperunt: & ubi satietas cædendi cepit opimitate prædarũ onusti, cuius partẽ ui fluminis amiserũt, rediere omnes incolumes. Hócq; cõperto residui Germani, ut infido præsidio insularum relicto, ad uberiora necessitudines & fruges opẽsque barbaricas contulerunt. Cõuersus hinc Iulianus ad reparãdas Tres tabernas, munimentũ ita cognominatũ, haud ita dudũ obstinatione sub-

uersum hostili (quo ædificato, constabat ad intima Galliarum, ut consueuerãt adire, Germanos arceri) & opus spe celerius consummauit, & uictum defensoribus ibi locandis ex barbaricis messibus non sine discriminis metu collectum militis manu, condidit in usus annui totius. Nec sanè hoc solo contentus, sibi quoque uiginti dierum alimenta parata collegit. libentius enim bellatores quæsito dextris proprijs utebantur: admodum indignati, quoniam ex commeatu, qui eis recens aduectus est, ideo nihil sumere potuerunt, quòd partem eius Barbatio cum transiret iuxta superbe præsumpsit, residuum quod superfuit, congestum in acerum exussit. quæ utrũ ut uanus gerebat & demens, an mandato principis confidenter nefanda multa tentabat, id temporis latuit. Illud tamẽ rumore tenus ubique iactabatur, quòd Iulianus non leuaturus incommoda Galliarum electus est, sed ut possit per bella deleri sæuissima, rudis etiã tum ut æstimabatur, ac ne sonitum quidem duraturus armorum. Dum castrorum opera mature consurgunt, militisque pars stationes prætendit agrarias, alia frumenta insidiarum metu colligit: caute multitudo barbarica rumorem nimia uelocitate præuersa, Barbationem cum exercitu quem regebat (ut dictum est) Gallico uallo discretum, impetu repẽtino aggressa, sequénsque fugientes adusque Rauracos, & ultra quoad potuit, rapta sarcinarum & iumentorum cum calonibus parte maxima, redit ad sua. Et ille tanquã expeditione euentu prospero terminata, militè dispersо per stationes hybernas ad comitatum imperatoris reuertit, crimen compositurus in Cæsarem, ut solebat, grauiter semper mœssens. quo dispalato fœdo terrore, Alemannorum reges Chonodomarius & Vestralpus, Vrius quinetiam, & Vrsicinus cum Sera-

pione & Suomario & Hortario, in unum robore uirium suarũ omni collecto, consedere prope urbẽ Argentoratum, extrema metuentem Cæsarem arbitrati retrocessisse, cum ille etiam perficiẽdi munimenti studio stringeretur. erexit autem confidentiã caput altius adtollentem scutarius perfuga: qui commissi criminis metuens pœnam, transgressus ad eos post ducis fugati discessum, armatorũ tredecim millia tantum remansisse cum Iuliano docebat. Is enim numerus eum sequebatur, barbara feritate certaminum rabiem undique concitante. cuius asseueratione eadem subinde replicantis, ad maiora stimulati fiducia, missis legatis satis pro imperio Cæsari mandauerunt, ut terris abscederet uirtute sibi quæsitis & ferro. qui ignarus pauendi, nec ira, nec dolore perculsus, sed fastus barbaricos ridens, tentis legatis adusque perfectum opus castrorũ in eodẽ gradu constantiæ stetit immobilis. Agitabat autem misceba tq; omnia sine modo ubique sese diffunditans, & primæps audendi periculosa rex Chonodomarius, ardua subrigens supercilia, ut sæpe secundis rebus elatus. nam & Decentiũ Cæsarem superauit æquo marte congressus, & ciuitates erutas multas uastauit & opulentas, licentiúsque diu nullo refragante Gallias persultauit. Ad cuius roborandam fiduciam recens quoque fuga ducis accessit, numero præstantis & uiribus. Alemanni enim scutorũ insignia contuentes, norant eos milites permisisse paucis suorũ latronibus terram, quorũ metu aliquoties cum gradum conferrent, amissis pluribus abiere dispersi. quæ anxie ferebat solicitus Cæsar, quòd trudente ipsa necessitate digressus periculis, cum paucis, licet fortibus, populosis gentibus occurrere cogebatur. Idmque solis radiis rutilãtibus, tubarúmque concinente clangore pedestres copiæ lentis incessibus educun-

tur, earúmque lateri equestres coniunctæ sunt turmæ, inter quas cataphracti erãt & sagittarij, formidabile genus armorũ. Et quoniam à loco unde Romana promota sunt signa, adusque uallum barbaricum quarta leuca signabatur & decima, id est unum & XX millia passuũ, utilitati securitatique recte consulens Cæsar, reuocatis præcursoribus iam ante egressis, indictáque solitis uocibus quiete, cuneatim circũsistentes alloquitur genuina placiditate sermonis: Vrget ratio salutis tuendæ communis, ut parcissime dicam, non iacentis animi Cæsarem uos hortari, & orare commilitones mei, ut adulta robustáque uirtute confisi, cautiorem uiã potius eligamus ad tolerãda uel ad depellenda quæ sperantur, non præproperã & anceps. ut enim in periculis iuuentutem impigrã esse conuenit & audacem, ita cum res postulat regibilem & consultam. Quod igitur censeo (si arbitriũ affuerit uestrum, iustáque sustinet indignatio) paucis absoluã. Iã dies in meridiem uergit, lassitudine nos itineris fatigatos scrupulosi tramites excipient & obscuri, nox senescente luna nullis sideribus adiuuanda, terræ protinus æstu flagrantes, nullis aquarum subsidijs fultæ: quas si dederit quisquam commode posse transire: ruẽtibus hostium examinibus post otiũ cibíque refectionem & potus, quid nos agimus, quo uigore inedia, siti, laboréq; mẽbris marcẽtibus occurramus? Ergo quoniã negotijs difficillimis sæpe dispositio tempestiua prosfexit, & statum nutantium rerum recto consilio in bonam partem accepto aliquoties diuina remedia repararunt, hic quæso uallo fossáque circundati, diuisis uigiliis quiescamus: somnóque & uictu congruis potiti pro tẽpore, pace dei sit dictũ, triũphaturas aquilas & uexilla uictricia, primo lucis moueamus exordio. Nec finiri perpessi quæ dicebãtur, stridore dẽ-

tium infrendentes, ardorémque pugnandi hastis illidendo scuta monstrantes, in hostem se duci iam conspicuum exorabant, cælitis dei fauore fiduciáque sui, & fortunati rectoris expertis uirtutibus freti: atque ut exitus docuit, salutaris quidam Genius præsens ad dimicandum eos, dum adesse potuit, incitabat. Accessit huic alacritati plenus cælsarum potestatum assensus, maximéque Florentij præfecti prætorio, periculose quidẽ, sed ratione secunda pugnandum esse consentientis, dum instarent barbari conglobati: qui si deflexissent, motum militis in seditiones natiuo calore propensioris ferri non posse aiebat, extortam sibi uictoriam, ut putauit, non sine ultimorum conatu grauiter toleraturi. Addiderat autem fiduciam nostris consideratio gemina: recordantibus quòd anno nuper emenso Romanis per transrhenana spatia fusius uolitantibus, nec uisus est quisquam laris sui defensor, nec obuius stetit: sed concæde arborũ densa undique semitis clausis, sidere urente brumali ægre uixere barbari lõgius amandati: quódque imperatore terras eorum ingresso, nec resistere ausi, nec apparere, pacem impetrarunt supplicitèr obsecrãtes. Sed nullus mutatam rationem temporis aduertebat, quòd tripartito exitio premebantur: Imperatore urgente per Rhetias, Cæsare proximo nusquã elabi permittente, finitimis quos hostes fecere discordiæ, modo non occipitia conculcantibus hinc indéque cinctorum. Postea uero pace data, discesserat imperator: & sedata iurgiorum materia, uicinæ gentes iam concordabãt: & turpissimus ducis Romani digressus ferociam natura conceptam auxit in maius. Alio itidem modo res est aggrauata Romana ex negotio tali: Regij duo fratres uinculo pacis astricti, quam anno præterito impetrauerant à Constantio, nec tumultuare, nec commoueri

ſunt auſi.Sed paulo poſtea uno ex his Gundomado,qui potior erat,fideique firmoris,per inſidias interempto,omnis populus cum noſtris hoſtibus conſpiraut:& confeſtim Vadomarij plebs,ut aſſerebant,agminibus bella cientiũ barbarorum ſeſe coniunxit.Cunctis igitur ſummis infimiſque approbantibus tunc opportune congrediendum,nec de rigore animorum quicquam remittentibus:exclamauit ſubito ſignifer,Perge feliciſſime omnium Cæſar,quò te fortuna proſperior ducit: tandem per te uirtutem & conſilia militaria ſentimus. i præuius ut fauſtus anteſignanus & fortis.experieris quid miles ſub conſpectu belliciſi ductoris,teſtiſque indiuidui gerendorum, modo adſit ſupernum numẽ,ijs rebus efficiet excitatus.His auditis,cum nullæ laxarentur induciæ, promotus exercitus prope collem aduenit molliter editum,opertum ſegetibus iam maturis,à ſuperciliis Rheni haud longo interuallo diſtantem.è cuius ſummitate ſpeculatores hoſtium tres equites exciti, ſubito nunciaturi Romanum exercitum aducẽtare, feſtinarunt ad ſua:unus uero pedes,qui ſequi non potuit,captus agilitate noſtrorum,indicauit per triduum & trinoctium flumen tranſiſſe Germanos. Quos cum iam propè denſantes ſemet in cuneos noſtrorũ conſpexere ductores, ſteterunt ueſtigijs fixis,antepilanis haſtatiſque & ordinum primis uelut inſolubili muro fundatis: & pari cautela hoſtes ſtetere cunctati. Cúmque ita ut antedictus docuerat perfuga, equitatum omnem à dextero latere ſibi uidiſſent oppoſitum,quicquid apud eos per equeſtres copias præpollebat, in læuo cornu locauere confertum. Iiſdémq; ſparſim pedites miſcuere diſcurſatores & leues, profecto ratione tuta poſcente.Norant enim licet prudentem ex equo bellatorẽ cum clibanario noſtro congreſſum, fræna retinentẽ & ſcu

tum, hasta una manu uibrata, tegminibus ferreis abscondito bellatori nocere non posse. peditem uero inter ipsos discriminum iertices, cum nihil caueri solet præter id quod occurrit: humiliter occulte reptantem latere forato iumenti, incautum rectorẽ præcipitem agere, leui negotio trucidãdum. Hoc quoque dispositio, dexterũ sui latus struxere clãdestinis insidijs & obscuris. Ductabant autem populos omnes pugnaces & sæuos Chonodomarius & Serapio, potæ statæ excelsiores antæ alios reges. Et Chonodomarius quidem nefarius belli totius incentor, cuius uertici flammeus torulus aptabatur, anteibat cornu sinistrũ audax & fidens ingenti robore lacertorũ: ubi ardor prælij sperabatur, immanis equo spumante sublimior, erectus in iaculum formidandæ uastitatis, armorúmque nitore conspicuus, antea strenuus & mules, & utilis præter cæteros ductor. Latus uero dextrum Serapio agebat, etiam tum adultæ lanuginis iuuenis, efficacia præcurrens ætatem, Mederici fratris Chonodomarij filius, hominis quoad uixerat perfidissimi, ideo sic appellatus, quòd pater eius diu obsidatus pignore tentus in Gallijs, doctúsque Græca quædam arcana, hunc filium suum Agenarichum genitali uocabulo dictitatum, ad Serapionis transtulit nomen. Hos sequebantur potestate proximi reges numero quinque, regalésq; decem, & optimatum series magna, armatorum millia triginta & quinque, ex uarijs nationibus partim mercede, partim pacto uicissitudinis reddendæ quæsita. Iámque torquum increpantibus tubis, Seuerus dux Romanorũ aciem dirigens læuam, cum prope fossas armatorum refertas uenisset, unde dispositum erat, ut abditi repẽte exorti cuncta turbarent, stetit impauidus: suspectiórque de obscuris, nec referre gradum, nec ulterius ire tentauit. Quo uiso, animosus cõtra

labores maximos Cæsar, ducētis equitibus septus, ut ardor negotij flagitabat, agmina peditū impetu ueloci discurrēs, uerbis hortabatur. Et cum alloqui pariter omnes, nec longitudo spatiorū excēta, nec in unū coactæ multitudinis permitteret crebritas: & alioquin uitabat grauioris inuidiæ pōdus, ne uideretur id affectasse quod sibi soli deberi Augustus existimabat: cautior sui hostiū tela præteruolans, his & similibus notos pariter & ignotos ad faciendū accendebat: Aduenit ô socij iustum pugnandi iam tempus, olim exoptatum mihi uobiscum, quod antehac arcessentes arma inquietis motibus poscebatis. Item cū ad alios postsignanos in acie locatos extrema uenisset, En, inquit, cōmilitones diu speratus præsto est dies, compellens nos elotis pristinis maculis Romanæ maiestati reddere proprium decus. hi sunt barbari, quos rabies, & immodicus furor ad perniciē rerum suarū coegit occurrere nostris uiribus opprimendos. Alios itē bellandi usu diutino cālletes aptius ordinans, his exhortationibus adiuuabat: Exurgamus uiri fortes, propellamus fortitudine congrua illisa nostris partibus probra, quæ contēplans Cæsaris nomen cunctando suscepi. Quoscunque autem pugnæ signum inconsultē poscentes, rupturósque imperiū irrequietis motibus præuideret: Quæso, inquit, ne hostes uertendos in fugam sequentes auidius futuræ uictoriæ gloriam uoletis: neu quis ante necessitatem ultimam cedat. nam fugituros proculdubio deseram: hostium terga cæsuris acero indiscretus, si hoc pensatione moderata fiat, & cauta. Hæc aliáque in eundem modum sæpius replicando, maiorem exercitus partem primæ barbarorū opposuit fronti: & subito Alemannorum frenitus indignationi mixtus auditus est, unanimi conspiratione uociferantium, relictis equis secum oportere

uersari regales: ne siquid contigisset aduersum, deserta mi
serabili plebe facilem discedendi copiam reperirent. Hoc
comperto, Chonodomarius *iumento ac statim desiluit, & secuti eum residui idē facere nihil morati: (nec enim eorum quisquam ambigebat partem suam fore victricem) dato æneatorum cantu solenniter signo ad pugnandum, utrinque magnis concursum est uiribus populi. propilabātur missilia, & properātes cito quàm considerato cursu* Germani, *teláque dextris explicantes, muolauere nostrorum equitum turmas frendentes immania: eorúmque ultra solitum sæuientium comæ fluctes horrebant, & elucebat quidam furor ex oculis: quos contra pertinax miles scutorum obijcibus uertices tegens, eiectánsque gladios uel tela concrispans martem minantia perterrebat. Cúmque in ipso præliorum articulo eques se fortiter conturmaret: & muniret latera sua firmius pedes, frontem artissimis conserens parmis, erigebantur crassi puluieris nubes: uariíque fuere discursus, nunc resistentibus, nunc cedentibus nostris: & obnixi genibus quidā barbari peritissimi bellatores hostem propellere laborabant: sed destinatione nimia dextræ dexteris miscebantur, & umbo trudebat umbonem, cælúmque exultantium cadentiúmque resonabat uocibus magnis. & cum cornu sinistrū altius gradiēs, urgentium tot agmina* Germanorū *ui nimia propulisset, irétque in barbaros fremens: equites nostri cornu tenētes dextrū, præter spē inconditæ discesserunt. dúmque primi fugentiū postremos impediūt, gremio legionum protecti, fixerūt integrato prælio gradū. hoc autem exinde acciderat, quod dū ordinum restituitur series, cataphracti equites uiso rectore suo leuiter uulnerato, & consorte quodam per ceruicem equi labentis pondere armorum oppresso, dilapsi quà*

quisque poterat, peditésque calcando cuncta turbassent, ni conferti illi sibique uicissim innixi stetissent immobiles. Igitur cum equites nihil præter fugæ circunspectantes præsidia, uidisset longius Cæsar, concito equo eos uelut repagulum quoddam cohibuit. Quo agnito per purpureum signum Draconis summitati hastæ longioris aptatum, uelut senectutis pendentis exuuias, stetit unius turmæ tribunus, & pallore timoris perculsus, ad aciē integrandā recurrit. útque in rebus amat fieri dubijs; eosdē lenius increpans Cæsar, Quò, inquit, cedimus uiri fortissimi? an ignoratis fugam, quæ salutem ~~nunquam reperit, irriti~~ conatus stultitiam indicare? redeamus ad nostros, saltem gloriæ futuri participes, si eos pro Rep. dimicantes relinquimus inconsultæ. Hæc reuerēter dicendo, reduxit omnes ad munia subeunda bellandi, imitatus salua differentia ueterem Syllā: qui cum contra Archelaū Mithridatis ducem educta acie prælio fatigabatur ardenti, relictus à militibus cunctis, cucurrit in ordinem primum: raptóque & coniecto uexillo in partem hostilem: Ite, ~~dixerat, socij periculorum electi, & scitantibus ubi relictus sum imperator~~, respondete nihil fallentes, Solus in Bœotia pro omnibus nobis cum dispendio sanguinis sui decernens. Prom de Alemanni pulsis disiectisque equitibus nostris, primam aciem peditum mœsserunt, eam abiecta resistendi animositate pulsuri. sed postquā cominus uentum est, pugnabatur paribus diu motibus. Cornuti enim & Braccati usu præliorum diuturno firmati excipiunt eos, iam gesturientes barritum ciere uel maximum: qui clamor ipso feruore certaminum à tenui susurro exoriens, paulatimque adolescens ritu extollitur fluctuum cautibus illisorum. iaculorum demde stridentium crebritate hincinde conuolante, puluis æquali motu assur-

gens, & prospectum eripiens, arma armis, corpora corporibus obtrudebat. sed uolentia iráque incompositi barbari in modum exarsere flammarum, nexámque scutorum compagem, quæ nostros in modũ testudinis tuebatur, scindebãt ictibus gladiorum assidus. Quo cognito, opitulatum conturmalibus suis celeri cursu Batauii uenere cũ regibus formidabilis manus, extremæ necessitatis articulo circumuentos si iuuisset fors ereptura: torquimque canentibus classicis, adultis uiribus certabatur. Verũ Alemanni bellum acriter meuentes, altius anhelabãt, uelut quodam furoris affectu opposita omnia deleturi. Spicula tamen uerutáque missilia non cessabant, ferratéque arundines fundebantur: quanquam etiam comunus mucro feriebat contra mucronem, & loricæ gladijs findebantur, & uulnerati nondum effuso cruore ad audendũ consurgebant. Pares enim quodammodo coiuere cum paribus, Alemanni robusti & celsiores, milites usu nimio dociles, illi feri & turbidi, hi quieti & cauti animus isti fidentes, grandissimis illi corporibus freti. Resurgebat tamen aliquoties armorum pondere pulsus loco Romanus, lassatisque impressu genibus læuum reflectens poplitem Barbarus subsidebat, hostem ultro lacessens, quod indicium est obstinationis extremæ. Exiluit itaque subito ardens optimatium globus, inter quos decernebant & reges: & sequente uulgo ante alios agmina nostrorum interrupit, & iter sibi aperiendo adusque primanorum legionem peruenit locatam in medio: quæ confirmatio castra prætoria dictitatur. ubi densior & ordinibus frequens miles, instar turrium fixa firmate consistens, prælium maiore spiritu repetiuit: & uulneribus declinandis intentus, séque in modum murmillonis operiens, hostium latera quæ nudabat ira flagrantior, districtis gladijs per-

forabat. At illi prodigere uitam pro victoria contendẽtes, tentabant agminis nostri laxare compagem: sed cõtinuata serie peremptorum, quos Romanus iam fidentior strauit, succedebant barbari superstites interfectis: auditóque occumbentium gemitu crebro, pauore perfusi torpebant. Fessi denique tot ærumnis, & ad solam demæps strenui fugam, per diuersos tramites toto celeritatis gradu festinabant: ut è medijs sæuientis pelagi fluctibus quocunque auexerit uentus eijci nauticis properant. uictores, quod uoti magis quàm spei fuisse fatebitur qualibet tunc præsens, adorant propiciati numinis arbitrium, mclemens & secans terga cædentium miles, cum mærdum flexis ensibus ferienti non supperetent instrumenta, ipsis barbaris tela eorum uitalibus immergebat: nec quisquam uulnerantium sanguine iram expleuit, nec satiauit cæde multiplici dexterã, uel miseratus supplicantem abscessit. Iacebant itaque plurimi transfixi letaliter, remedia mortis compendio postulantes: aly semineces labentes iam spiritu, lucis usuram oculis morientibus inquirebant: quorundã capita discissa trabalibus telis, & pendentia iugulis cohærebant: pars per lutosum & lubricum solum in socorum cruore lapsi, intactis ferro corporibus acerrus superruentiũ obruti necabantur. quæ ubi satis euenere prosperrime, ualidius instante victore, acumina densis ictibus hebescebant, splendentésq; galeæ sub pedibus uoluebãtur & scuta. ultimo denique tridente discrimine, barbari, cum elati cadauerũ aggeres exitus impedirent, ad subsidia flumnis petiuere, quæ sola restabant eorũ tergia iã perstringentis. & quia cursu sub armis concito fugẽtes miles indefessus urgebat, quidã nandi peritia eximi se posse discriminibus arbitrati, animas fluctibus cõmiserunt. Qua causa celeri corde futura præuidẽs

Cæsar, cũ tribunis & ducibus, clamore obiurgatorio prohibebat, ne hostem audius sequens nostrorum quisquam se gurgitibus committeret uerticosis. Vnde id obseruatum est, ut marginibus insistentes confoderent telorum uarietate Germanos: quorum siquem morti uelocitas subtraxisset, iacti corporis pondere ad ima flumunis subsidebat. & uelut in quodã theatrali spectaculo aulæis miranda monstrantibus, multa licebat iam sine metu uidere: nandi streuuis quosdam nescios adhærere, fluitantes alios cum expediti uiribus linquerentur ut stipites, & uelut luctante amnis uiolentia uorari quosdam fluctibus inuolutos, nonnullos clypeis uectos, præruptas undarum occursantium moles obliquatis meatibus declinantes, ad ripas ulteriores post multa discrimina peruenire. spumans denique cruore Barbarico decolor alueus insueta stupebat augumenta. Dũ hæc aguntur, rex Chonodomarius reperta copia discedendi, lapsus per funerum strues cum satellitibus paucis celeritate rapida properabat ad castra, quæ prope Tribunos & Concordiam munimenta Romana fixit intrepidus, ut ascensis nauigijs, dudum paratis ad casus ancipites in secretis secessibus, euaderet. Et quia non nisi Rheno transito ad territoria sua poterat peruenire, uultum ne agnoscretur operiens, sensim retulit pedem. Cúmque propinquaret iam ripis, lacunam palustribus aquis interfusam circungrediens, ut transiret, calcata mollitie glutinosa, equo est euolutus: & confestim licet obeso corpore grauior, ad subsidium uicini collis euasit: quem agnitum (nec enim potuit celari qui fuerat, fortunæ prioris magnitudine proditus) statim anhelo cursu cohors cum tribuno secuta, armis circundatum aggerem nemorosum cautius obsidebat, perrumpere uerita, ne fraude latẽti inter ramorum tenebras

exciperetur occultas. Quibus uisis compulsus ad ultimos metus, ultro se dedit, solus egressus: comitésque eius ducenti numero, & tres amici iunctissimi, flagitium arbitrati post regem uiuere, uel pro rege non mori, si ita tulerit casus, tradidere se uinciendos. Vtque natiuo more sunt barbari humiles in aduersis, disparésque in secundis, seruus alienæ uoluntatis trahebatur pallore confusus, claudente noxarum conscientia linguam, immensum quantum ab eo differens, qui post feros lugubréque terrores cineribus Galliarum insultans, multa minabatur & sæua. quibus ita fauore superni numinis terminatis, post exactum iam diem occinente liticine, reuocatus inuictissimus miles prope superciliа Rheni tendebat, scutorúmque ordine multiplicato uallatus, uictu fruebatur & somno. Ceciderunt autem in hac pugna Romani quidem CCXLIII: rectores uero quatuor, Bainobaudes cornutorum tribunus, adæque Laipso, & Innocentius cataphractarios ducens, & uacans quidam tribunus, cuius non suppetit nomen: ex Alemannis uero sex millia corporum sunt inuenta in campo constrata, & inæstimabiles mortuorum acerui per undas fluminis ferebantur. Tunc Iulianus, ut erat fortuna sui spectatior, meritisque magis quàm imperio potens, Augustus acclamatione concordi totius exercitus appellatus, ut agentes petulantius milites increpabat, id se nec sperare, nec adipisci uelle iurando confirmans. Et ut augeret euentus secundi lætitiam, concilio Chonodomarium iussit offerri: qui primo curuatus, deinde humi supplicitèr fusus, gentilique pace ueniam poscens, bono animo esse est iussus. Et diebus postea paucis ductus ad comitatum imperatoris, missúsque exinde Romam, in castris peregrinis, quæ in monte sunt Cælio, morbo uetern consumptus est. His tot

ac talibus prospero peractis euentu: in palatio Constantij quidam Iulianum culpantes, ut princeps ipse delectaretur, Victoriam siue Victorinum ideo nominabant, quod ue recunde referens quoties imperaret, superatos indicabat sæpe Germanos. interque exaggerationem inanium laudum, ostentationémque apertæ licentiæ insiabant ex usu imperatorem suopte ingenio nimium, quicquid per omnem terræ ambitum agebatur felicibus auspicijs eius adsignantes. Quocirca magniloquentia elatus adulatorum, tunc & deinde editis propositis arroganter satis multa mentiebatur, se solum, cum gestis non adiuuasset, & diuicasse, & uicisse, & supplices reges gentium exercisse aliquoties scribens. & si, uerbi gratia, eo agente tunc in Italia dux quidam egisset fortiter contra Persas, nulla eius mentione per textum longissimum facta, laureatas literas ad prouinciarũ signa mittebat, se inter primores uersatum cum odiosa sui iactatione significans. Extant denique eius edicta in tabularijs principis publicas condigne scriptis, memoria delata narrandi, extollendique semet in cœlum. Argentorato cum pugnaretur mansione quadragesima disparatus, describens prælium, aciem ordinasse, & stetisse inter signiferos, & barbaros fugasse præcipites, sibique oblatum fulso indicat Chonodomarium: proh rerum indignitas, super Iuliani gloriosis actibus contiaesæm, quos sepelierat penitus, ni fama res maximas, uel obumbrãtibus plurimis silere nesciret.

AMMIANI MARCELLINI RERVM GESTARVM LIB. XVII.

H

AC rerum quas iam digessimus uarietate ita conclusa, Martius iuuenis, Rheno post Argentoratensem pugnam otiose fluente securus, solicitusq; ne diræ uolucres consumerẽt corpora peremptorũ, sine discretione cunctos humari mandauit: absolutisque legatis, quos ante certamẽ superba quædam portasse prædiximus, ad Tres tabernas reuertit. Vnde cũ captiuus omnibus prædam Mediomatricos seruandam ad reditum usque suum, duci præcepit: & petiturus ipse Mogontiacum, ut pontẽ cõpacto transgressus in suis requireret barbaros, cum nullum reliquisset in nostris, refragante uetabatur exercitu: uerũ facundia iucunditatéque sermonum allectum, in uoluntatem traduxerat suã. Amor enim post documenta flagrantior, se qui libenter hortatus est omnis operæ conturmalem, autoritate magnificum ducem, plus laboris indicere sibi quàm militi, sicut perspicue contigit, assuetum. Móxque ut ad locum prædictum est uentum, flumine pontibus constratis transmisso, occupauere terras hostiles. At barbari præstricti negotij magnitudine, qui se in tranquillo positos otio, tunc parum inquietari posse sperabant, aliorum exitio quid fortunis suis imminueret anxie cogitantes, simulata pacis petitione, ut primæ uertiginis impetum declinarent, miserunt legatos cum uerbis compositis, quæ denuntiarent concordem fœderum firmitatem: mœrtúmque quo consilio aut instituto mutata uoluntate, per alios cursu celeri uenire compulsos, acerrimum nostris minati sunt bellũ, ni eorum regionibus excessissent. Quibus clara fide cõpertis, Cæsar

prima noctis quietæ nauigijs modicis & uelocibus octingentos imposuit milites: eorum uiginti sursum uersus decurso egressi, quicquid inuenire potuerint ferro uolarẽt & flammis. quo ita disposito, solis primo exortu usis per montium uertices barbaris, ad ælsiora ducebatur alacrior miles: nullóque inuento (hoc siquidẽ opinati discessere) confestim eminus ingentis fumi uolumina uisebantur, indicantia nostros perruptas populari terras hostiles. quæ res Germanorum peculit animos, atque desertis insidijs, quas per arta loca & latebrosa struxerant nostris, trans Menum nomine fluuium ad opitulandum suis necessitudinibus auolarunt. Vt enim rebus amat fieri dubijs & turbatis, hinc equitum nostrorum accursu, inde nauigijs uectorũ militum impetu repentino perterrefacti, euadendi subsidiũ uelox locorum inuenere prudentes: quorum digressu miles libere gradiens, opulentas pecore uillas & frugibus rapiebat nulli parcendo. extractisque captiuis, domicilia cuncta curatius ritu Romano constructa, flãmis subditis exurebat. emensisque æstimatione decimi lapidis, cum prope sylua uenisset squalore tenebrarum horrendam, stetit diu cunctando, indicio perfugæ edoctus, per subterranea quædam occulta fossásque multifidas latere plurimos, ubi habile uisum fuerit, erupturos. Ausi tamen omnes accedere fidentissime, ilicibus incisis & fraxinis, roboréque obiecto magno semitas inuenere constratas. Ideóque gradientes cautius retro, non nisi per anfractus longos & asperos ultra progredi posse, uix indignationem capientibus animis, aduertebant. Et quoniam aeris urentis sæuitia cum discriminibus ultimis laboratur incassum (æquinoctio quippe autũnali exacto, per eos tractus superfusæ niues oppleuere mõtes simul & cãpos) opus arreptum est me-

morabile. & dũ nullus obsisteret, munimentũ quod in Alemannorum solo conditum Traianus suo nomine uolunt appellari, dudum uolentius oppugnatum, tumultuario studio reparatum est: locatisque ibi pro tẽpore defensoribus, ex Barbarorum uiscẽribus alimenta congesta sunt. quæ illi maturata ad suam perniciem contemplantes, metúque rei peractæ uolucriter congregati, precibus & humilitate suprema petiere missis oratoribus pacem: quam Cæsar omni consiliorum uia firmata causatus uerisimilia plurima, per decem mensium tribuit interuallum: id nimirum solerti colligens mente, quòd castra supra quàm optari potuit occupata, sine obstaculo tormentis muralibus, & apparatu deberẽt ualido communiri. hac fiducia tres immanissimi reges uenerunt, tandem aliquando iam trepidi, ex his qui misere uictis apud Argentoratum auxilia, iurantes conceptis ritu patrio uerbis nihil inquietum acturos, sed fœdera ad præstitutum usque diem, quia id nostris placuerat, cum munimento seruaturos intacto, frugésque portaturos humeris, si desuisse sibi docuerint defensores: quod utrunque metu perfidiam frænante fecerũt. hoc memorabili bello, comparando quidem Punicis & Teutonicis, sed dispendio rei Romanæ peracto leuissimo, ut faustus Cæsar exultabat & felix. credique obtrectatoribus potuit, ideo fortiter eum ubique fecisse fingentibus, quòd oppetere dimicando gloriosè magis optabat, quàm damnatorum sorte, sicut sperabant, ut frater Gallus occidi: ni pari proposito post excessum quoque Cõstantij actibus murandis inclaruisset. quibus ut in tali re compositis firmiter, ad sedes reuertens hybernas, sudorum reliquias reperit tales. Remos Seuerus magister equitum per Agrippinam petens & Iuliacum, Francorum ualidissimos cuneos in sexcentis

uelitibus, ut postea clarui, uacua præsidijs loca uastantes offendit: hac opportunitate in scelus audaciam erigente, quòd Cæsare in Alemannorum secessibus occupato, nullóque uetante, expleri se posse prædarum opimitate sunt arbitrati. sed metu iam reuersi exercitus, munimẽtis duobus, quæ olim exinanita sunt, occupatis, se quoad fieri poterat tuebãtur. Hac Iulianus rei nouitate perculsus, & coniciẽs quorsum erumperet, si ijsdẽ transisset intactis, retento milite circunuallare disposuit Castellum oppidum. quod Mosa fluuius præterlambit. & adusque quartum & quinquagesimum diem, Decẽbri scilicet & Ianuario mense obsidionales tractæ sunt moræ, destinatis barbarorum animis incredibili pertinacia reluctatis. Tunc pertimescens solertissimus Cæsar, ne obseruata nocte illuni, barbari gelu uinctum amnem peruaderent, quotidie à sole in uesperam flexo adusque lucis principium lusorijs naubus discurrentes flumẽ ultro citróque militẽs ordinauit, ut crustis pruinarum diffractis, nullus ad erumpendi copiã facile peruenirent. Hócque commẽto, inedia, & uiglijs, & desperatione postrema lassati, sponte se propria dederunt: statimque ad comitatum Augusti sunt missi. ad quos eximendos periculo, multitudo Francorum egressa, cum captos comperisset & asportatos, nihil amplius ausa repedauit ad sua castra. hisque perfectis acturus hyemem reuertit Parisios Cæsar. Quia igitur plurimæ gentes ui maiore collaturæ capita sperabantur, dolum bellorũ coniectans sobrius rector, magnis curarum molibus stringebatur. Dúmque per inducias licet negotiosas & breues, ærumnosis possessorũ damnis mederi posse credebat, tributi ratiocinia dispensauit. Cúmque Florentius præfectus prætorio cuncta permensus, ut contendebat, quicquid in capitatione deesset ex

conquisitis se supplere firmaret, taliũ gnarus, animã prius amittere, quàm hoc sinere fieri memorabat. Norat enim huiusmodi prouisionũ, imò euersionum, ut uerius dixerim, insanabilia uulnera sæpe ad ultimam egestatem prouincias contraxisse. quæ res, ut docebitur postea, penitus euertit Illyricũ. Ob quæ præfecto prætorio ferri non posse clamante, se repente factum infidum, cui Augustus summam commiserit rerum: Iulianus eum sedatus lenuens, scrupulose computando & uere, docuit non sufficere solum, uerũetiam exuberare capitationis calculum ad commeatũ necessarios apparatus. Nihilominus tamen diu postea indictionale augmentum oblatum sibi nec recitare nec subnotare perpessus, humi proiecit: liteisque Augusti monitus ex relatione præfecti, non agere ita perplexe, ut uideretur parum Florentio credi: rescripsit, gratandum esse, si prouincialis hinc inde uastatus, saltem solennia præbeat, nedum incrementa, quæ nulla supplicia egenis possent hominibus extorquere. Factumque est tunc & deinde uirius animi firmitatem, ut præter solita nemo Gallis quicquã exprimere conaretur. Inique insuetato exẽplo id petendo Cæsar impetrauerat à præfecto, ut secũdæ Belgicæ multiformibus malis oppressæ dispositio sibi committeretur, ea uidelicet lege, ut nec præfectianus, nec præsidialis apparitor ad soluendum quenquam urgeret. Quo leuati solatio cuncti, quos in curam æs alienum separat suam, nec inerpellati ante præstitutum tempus debita contulerunt. Inter hæc recreandarum exordia Galliarum administrante secundam adhuc Orphito præfecturam, obeliscus Romæ in circo erectus est maximo. super quo nunc, quia tempestiuum est, paucia discurram. Vrbem priscis seculis conditam ambitiosa mœnium structe, & portarum centum

quondã aditibus cælebrẽ hecatompylos Thebas *institutores ex facto cognominarunt, cuius uocabulo prouincia nunc usque* Thebais *appellatur. Hãc inter exordia pandentis se latè* Carthaginis, *improuiso excursu ducès oppressere* Pœnorum: *posteáque reparatam* Persarum *rex ille* Cambyses, *quoad uixerat alieni cupidus & immanis,* AEgypto *perrupta aggressus est, ut opes eximde raperet muiédãs, ne deorum quidem donarijs parcens. qui dum inter prædatores turbulenter concursat, laxitate præpeditus indumentorum concidit pronus: ac suomet pugione, quem aptatum femori dextro gestabat, subita ui ruinæ nudato uulneratus penè letaliter mœrisset. Longè autem postea* Cornelius Gallus, Octauiano *res tenente* Romanas, AEgypti *procurator, exhausit ciuitatem plurimis interceptis: reuersúsq; cum furtorum arcesseretur, & depopulatæ prouinciæ, metu nobilitatis acriter indignatæ, cui negotium spectandum dederat imperator, stricto incubuit ferro. Is est, si recte existimo, ~~Gallus poeta, quem~~ flens quodãmodo in postrema* Bucolicorum ~~parte~~ Virgilius *carmine decantat. In hac urbe inter labra ingentia, diuersáq; moles figmẽta* AEgyptiorũ *numinũ exprimẽtes, obeliscos uidimus plures, aliósq; iacentes & cõminutos, quos antiqui reges bello domitis gentibus, aut prosperitatibus summarũ rerum elati, montiũ uenis uel apud extremos orbis incolas perscrutatis excisos erectósque, dijs superis in religione dicarũt. Est autem obeliscus asperrimus lapis in figuram metæ cuiusdã, sensim ad ~~procritatem~~ consurgens excelsam, utq; radium imitetur, gracilescẽs paulisper, specie quadrata in uerticem productus angustum, manu leuigatus artificis. formarũ autem innumeras notas hieroglyphicas appellatas, quas ei undique uidemus incisas, initialis sapientiæ uetus*

insigniuit autoritas. Volucrum enim ferarúmque, etiam alieni mundi, genera multa sculpentes, ad æui quoque sequentis ætates imperatorum uulgarius peruenuente memoria, promissa uel soluta regum uota monstrabant. Non enim ut nunc literarũ numerus præstitutus & facilis exprimit quicquid humana mens concipere potest, ita prisci quoque scriptitarunt AEgyptij: sed singulæ literæ singulis nominibus feruebant, & uerbis nonnunquam significabant integros sensus. Cuius rei scientiæ in his mœrum sit duobus exẽplum. per uulturem naturæ uocabulum pandunt: quia mares nullos posse inter has alites inueniri rationes memorant physicæ: pérque speciem apis mella conficientis indicant regem, moderatori cum iucunditate aculeos quoque innasci debere his signis ostendentes: & similia plurima. Et quia sufflantes adulatores ex more Constantium, id sine modo strepebant, quòd cum Octauianus Augustus obeliscos duos ab Heliopolitana ciuitate transtulisset AEgyptia (quorũ unus in Circo maximo, alter in campo locatus est Martio) hũc recens aduectum difficultate magnitudinis territus, nec contrectare ausus est, nec mouere. Ddiscant qui ignorãt, ueterem principem translatis aliquibus hunc intactum ideo præterijsse, quòd deo Soli speciali munere dedicatus, fixúsq; intra ambitiosi templi delubra, quæ cõtingi non poterant, tanquam apex omnium eminebat. Verum Constantinus id parui ducens, auulsam hanc molem sedibus suis, nihílque committere in religionem recte existimans, si ablatum uno templo miraculum Romæ sacraret, id est, in templo mundi totius, iacere diu perpessus est, dum translationi pararentur utilia. Quo conuecto per alueum Nili, proiectóque Alexandriæ, nauis amplitudinis antehac inusitatæ ædificata est sub trecentis

remigibus agitanda. Quibus ita promissis, digressóque uiro principe memorato, urgens effectus mitepuit: tandémq; sero impositus naui per maria, fluentaque Tybridis uelut paucentis, ne quod penè ignotus miserat Nilus, ipse parum sub emeatus sui discrimine mœnibus alũnis inferret, defertur in uicum Alexandri, tertio lapide ab urbe seiunctum: unde chamulcis impositus, tractúsque lenius per Ostiensem portam, piscinámque publicã circo illatus est maximo. Sola post hæc restabat erectio, quæ uix, aut ne uix quidem sperabatur posse compleri: erectisque usque periculũ altis trabibus, ut machinarũ cerneres nemus, innectuntur uasti funes & longi, ad speciem multiplicium liciorũ cælum densitatæ nimia subtexentes: quibus colligatus mons ipse effigiatus scriptilibus elementis, paulatimque id per arduum mane protẽtus, diúique pẽsilis hominũ millibus multis, tanquam molendarias rotantibus metas, cauea locatur in media: eíque sphæra superponitur ahena, aureis lamnis nitens: qua confestim ui ignis diuini cõtacta, ideóque sublata, facis imitamentum in figura æreum, itidẽ auro imbractatum, uelut abundanti flamma canentis. Secutæque ætates alios transtulerũt: quorum unus in Vaticano, alter in hortis Sallustij, duo in Augusti monumẽto erecti sunt. Qui autem notarum textus obelisco incisus est ueteri, quem uidemus in circo, Hermapionis librum sequuti interpretatum literis subiecimus Græcis.

Ἀρχὴν ἀπὸ τῆ νοτίου διιρμηνευμίνα ἐχφ σῖχος πρῶτος. Τάδιὶ σὶν ἃ βασιλῆ ῥαμίσῃ διδωρήμιθα, ὃν πᾶσαν οἰκυμίνην μιτὰ χαρᾶς βασιλδῶν ἥλιος φιλῆ καὶ ἀπόλλων. ιρατιρὸς φιλαλήθης ὑὸς ἥρωνος θεογέννητος ιτίσης τῆς οἰκουμίνης, ὃν ἥλιος προίκιρινεν, ἄλκιμος ἄρεως βασιλδὺς ῥαμίσης, ᾧ πᾶσα ὑποτίταικται ἡ γῆ μιτὰ ἀλκῆς καὶ θάρσες. βασιλδὺς ῥαμίσης

ἡλίου πᾶς αἰωνόβιος. στίχος δεύτερος. ἀπόλλων κρατερὸς, ὁ ἐσῶν ἐπ' ἀληθείας δεσπότης διαδήματος, τὴν αἴγυπτον δοξάσας μεταμφιέσας, ὁ ἀγλαοποιήσας ἡλίου πόλιν, καὶ κτίσας τὴν λοιπὴν οἰκουμένην, καὶ πολυτιμήσας τοὺς ἐν ἡλίου πόλει θεοὺς ἀνιδρυμένους, ὃν ἥλιος φιλεῖ. τρίτος στίχος. ἀπόλλων κρατερὸς ἡλίου παῖς παμφεγγὴς, ὃν ἥλιος προέκρινεν, καὶ ἄρης ἄλκιμος ἐδωρήσατο. ἓ τὰ ἀγαθὰ ἐν παντὶ διαμενεῖ καιρῷ. ὃν ἄμμων ἀγαπᾷ, πληρώσας τὸν νεὼν τοῦ φοίνικος ἀγαθῶν. ᾧ οἱ θεοὶ ζωῆς χρόνον ἐδωρήσαντο. ἀπόλλων κρατερὸς υἱὸς ἥρωος, βασιλεὺς οἰκουμένης ῥαμέσης, ὃς ἐφύλαξεν αἴγυπτον τοῦ ἄλλου ἔθνους νικήσας, ὃν ἥλιος φιλεῖ. ᾧ πολὺν χρόνον ζωῆς ἐδωρήσαντο θεοὶ, δεσπότης οἰκουμένης ῥαμέσης αἰωνόβιος. ἄλλος στίχος δεύτερος. ἥλιος θεὸς μέγας δεσπότης οὐρανοῦ δεδώρημαι σοι βίον ἀπρόσκοπον. ἀπόλλων κρατερὸς κύριος διαδήματος, ἀνέκκαυστος, ᾧ ἀνδριάντας ἀνέθηκεν ἐν τῇδε τῇ βασιλείᾳ δεσπότης αἰγύπτου, καὶ ἐκόσμησεν ἡλίου πόλιν ὁμοίως καὶ αὐτὸν ἥλιον δεσπότην οὐρανοῦ. συνετελούτησεν ἔργον ἀγαθὸν ἡλίου παῖς βασιλεὺς αἰωνόβιος. τρίτος στίχος. ἥλιος θεὸς δεσπότης οὐρανοῦ ῥαμέσῃ βασιλεῖ δεδώρημαι τὸ κράτος καὶ τὴν κατὰ πάντων ἐξουσίαν. ὃν ἀπόλλων φιλαλήθης δεσπότης χρόνων, καὶ ἥφαιστος ὁ τῶν θεῶν πατὴρ προέκρινεν διὰ τὸν ἄρεα. βασιλεὺς παγχαρὴς ἡλίου παῖς καὶ ὑπὸ ἡλίου φιλούμενος. ἀφηλιώτης πρῶτος στίχος. ὁ ἀφ' ἡλίου πόλεως μέγας θεὸς οὐρανίος ἀπόλλων κρατερὸς, ἥρωος υἱὸς, ὃν ἥλιος ἠγώνισεν, ὃν οἱ θεοὶ ἐτίμησαν, ὁ πάσης γῆς βασιλεύων, ὃν ἥλιος προέκρινεν, ὁ ἄλκιμος διὰ τὸν ἄρεα βασιλεὺς, ὃν ἄμμων φιλεῖ, καὶ ὁ παμφεγγὴς συγκρίνας αἰώνιον βασιλεία. & reliqua. Datiano & Cereali cõsulibus, cum uniuersa per Gallias studio cautiore disponerentur, formidóque præteritorũ barbaricos hebetaret excursus, rex Persarũ in cõfinis

agens adhuc gentium extimarum, iámque cum Chionitis & Gelanis omnium acerrimis bellatoribus pignore icto societatis, rediturus ad sua, tum Saporis scripta susceptit, pacem Romanum principem nuntiátis poscere precatiuam. Ideóque non nisi mfirmato imperij robore tentari talia suspicatus, latius semet extentans pacis amplectitur nomẽ, & conditiones proposuit graues: missóque cum muneribus Narseo quodam legato, literas ad Constantium dedit, nusquam à genuino fastu declinans, quarum hunc fuisse accepimus sensum: Rex regum Sapor particeps siderum, frater Solis & Lunæ, Cõstantio fratri meo salutem plurimam dico: Gaudeo, tandémque mihi placet ad optimam te uiam reuertisse, & incorruptum æquitatis agnouisse suffragũ, rebus ipsis expertum pertinax alieni cupiditas quas aliquoties ediderit strages. Quia igitur ueritatis oratio soluta esse debet & libera, & celsiores fortunas idem loqui decet atque sentire, propositum meum in pauca conferam, reminiscens hæc quæ dicturus sum, me sæpius replicasse. Adusq; Strymona flumen, & Macedonicos fines tenuisse maiores meos, antiquitates quoq; uestræ testãtur: hæc me conuenit flagitare (ne sit arrogans quod affirmo) splendore uirtutúmq; mfignium serie uetustis regibus antistantem. Sed ubique mihi cordi est recordatio, cui coalitus ab adolescentia prima, nihil unquam pœnitendũ admisi. Ideóq; Armeniam recuperare cum Mesopotamia debeo, auo meo composita fraude præreptã. Illud apud nos nũquam acceptũ fuit, quod adseritis uos exultantes, nullo discrimine uirtutis ac doli, prosperos omnes laudari debere bellorũ euentus. Postremo si morem gerere suadenti uolueris recte, contemne partem exiguam semper luctificam & cruentam, ut cætera regas securus: ac prudenter reputans medelarum

quoque artifices urere nonnunquam & secare & partes corporũ amputare, ut reliquis uti liceat integris. hócque bestias facilitare: quæ cũ aduertant cur maximopere capiantur, illud propria sponte amittunt, ut uiuere deinde possint impauidæ. Id sanè pronuntio, quòd si hæc mea legatio redierit irrita, post tẽpus hyemalis quietis exemptum, uiribus totis accinctus, fortuna conditionúmque æquitate spem successus secundi fundãte, uenire quoad ratio siuerit festinabo. His literis diu libratis, recto pectore (quod dicitur) cõsideratéque responsum est, hoc modo: Victor terra mariq; Constantius fratri meo Sapori regi salutem plurimam dico: Sospitati quidẽ tuæ gratulor, ut futurus, si uelis, amicus: cupiditatem uero semper indeflexam fusiúsque uagantem uehementer insimulo. Mesopotamiã poscis ut tuam, perindéque Armeniã: & suades integro corpore adimere membra quædam, ut salus deinde locetur in solido: quod refutandum est melius potius quàm ulla consensione firmandum. Accipe igitur ueritatem non opertam præstigijs, sed perspicuã, nullisque minis inanibus perterrendam. Præfectus prætorio meus opinatus aggredi negotiũ publicæ utilitati conducens, cum duce tuo per quosdam ignobiles me inconsulto sermones conseruit super pace. Non refutamus hanc nec repellimus, adsit modo cum decore & honestate, nihil pudori nostro præreptura uel maiestati. est enim absonum & indecens, cum gestarum rerum ordine explicatæ sint aures, quas inuidiæ nobis multipliciter inclusérunt, cum delẽtis tyrannis totus orbis Romanus nobis obtemperat, ea prodere, quæ cõtracti in oriẽtales angustias diu seruauimus illibata. Cessent autem quæso formidines, quæ nobis intentantur ex more: cum ambigi nequeat, non inertia nos, sed modestia, pugnas interdũ excepisse potius quàm

intulisse: & nostra quoties lacessimur fortissimo beneuolentiæ spiritu defensare, id experiendo legendóque scientes, in prælijs quibusdam raro rem titubasse Romanam, in summa uero bellorũ nunquam ad deteriora prolapsam. Hanc legationem nullo impetrato remissam, nec enim effrænatæ regis cupiditati responderi amplius quicquam potuit, post paucissimos dies secutus est Prosper comes, & Spectatus tribunus & notarius, itémque Eustachius Musonuano suggerẽte philosophus, ut opifex suadẽdi, imperatoris scripta perferẽtes & munera, enisuri apparatum interim Saporis arte quadam suspẽdere, ut supra humanum modum prouinciæ munirentur Arctoæ. Inter quæ ita ambigua Iuthiuntugi Alemannorũ pars Italicis conterminans tractibus, obliti pacis & fœderum, quæ adepti sunt obsecrando, Rhetias turbulente uastabant, adeo ut etiam oppidorũ tentarent obsidia præter solitum. Ad quos repellẽdos cum ualida manu missus Barbatio in locum Siluani peditum promotus magister, ignauus, sed uerbis effusior, alacritate militum uehementer erecta, prostrauit acerrime multos: ita ut exigua portio, quæ periculi metu se dedit in fugam, ægre dilapsa res suas non sine lachrymis reuiseret & lamentis. Huic pugnæ Neuita postea consul equestris præpositus turmæ, & adfuisse, & fortiter fecisse firmatur. Iisdem diebus terræmotus horrendi per Macedoniam, Asiámque, & Pontum assiduis pulsibus oppida multa concusserunt, & montes. inter monumenta tamen multiformũ ærumnarũ eminuere Nicomediæ clades, Bithyniæ urbiũ matris: cuius ruinarum euẽtum uere, breuitérque absoluam. Primo lucis exortu diẽ nonum Calen. Septẽbrium, concreti nubiũ globi nigrantiũ lætam pauloante cæli speciem confuderunt, & amandato solis splendore, nec con-

tigua uel apposita cernebantur, ita oculorum obtutu præstricto, humo muolutus crassæ caliginis squalor insedit. Dem uelut numine summo fatales contorquentæ mauubias, uentósque ab ipsis excitantæ cardinibus, magnitudo furentium imbuit procellarum: cuius impetu pulsorum auditus est montium gemitus, & elisi littoris fragor aqueus, cum typhones atque presteres cum horrifico tremore terrarum ciuitatem & suburbana funditus euerterũt. Et quoniam ad ciuitatem collium ædes pleræque uehebantur, aliæ super alias concadebant reclangentibus cunctis sonitu ruinarum immenso. Interímque clamoribus uarijs excelsa culmina resultabant, quæritantium coniugum liberósque, & siquid necessitudinis artæ constringit. Post horam denique secundam, multo ante tertiam, aer iam sudus & liquidus latentes retexit funereas strages. Nonnulli enim superruentium ruderum ui nimia constipati, sub ipsis interiere ponderibus. quidam collo tenus aggeribus obruti, cum superesse possent si qui iuuissent, auxiliorum inopia necabantur. alij lignorum extantium acuminibus fixi pendebant. Vno ictu cæsi complures pauloante homines, tunc pronuscuæ strages cadauerum uidebantur. quosdam domorum inclinata fastigia intrinsecus ferebant intactos, angore & media consumendos. inter quos Aristænetus affectatam regens diœcesim, curans uicaria potestate, quam Constantius ad honorem uxoris Eusebiæ Pietatis cognominarat, animam hoc casu cruciatã diutius exhalauit. Alij subita magnitudine oppressi, ijsdem adhuc molibus contenguntur. Collisis quidam capitibus, uel humeris præsectis aut cruribus, inter uitæ mortisque confinia, aliorum adiumẽta paria perferẽtium implorantes cum obtestatione deserebantur. & superesse po-

tuit ædium sacrarum & priuatarum, hominúmque pars maior, ni palantes abrupti flammarum ardores per quinquaginta dies & noctes, quicquid consumi poterat, exussissent. Adesse tempus existimo pauca dicere, quæ de terræ pulsibus coniectura ueteres collegerunt. Ad ipsius enim ueritatis arcana non modo hæc nostra uulgaris insatia, sed ne sempiterna quidem lucubrationibus longis nondum exhausta physicorum ingenia penetrarunt. Vnde & in ritualibus & pontificijs obtemperantibus sacerdotijs, cautum, ne alio deo pro alio nominato, cum qui eorum terram concutiat sit abstrusum, piacula committantur. Accidunt autem, ut opiniones æstimant, inter quas Aristoteles æstuat & laborat, aut in cauernis minutis terrarũ, quas Græcæ syrmgas appellamus, impulsu crebriori aquis undabundis: aut certe, ut Anaxagoras affirmat, uentorum ui subeuntium ima terrarum: qui cum solidis tibus concrustatis inciderint, eruptiones nullas reperientes, eas partes soli conuibrant, quas subrepserint humidi. Vnde plerunque obseruatur, terra tremente, uentorum apud nos spiramina nulla sentiri, quòd in ultimis secessibus occupãtur. Anaximãder ait arescentem nimia æstuum siccitate, aut post madores imbrium terram rimas pandere grandiores, quas penetrat supernus aer uiolentus & nimius, ac per eas uehementi spiritu quassatã cieri proprijs sedibus. Qua de causa terrores huiusmodi uaporatis temporibus, aut nimia aquarum cælestium superfusione contingunt. Ideóque Neptunum humentis substantiæ porestatem, Ennosigæon & Sisichthona poetæ ueteres, & theologi nuncupauerunt. Fiunt autem terrarum motus modis quatuor: aut enim brasmatiæ sunt, qui humum intus suscitantes, sursum propellũt immanissimas moles, ut in Asia

Delos emersit, & Hiera, & Anaphe, & Rhodus, Ophiusa & Pelagia prioribus seculis dictitata, aureo quondam imbri perfusa, & Eleusim in Bœotia, & apud Tyrrhenos Vulcanus, insulæque plures: aut climatiæ, qui limes ruētes & obliqui, urbes, ædificia montēsque complanant: aut chasmatiæ, qui grādiori motu patefactis subito uoratrinis, terrarum partes absorbent: ut in Atlantico mari, Europæo orbe potior insula, & in Crisæo Heliæ & Bura, & in Ciminia Italiæ parte oppidū Succunium, ad Herebi profundos hiatus abacta æternis tenebris occultantur. Inter hæc tria genera terræ motuū Myœmatiæ sonitu audiūtur minatorio, cum dissolutis elementa cōpagibus ultro adsiliūt, uel relabuntur considentibus terris. tunc enim necesse est uelut taurinis reboare mugitibus fragores fremitūsque terrenos. Sed hinc ad exorsa. At Cæsar hyemem apud Parisios agens, Alemannos præuenire studio maturabat ingenti, nondum in unum coactos, sed insania post Argentoratum audaces omnes & sæuos: opperiēsque Iulium mensem, unde sumunt Gallicani procinctus exordia, diutius angebatur. Nec enim egredi poterat, antequam ex Aquitania æstatis remissione solutis frigoribus & pruinis ueheretur annona. Sed ut est dfficultatum penè omnium diligens ratio uictrix, multa mente uersans & uaria, id tantum reperit solum, ut anni maturitate non expectata barbaris occurreret insperatus. firmatóque cōsilio XX dierum frumentum ex eo quod erat in sedibus consumendū, ad usus diuturnitatem excoctum, bucœllatum, ut uulgo appellant, humeris imposuit libentium militum: hócque subsidio fretus secūdis ut antè auspicijs profectus est, intra mensem quintum uel sextum duas expeditiones consummari posse urgētes & necessarias arbitratus. Quibus paratis petit pri-

mos omnium Francos, eos uidelicet quos consuetudo Salios appellauit, ausos olim in Romano solo apud Toxiandriam locum habitacula sibi figere prælicenter. Cui cum Tungros uenisset, occurrit legatio prædictorum, opinantium reperiri imperatorem etiam tum in hybernis, pacem sub hac lege prætendens, ut quiescentes eos tanquam in suis nec lacesseret quisquam nec uexaret. Hos legatos, negotio plene digesto, oppositáque conditionum perplexitate, ut in ijsdem tractibus moraturus dum redeunt, muneratos absoluit: dictóque citius sequutus profectos, Seuero duce misso, per ripam subito cunctos adgressus, tanquam fulminis turbo perculsit. iámque precantes potius quàm resistentes, in opportunam clementiæ partē effectu victoriæ flexo, dedentes se cum opibus liberisque suscepit. Chamauos itidem ausos similia adortus, eadem celeritate partim cecidit, partim acriter repugnantes, uiuósque captos compegit in uincula: alios præcipiti fuga trepidantes, ad sua tecta, ne militem spatio longo defatigaret, abire interim permisit innocuos: quorum legatis, paulo postea missis precatum consultúmque rebus suis, humi prostratis sub obtutibus eius, pacem hoc tribuit pacto, ut ad sua redirent incolumes. Cunctis igitur ex uoto currentibus, studio peruigili properans modis omnibus utilitatem fundare prouinciarum, munimenta tria recta serie superciliis imposita fluminis Mosæ, subuersa dudum obstinatione barbarica, reparare pro tempore cogitabat: & ilico sunt instaurata procinctu paulisper omisso. atque ut consilium prudens celeritas faceret tutum, ex annona decem dierum & septem, quam in expeditionem pergens uehebat ceruicibus mules, portionem subtractam in ijsdem condidit castris, sperans ex Chamauorum segetibus id suppleri, quod abla-

tum est. Longe autem aliter accidit. frugibus enim nondum etiam maturis, miles expensis quæ portauit, nusquam reperiens uictus, extrema munitans Iulianum compellationibus incessebat & probris, Asianum appellans Græculum, & fallacem, & specie sapientiæ stolidum. útque inueniri solent quidam inter armatos uerborum uolubilitate conspicui, hæc & similia multa strepebant: Quò trahimur spe meliorum abolita, olim quidem dura & perpessu asperrima per niues tolerantes & acumina crudelium prunarum: sed nunc, proh nefas, cum ultimis hostium fatis instamus, fame, ignauissimo mortis genere, tabescentes? & nequis nos turbarum existimet concitores, pro uita loqui sola testamur, non aurum, neque argentum petentes, quæ olim nec contrectare potuimus, nec uidere, ita nobis negata uelut contra Rempublicam tot susæpisse labores & pericula confutatis. Et erat ratio iusta querelarum. Inter tot enim rerum probabilium cursus articulósque necessitatum ancipites, sudoribus Gallicanis miles nec donatiuum meruit nec stipendium, iam inde ut Iulianus illò est missus, ea re, quòd nec ipsi quod daret suppetere poterat usquam, nec Constantius erogari more solito permittebat. Hócque exinde claruit fraude potius quàm tenacitate committi, quòd cum idem Cæsar petenti ex usu gregario cuidam ut barbas detonderet, dedisset aliquid uile, contumeliosis calumniis appetitus est, Gaudentio tunc notario ad explorandos actus diu morato per Gallias, quem postea ipse interfici iussit, ut loco monstrabitur competenti. Lenito tandem tumultu non sine blanditiarum genere uario, contextóque nauali ponte Rheno transito, terris Alemannorum calcatis, Seuerus magister equitum belliósus ante hæc & industrius com-

marcuit. & qui sæpe uniuersos ad fortiter faciendum hortabatur & singulos, tunc dissuasor pugnandi contemptus uibebatur & timidus, mortem fortasse metuens aduentantem: ut in Tagetis Tusci libris legitur, *Veiouis fulmine mox tangendos adeo hebetari, ut nec tonitrum, nec maiores aliquos possint audire fragores. & iter ignauiter egerat præter solitum, ut ductores uarum præeuntes alacri gradu ultima munitando terreret, ni omnes conspirantes in unum, se loca penitus ignorare firmarent. qui interdicti metuentes autoritatem, nusquam deinde sunt progressi. Inter has tamen moras Alemannorum rex Suomarius ultro cum suis improuisus occurrit, ferox antè sæuénsque in damna Romana, & tum lucrum existimans insperatum, si propria retinere permitteretur. Et quia uultus incessúsque supplicem indicabat, susceptus, bonóque animo esse iussus & placido, nihil arbitrio suo relinquens, pacem genibus caruatis orabat. & eam cum concessione præteritorum sub hac meruit lege, ut captiuos redderet nostros, & quoties sit necesse, militibus alimenta præberet, susceptorũ uilium more securitatem accipiens pro illatis: quam si non ostendisset in tempore, sciret se rursus ea defatigandum. Quod ita recte dispositum, est impræpedite completũ. Hortarij nomine petẽdus erat regis alterius pagus. & quia nihil uidebatur deesse præter ductores, Nesticæ tribuno scutariorum, & Charitoni uiro fortitudinis miræ imperauerat Cæsar, ut magna quæsitum industria comprehensúmque offerrent sibi captiuum. & correptus uelociter adolescens ducitur Alemannus, pacto obtinendæ salutis pollicitus itinera se monstraturum. Hoc prægresso sequutus exercitus, celsarum arborum obsistente congerie ire protenus uetabatur. Verum per circuitus longos & fle-*

xuosos uentum est tandem ad loca: & ira quisque percitus armatorum urebat agros, pecora diripiebat & homines, resistentésque sine ulla parsimonia contruncabat. His malis perculsus rex, cum multiplices regiones, uicorúmque reliquias æreneret exustorũ, ultimas fortunarum iacturas adesse iã contemplatus, orauit ipse quoque ueniam, facturũ se imperanda iurandi execratione restituere uniuersos promisit: id enim cura agebatur impensiore: detentisq; plurimis, reddidit paucos. Quo cognito ad indignationem iustam Iulianus erectus, cum munerandus uenisset ex more, quatuor comites, quorũ ope & fide maxime nitebatur, nõ ante absoluit, dum omnes rediere captiui. Ad colloquium tamen accitus à Cæsare, trementibus oculis adorato, uictorísque superatus aspectu, conditione difficili premebatur: hac scilicet: ut quoniam consentaneũ erat, post tot secundos euẽtus, ciuitates quoq; reparari ui barbarorũ excisas, carpenta & materias ex opibus suis suorúmque præberet. & hæc pollicitus, imprecatúsque, si perfidũ quicquam egisset, luenda sibi cruore supplicia, ad propria remeare permissus est. Annonam enim transferre, ita ut Suomarius, ea re compelli non potuit, quòd ad internecionẽ regione eius uastata nihil mueniri poterat quod daretur. Ita reges illi tumentes quondam immaniter, rapinísque diteſcere adsueti nostrorum, Romanæ potentiæ iugo subdidere colla iam domita, & uelut inter tributarios nati & educati, obsecundabant imperio ingrauatè. Quibus hoc modo peractis, dispérso per stationes milite, consueta ad hyberna regressus est Cæsar. Hæc cum in comitatu Constantij subinde noscerentur (erat enim necesse tanquam Cæsarem super omnibus gestis ad Augusti referre scientiam) omnes qui plus poterant in palatio, adulandi professores iã docti, recte con-

ſulta proſperéque completa uertebant in deridiculum: talia ſine modo ſtrepentes inſulſe: In odium uenit cum uictoriis ſuis capella, non homo: ut hirſutum Iulianum carpentes: appellantéſque loquacem talpam, & purpuratam ſimiam, & literionem Græcum: & his congruentia plurima, atque uernacula principi reſonantes, audire hæc taliáque geſtienti, uirtutes eius obruere uerbis impudentibus conabatur, ut ſegnem inceſſentes, & timidum, & umbratilem, geſtáque ſecus uerbis comptioribus exornantem: quod non tunc primitus accidit. nanque (ut ſolet amplissima gloria obiecta eſſe ſemper inuidiæ) legimus in ueteres naturáque magnificos duces uitia criminaque, etiãſi inueniri non poterant, finxiſſe ~~malignitatem~~ ſpectatiſſimis actibus eorum offenſam: ut Cimonem Milciadis filium inſimulatum ſæpe ante, qui prope Eurimedonta Pamphylium flumen, Perſarum populum deleuit innumerum: coegítque gentem inſolentia regis elatam, obſecrare ſupplicitèr pacem: AEmilianum itidem Scipionem, ut ſomniculoſum æmulorum incuſari maliuolentia, cuius impetrabili uigilantia obſtinatæ imperniciem Romæ duæ ſunt potentiſſimæ urbes exciſæ. necnon etiam in Pompeium obtrectatores iniquis ſcrutantes, cum nihil unde uituperari deberet, inueniretur, duo hæc obſeruauerunt ludibrioſa & irrita: quòd genuino quodam more caput digito uno ſcalpebat: quódque aliquádiu tegendi ulceris cauſa deformis, faſciola candida crus colligabat: quorum alterum factitare ut diſſolutũ, alterum ut nouarum rerum cupidum adſerebant, nihil intereſſe oblatrantes argumento ſubfrigido, quam partẽ corporis redimiret regiæ maieſtatis inſigni, eum uirum, quo nec fortior nec cautior quiſquam patriæ fuit, ut documenta præclara teſtantur. Dum hæc ita aguntur, Romæ Artemius curam

uicariam præfecturam pro Basso quoque agebat, qui recens promotus urbi præfectus, fatali decesserat sorte. Cuius administratio seditiones perpessa est turbulentas, nec memorabile quicquam habuit, quod narrari sit dignum. Augusto inter hæc quiescenti per hyemem apud Sirmium, indicabant nuntij graues & crebri, permixtos Sarmatas & Quados, uicinitate & similitudine morum armaturæque concordes, Pannonias Mœsiarúmque alteram cuneis incursare dispersis: quibus ad latrocinia magis quàm aperto habilibus Marti, hastæ sunt longiores, & loricæ ex cornibus rasis & leuigatis, plumarum specie linteis indumentis innexæ: equorúmque plurimi ex usu castrati, ne aut fœminarum uisu exagitati raptentur, aut in subsidijs ferocientes prodant hinnitu densiore uectores. & per spatia discurrunt amplissima sequentes alios, uel ipsi terga uertentes insidendo uelocibus equis & morigeris, trahentésque singulos, interdum & binos, uti permutatio uires foueat iumentorum, uigórque otio integretur alterno. A Equinoctio itaque temporis uerni confecto, imperator coacta militum ualida manu, ductu lenioris fortunæ profectus, cum ad locum aptissimum peruenisset, flumen Istrum exundantem prunarum iam resoluta congerie, super nauium foros ponte contexto transgressus, populandis barbarorum incubuit terris: qui itinere festinato præuenti, cateruásque bellatoris exercitus iugulis suis imminere cernentes, quem nondum per anni tempus colligi posse rebantur, nec spirare ausi, nec stare, sed uitantes exitium insperatum, semet omnes effuderunt in fugam: stratisque plurimis quorum gressus uinxerat timor, ij quos exemit celeritas morti, inter latebrosas conualles montium occultati, uidebant patriam ferro pereuntem: quam

uindicassent profecto, si uigore quo discesserant, restitissent. Gerebantur hæc in ea parte Sarmatiæ, quæ secundam prospectat Pannoniam: paríque fortitudine contra Valeriam opes barbaricas ferendo rapiẽdóque occurrentia militaris turbo uastabat. Cuius cladis immensitate permoti, posthabito consilio latendi, armati petendæ specie pacis agmine tripertito, agentes securius nostros aggredi cogitarũt. nec expedire tela, nec uim uulnerum declinare, nec quod in rebus artissimis ultimum, uerti posse in fugã. Aderant autem ilico Sarmatis periculorũ Quadi participes, qui noxarum sæpe socij fuerant indiscreti. sed ne eos quidem prõpta iuuit audacia in discrimina ruentes aperta. Cæsis enim compluribus, pars quæ potuit superesse, per notos colles euasit. quo euentu ires & animos incitantæ, iunctis densius cuneis ad Quadorum regna properabat exercitus. qui ex præterito casu impendentia formidãtes, rogaturi supplicitẽr pacem, fidentes ad principis uenere cõspectum. Ergo hæc & similia lenituris, dictóque die statuendis conditionibus, modo Zizais quoque etiam tum regalis haud parui corporis iuuenis, ordines Sarmatarum more certaminis instruxit ad preces. usóque imperatore abiectis armis pectore toto procubuit examinis stratus: & amisso uocis officio præ timore, dum eũ orare deberet, maiorem misericordiam mouit, conatus aliquoties, parúmque impedientẽ singultu permissus explicare quæ poscebat. Recreatus denique tandẽ, iussúsque exurgere, genibus nixus usu linguæ recuperato, cõcessionem delictorum sibi tribui supplicauit & ueniã. eóque ad precandũ admissa multitudo, cuius ora formido muta cludebat, periculo adhuc præstantioris ambiguo, ubi ille solo iussus attolli, orandi signum expectantibus diu mostrauit, omnes clypeis telísque proie-

ctis manus precibus dederunt, plura excogitantes ut uincerent humilitate supplicandi regalem. duxerat potior cum cæteris armatis etiam Rumonem, & Zinafrum, & Fragiledum subregulos, plurimósque optimates cum impetrandi spe simulia petituros. Qui licet elati gaudio salutis indultæ, conditionum sarcina compensare inimicæ facta pollicebantur, séque cum facultatibus & liberis & coniugibus terrarúmque suarum ambitu Romanæ potentiæ libenter offerrent: præualuit tamen æquitati iuncta benignitas: iussique obtinere sedes impauidi, nostros reddidere captiuos. Duxeruntque obsides postulatos, & obedire præceptis deinde promptissime spoponderunt. Hortante hoc exemplo clementiæ, aduolarunt regales cum suis omnibus Arabarius & Vsafer, inter optimates excellentes agminũ gentilium ducés: quorum alter trãsiugitanorum Quadorum parti, alter quibusdã Sarmatis præerat, locorum confinijs & feritate iunctissimis. quorum plebem arcuit imperator, ne ferire fœdera simulans, in arma repente consurgeret. discreto consortio, pro Sarmatis obsecrantes iussi paulisper abscedere, dum Arabarij & Quadorum negotium spectaretur. Qui cum eorum ritu oblati, stantes curuatis corporibus, facinora grauia purgare non possent, ultimæ sortis infortunia metuentes, dederunt obsides imperatos, nunquam antea pignora fœderis exhibere compulsi. His ex æquo bonóque cõpositis, Vsafer in preces admissus est: Arabario pertinaciter obstrepente, firmantéque, pacem quam ipse meruit ei quoque debere proficere, ut participi, licet inferiori, & obtemperare suis imperijs consueto. Verum quæstione discussa, aliena potestate eripi Sarmatæ iussi ut semper Romanorum clientes, offerre obsides quietis uincula conseruandæ gratanter amplexi sunt. Ingerebat

autem se post hæc maximus numerus cæteruarũ confluentiũ nationum & regum, suspendi à iugulis suis gladios obsecrantium, posiquã Arabarium impune compererãt abscessisse. & pari modo ipsi quoque adepti pacem quam poscebant, accitos ex intimis regni procerum filios obsidatus sortæ opinione cælerius obtulerũt: itidémque captiuos, ut placuerat, nostros, quos haud minori gemitu perdidere quàm suos. Quibus ordinatis, translata est in Sarmatas cura, miseratione dignos potius quàm simultatæ: quibus incredibile quantum prosperitatis hæc attulit causa, ut uerũ illud æstimaretur, quod opinatur quidam, fatum uinci principis potestate, uel fieri. Potentes olim ignobiles erant huius indigenæ regni: sed coniuratio clandestina seruos armauit in facinus: atque ut barbaris esse omne ius in uiribus adsueuit, uicerunt dominos ferocia pares, & numero præminẽtes. qui confundente metu cõsilia, ad Victobalos discretos lõgius confugerunt, obsequi defensoribus, ut in malis optabile, quàm seruire suis mancipijs arbitrati. quæ deplorantes post impetratam ueniã recepti in fidem, poscebant præsidia libertati: eósq;, iniquitate rei permotus, inspectante omni exercitu conuocatos alloquutus uerbis mollioribus imperator, nulli nisi sibi ducibúsque Romanis parere præcepit. atque ut restitutio libertatis haberet dignitatis augmẽtum, Zizaim regem ijsdem præfecit conspicuæ fortunæ, tum insignibus aptum profecto, ut res docuit, & fidelem. nec discedere quisquam post hæc gloriosa gesta permissus est, antequam (ut placuerat) remearent nostri captiui. His in barbarico gestis, Bregetionem castra commota sunt: ut etiã ibi belli Quadorum reliquias circa illos agitantium tractus, lachrymæ uel sanguis extingueret. quorum regalis Vitrodorus Viduarij filius regis, & Agilimundus subregu-

lus, aliique optimates, & iudices uarijs populis præsidentes, uiso exercitu in gremio regni solique genitalis, sub gressibus iacuere militum, & adepti uenia, iussa fecerunt: sobolémque suam obsidatus pignore, ut obsequuturi conditionibus impositis, tradiderũt: eductisque mucronibus, quos pro numinibus colunt, iurauere se permansuros in fide. His (*ut narratum est*) *secundo finitis euentu, ad limitantes* Sarmatas *seruos ocyus signa trãsferri utilitas publica flagitabat, quos erat admodum nefas impune multa & nefaria perpetrasse.* Nam *uelut obliti priorum, tunc erumpentibus liberis, ipsi quoque tẽpus aptissimum nacti, limitem perrupere* Romanum, *ad hanc solã fraudem dominis suis hostibúsque concordes. deliberatum est tamen id quoque lenius uindicari, quàm criminum magnitudo poscebat: hactenus ultione porrecta, ut ad longinqua trãslati amitterent copiam nostra uexandi: quos pericula formidare monebat scelerum conscientia diutius commissorũ.* Ideóque *in se pugnæ molem suspicati uertendam, dolos parabant, & ferrũ, & preces.* Verum *aspectu primo exercitus tanquam fulminis ictu percussi, ultimáque cogitantes, uitam precati, tributum annuum, delectúmque ualidæ iuuentutis, & seruitiũ spoponderunt: annuere parati, si inberentur aliorsum migrare, ut gestibus indicabant & uultibus, locorum confisi præsidio, ubi lares post exactos inde dominos fixere securi.* Has *enim terras* Parthiscus *irruens obliquatis meatibus* Istro *miscetur. sed dum solus liquentius fluit, spatia longa & lata sensim præterlabẽs, & ea coarctans propè exitum in angustias, accolas ab impetu* Romanorum *alueo* Danubij *defendit, à barbaricis uero excursibus suo tutos præstat obstaculo: ubi pleraque humidioris soli natura & incrementis fluminum redundantia, stagnosa & re-*

ferta salicibus, ideóque inuia, nisi perquam gnaris: & super his insularem anfractum aditu Parthisca *penè contiguũ amnis potior ambiens, terræ consortio separauit. Hortante igitur principe cũ genuino fastu ad citeriorẽ uenere fluminis ripã, ut exitus docuit, non iussa facturi, sed ne uiderentur militis præsentiam formidasse: stabántque contumaciter, ideóque propinquasse monstrantes, ut iubenda repudiarent. quæ imperator accidere posse contemplans, in agmina plurima clàm distributo exercitu, celeritate uolucri migrantes intra uallum acies clausit. stánsque in aggere celsiore cũ paucis, & stipatorũ præsidio tectus, eos ne ferocirẽt, leniuis admonebat. sed fluctuãtes ambiguitate mentiũ in diuersa rapiebãtur, & furori mixta uersutia tentabant cũ precibus præliũ, uicinúmq; sibi in nostros parantes excursum proiecere consulto longius sauta, ut ad ea recuperanda sensim progressi, sine ullo fraudis indicio spatia furarentur. Iámq; uergente in uesperũ die, cum moras rũpere lux moneret, excedẽs erectis uexillis, in eos igneo miles impetu ferebatur. qui conuersi, aciéque dẽsiore contracta, aduersus ipsum principem stantem (ut dictum est) altius omnem impetum contulerãt, cum oculis incessentibus & uocibus truculentis. Cuius furoris amentiam exercitus ira ferre non potuit, eósque imperatori, ut dictum est, acriter imminentes, desinentes in angustum fronte, quem habitũ Caput porci simplicitas militaris appellat, impetu disiecit ardenti: & dextera pedites cateruas peditum obtruncabant, equites læua equitum se turmis agilibus infuderũt. Cohors prætoria ex aduerso Augustum cautius stipãs, resistentiũ pectora, móxque terga fugientium incidebat: & cadentes insuperabili contumacia barbari, non tam mortem dolere, quàm nostrorũ lætitiã horrendo stridore mon-*

ſtrabãt: & iacentes, abſq; mortuis, plurimi ſucciſis poplitibus, ideóque adempto fugẽdi ſubſidio: alij dexteris amputatis: nonnulli ferro quidẽ intacti, ſed ſuperuenientiũ collisi ponderibus, cruciatus alto ſilẽtio perferebant: nec eorum quiſquam inter diuerſa ſupplicia ueniam petijt, aut ferrum proiecit, aut exorauit celerem mortem: ſed arma iugiter retinentes, licet adflicti, minus criminis æſtimabãt alienis uiribus potius quàm conſcientiæ ſuæ iudicio uincimuſſantéſque audiebãtur interdũ, fortunæ nõ meriti fuiſſe quod euenit. ita in ſemihoræ curriculo diſcrimine præliorũ emenſo, tot procubuere ſubito barbari, ut pugnam fuiſſe ſola victoria declararet. Vix dum populis hoſtilibus ſtratis, gregatim peremptorum neceſſitudines duebantur humilibus extractæ tugurijs, ætatis ſexúſque promiſcui, & faſtu uitæ prioris abolito, ad infimitatem obſequiorum uenere ſeruilium: & exiguo temporis interuallo decurſo, cæſorũ aggeres, & captiuorum agmina cernebãtur. Incitantæ itaque feruore certaminum, fructúque uincendi, cõſurrectum eſt in perniciem eorum, qui deſeruere prælia, uel in tugurijs latitantes occultabantur. hos cum ad loca ueniſſet auidus barbarici ſanguinis miles, diſiectis culmis leuibus obtruncabat: nec quenquam caſa, uel trabibus compacta firmiſſimis, periculo mortis extraxit. denique cum inflammarentur omnia, non ullúſque latere iam poſſet, cunctis uitæ præſidijs circũciſis, aut obſtinate igni peribat abſumptus, aut incendium uitans, egreſſiſque uno ſupplicio declinato, ferro ſternebatur hoſtili. fugientes tamen aliqui tela, incendiorũmque magnitudinem, amnis uicini ſe commiſere gurgitibus, peritia nandi ripas ulteriores occupare poſſe ſperantes: quorum plerique ſubmerſi, necatíque ſunt, alij iaculis periere confixi: adeo ut abunde cruore diffuſo, mea-

tus fluminis spumaret tumens: ita per elementum utrũque armata uincentium ira uirtúisque deleuit. Placuerat igitur post hunc rerum ordinem cunctis adimi spem omnem, uitaéq; solatiũ: & post lares incensos, raptásque familias, nauigia iussa sunt colligi, ad indagandos quos à nostrorum acie ulterior discreuerat ripa: statimq;, ne alacritas intepesceret pugnatorum, impositi lintribus per abdita ducti, uel iter expediti occuparunt latibula Sarmatarũ, quos repentinus fe sellit aspectus, gentiles lembos & nota remigia conspicantes. Vbi uero procul micantibus telis, quod uerebãtur, propinquare senserunt, ad suffugia locorũ palustriũ se contulerunt: eósque secutus infestus miles plurimus, ibi victoriam reperit, ubi nec caute posse consistere, nec audere aliquid credebatur. Post absumptos penè diffusósq; Amicenses, petiti sunt sine mora Picenses, ita ex regionibus appellati conterminis: quos tutiores fecere sociorum cerumnæ rumorum assiduitate compertæ. ad quos opprimẽdos (erat enim arduum sequi per diuersa consperſos imprudentia uiarum arcente) Taifalorum auxilium, & liberorum adæque Sarmatarum adsumptum est. Cúmque auxiliorum agmina locorum ratio separaret, tractus contiguos Mœsiæ sibi miles elegit, Taifali proxima suis sedibus obtinebant, liberi terras occupauerant è regione sibi oppositas. Limitantes territi recentibus subactorum exemplis & prostratorum, diu hæsitabant ambiguis mentibus, utrum oppeterent an rogarent, cum utriusque rei suppeterent documenta non leuia. Vicit tamen ad ultimum cœtu seniorum urgente dedendi se consilium, uariéque palmæ victoriarum accessit eorum quoque supplicatio, qui armis libertatem inuaserant: & reliqui eorum cum precibus, ut superatos & imbelles dominos aspernati, fortiori-

bus uisis inclinauere ceruices. Acepta itaque publica fide, & deserto montiũ propugnaculo, ad castra Romana conuolauit eorum pars maior, diffusa per spatia ampla camporum, cum parentibus, & natis, atque coniugibus, opúmque uilitate, quam eis celeritatis ratio furari permisit. & qui animas amittere potius quàm cogi solum uertere putabantur, dum licentem amentiam libertatem existimarent, parere imperijs, & sedes alias suscipere sunt adsensi, tranquillas & fidas: ut nec bellis uexari, nec mutari seditionibus possint. Iisdémq; ex sentẽtia, ut credebatur, acceptis, quieuere paulisper: pòst feritate natiua in exitiale scelus erecti, ut congruo docebitur textu. Hoc rerum prospero currẽte sucessu, tutela Illyrico competens, gemina est ratione firmata: *cuius negotij duplicem magnitudinem imperator adgressus, utranque perfecit. Infidis exules populos, licet mobilitate suspectos, acturos tamen paulo uerecũdius, tandem reductos in amitis sedibus collocauit. Iisdémq; ad gratiæ cumulum, non ignobilem quempiam regem, sed quẽ ipsi antea sibi præfecere, regulem imposuit, bonis animi corporisque præstantem. Tali textu recte factorum Constantius iam metuente sublimior, militaríque consensu secundo Sarmaticus appellatus ex uocabulo subactorum, iámque discessurus, conuocatis cohortibus, & centurijs, & manipulis omnibus, tribunal insistens, signísque ambitus & aquilis, & agmine multiplicium potestatum, his exercitum allocutus est ore omnium fauoribilis, ut solebat:* Hortatur recordatio rerum gloriose gestarum omni iucunditate uiris fortibus gratior, admodum uerecunde replicare, quæ diuinitus delata sorte uincendi, & ante prælia, & ipso correximus feruore pugnarum Ro. rei fidissimi defensores. *Quid enim tam pulchrũ, támq; posteritatis*

memoriæ iusta ratione mandandũ, quàm ut miles strenue factis, ductor prudenter consultis exultet? Persultabat Illyricũ furor hostilis, absentiã nostram inanitate tumenti despiciens, dum Italos tueremur, & Gallos: uariỳsque discursibus uastabat extima limitum: uíncq; nauticis roboribus, aliquoties peragrans pedibus flumina, nõ congressibus, nec armis fretus aut uiribus, sed latrocinijs assuetus occultis, astu & ludificandi uarietate iam inde ab instituta gente, nostrísque maioribus formidatus: quæ longius disparati, quæ ferri poterãt, tulimus, leuiores iacturas efficacia ducum uetari posse sperantes. ubi uero per licentiã scandens in maius, ad funestas prouinciarũ clades erepsit & crebras, cõmunitis aditibus Reticis, tutelaq; perugili Galliarum securitate fundata, terrore nullo relicto post terga, uenimus in Pannoniã, ut placuit numini sempiterno, labentia firmaturi: cunctísq; paratis, ut nostis, uere adulto egressi arripuimus negotiorũ maximas moles: primũ ne struendo textis compagibus ponti telorũ officeret multitudo: quo opera leui perfecto, uisis terris hostilibus & calcatis, obstinatis ad mortẽ animis conatos resistere Sarmatas absq; nostrorum dispendio strauimus: parique petulantia ruentes in agmina nobilium legionum Quados Sarmatis additamenta ferentes attriuimus. qui post ærumnosa dispendia inter discursus, & repugnandi minaces anhelitus, quid nostra ualeat uirtus experti, manus ad dimicandum aptatas, armorũ abiecto munimine, ponè terga uinxerunt: restaréque solam salutem contemplantes in precibus, affusi sunt uestigijs Augusti clementis, cuius prælia sæpe compererãt exitus habuisse felices. His sequestratis, limitãtes quoque fortitudine superauimus pari: interfectísq; pluribus, alios declinatio adegit suffugia petere latebrarũ palustriũ. Hísque

secundo finitis euẽtu, lenitatis tempus aderat tempestiuæ. limitantes ad loca migrare cõpulimus lõge discreta, ne in perniciem nostrorũ se commouere possent ultẽrius: & pepercimus plurimis: & Zizam præfecimus liberis, dicatum nobis futurũ & fidum, plus æstimãtes creare, quàm afferre barbaris regem: hoc decore augente solennitatẽ, quòd ijsdem quoq; rector tributus, antẽhac electus est & acceptus. Quadruplex igitur præmiũ, quod unus procinctus absoluit, nos quæsiuimus & Resp. primò ultione parta de grassatoribus noxijs, demde quòd uobis abunde sufficient ex hostibus captiuis. his enim uirtutẽ oportet esse contentã, quæ sudore quæsiuit & dexteris. nobis amplas facultates opũ, quæ sunt magni thesauri, integra omniũ patrimonia, nostri labores & fortitudo seruauerint. Hoc enim boni principis menti, hoc sensibus congruit prosperis. Postremo ego quoque hostilis uocabuli spolium præ me fero, secundi Sarmatici cognomentũ, quod uos unum idémque sentiẽtes mihi (ne sit arrogans dicere) merito tribuistis Post hunc dicendi finem, concio omnis alacrior solito, auctaspe potioris & lucri, uocibus festis in laudes imperatoris assurgens, demúmque ex usu testata non posse Constantium uinci, tentoria repetit læta. Et reductus imperator ad regiã, otióque biduí recreatus, Sirmium cum pompa triumphali regressus est: & militares numeri destinatas remearunt sedes. Hiscæ ijsdẽ diebus Prosper & Spectatus atque Eustachius, legati ad Persas, ut supra docuimus, missi, Ctesiphonta reuersum regem adiere, literas proferentes imperatoris & munera: poscebántque rebus integris pacem, & mandatorum memores nusquam ab utilitate Rom. rei maiestatéque discedebant, amicitiæ fœdus sub hac lege firmari debere asseuerantes, ne super turbando Armeniæ, uel Me-

sopotamiæ statu, quicquam moueretur. Diu igitur ibi morati, cum obstinatissimum regem, nisi harum regionum domino sibi adiudicato, obdurescentem ad suscipiendam cerne rent pacem, negotio redierunt infecto. Post quod, idipsum conditionum robore pari impetraturi, Lucillianus missus comes, & Procopius tunc notarius, qui postea nodo quodã uiolentæ necessitatis astrictus, ad res consurrexit nouas.

AMMIANI MARCELLINI RERVM GESTARVM LIB. XVIII.

HAEC *per orbis uarias partes uno eodémque anno sunt gesta. At in Gallijs cum in meliore statu res esset, & Eusebium atque Hypatium fratres sublimarent uocabula consulũ, Iulianus contextis successibus clarus apud hyberna, sequestratis interim solicitudinibus bellicis, haud minore cura prouinciarum fortunis multa conducentia disponebat, diligenter obseruans, nequem tributorum sarcina prægrauaret, néue potentia premeret aliena: aut hi uersarẽtur in medio, quorum patrimonia publicæ clades augebãt, uel iudicum quisquam ab æquitate deuiaret impune: idq; ea re leui labore correxit, quòd ipse iurgia dirimens, ubi causarum cogebat magnitudo uel personarum, erat indeclinabilis iustorum iniustorúmque distinctor. Et licet multa sint eius laudãda in huiusmodi controuersiis, unum tamen sufficit poni, ad cuius similitudinẽ acta uel dicta sunt. Numeriũ Narbonensis paulo ante rectorẽ accusatum ut furem, inusitato censorio rigore pro tribunali palàm admissis uolentibus audiebat: qui cũ insita ratione defenderet obiecta, nec posset in quoquã confutari,*

Delphidius orator acerrimus uehementer eum impugnãs documentorum inopia percitus, exclamauit, Ecquis florentissime Cæsar nocens esse poterit usquã, si negare suffecerit? Circa quem Iulianus prudẽter motus ex tempore, Ecquis, ait, innocens esse poterit, si accusasse sufficiet? Et hæc quidẽ, & huiusmodi multa ciuilia. Egressurus autem ad procinctum urgentem, cum Alemannorũ pagos aliquos esse reputaret hostiles, & ausuros immania, ni ipsi quoque ad cæterorũ sternerentur exẽpla, hærebat anxius qua ui, qua æleritate, cum primum ratio copiam tribuisset, rumore præcurso terras eorum inuaderet repentinus. Seditque tandem multa & uaria cogitanti id tẽtare, quod utile probauit euentus. Hariobaudem uacantem tribunum fidei fortitudinisq; notæ, nullo conscio, legationis specie ad Hortarium miserat regem iam pacatum, ut exinde facile ad collimitia progressus eorum, in quos erant arma protinus commouenda, scitari possit quid molirentur, sermonis barbarici perquam gnarus. quo fidenter ad hæc patranda digresso, ipse anni tempore opportuno ad expeditionem undique milite reuocato profectus, id inter potissima mature duxit implendum, ut ante præliorum feruorem ciuitates multo ante excisas introiret, receptásque communiret: horrea quinetiam extrueret pro incensis, ubi condi posset annona à Britannis sueta transferri. & utrunque perfectum est spe omnium citius. nam & horrea uelocioperere surrexerunt, alimentorúmque in iisdẽ satias condita, & ciuitates sunt occupatæ septem, Castra Herculis, Quadriburgium, Striensium, & Niuesium, Bonna, Antennacum, & Bingio: ubi læto quodam euentu etiam Florentius præfectus apparuit subito, partem militum ducens, & commeatuum perferens copiam sufficiẽtem usibus longis.

Post hæc impetrata, restabat adigente necessitatū articulo receptarū urbium mœnia reparari, nullo etiā tum intertur bante: idque claris indicijs apparet, ea tempestate utilitati publicæ metu barbaros obedisse, non rectoris amore. Romanis reges ex pacto superioris anni, ædificijs habilia multa suis miserant carpentis: & auxiliarij milites semper munia spernentes huiusmodi, ad obsequendi sedulitatē Iuliani blanditijs deflexi, quinquagenarias longioresque materias uexere ærumnabus ingrauate, & fabricandi ministerijs opē maximam contulerunt. quæ dum diligenti maturātur effectu, Hariobaudes exploratis omnibus redijt, docuitq; comperta. Post cuius aduentum incitatis uiribus, omnes uenere Mogontiacum, ubi Florētio & Lupicino Seueri successore destinate certantibus, per pōtem illic constitutum trāsiri debere, renitebatur firmissime Cæsar, asserens pacatorum terras non debere calcari, ne, ut sæpe contingit, per inciuilitatem militis occurrentia uastantis abrupte fœdera frangerentur. Alemāni tamen omnes, quos petebat exercitus, confine periculum cogitantes, Suomarium regem amicum nobis ex pactione præterita monuerunt minaciter, ut à transitu Romanos arceret. eius enim pagi Rheni ripis ulterioribus adhærebant. Quo testante solum non posse, in unum coacta barbarica multitudo uenit prope Mogontiacum, prohibitura uiribus magnis exercitum, ne transmitterent flumen. Gemina itaque ratione uisum est habile quod suaserat Cæsar, ne pacatorum terræ corrumperentur, néue renitente pugnacissima gente pons cum multorū discrimine iungeretur in locū ad compagnandū pontem aptissimum. Quod hostes solertissime contemplati, per contrarias ripas leniter incedentes, ubi nostros figere tentoria procul cernebant, ipsi quoque noctes agebant ex-

somnes, custodientes peruigili studio ne transitus tentaretur. Verum cum nostri locum aduẽtarent prouisum, uallo fossáque quieuere circundati, & acito Lupicino in consilium, Cæsar certis imperauit tribunis, ut trecentenos pararent cum sudibus milites expeditos, quid agi, quóue iri deberet penitus ignorantes. Et collecti nocte prouecta, impositique omnes, quos lusoriæ naues quadraginta, quæ tũc aderant solæ, ceperunt, decurrere iubentur per flumen adeo taciti, ut etiam remi suspenderentur, ne barbaros sonitus excitaret undarum: atque mentis agilitate & corporum, dum hostes nostrorũ ignes obseruant, aduersas perrumpere limitis ripas. Dum hæc celerantur, Hortarius rex nobis ante fœderatus, non nouaturus quædã, sed amicus finitimis quoque suis, reges omnes & regales & regulos ad conuiuium corrogatos retinuit epulis adusque uigiliam tertiam more gentili extentis: quos discedentes inde casu nostri ex improuiso adorti, nec interficere, nec corripere ullo modo potuerunt, tenebrarum equorúmque adiumento, quò dubius impetus trusit abreptos. lixas uero uel seruos qui eos pedibus sequebantur (nisi quos exemit discrimine temporis obscuritas) occiderunt. Cognito denique Romanorum transitu, quì tunc, pérque expeditiones præteritas ibi leuamen sumere laborum opinabantur, ubi hostem contingeret inueniri, perculsi reges, eorúmque populi, quì pontem ne struereturstudio seruabant intento, metu exhorrescentes diffuse uertuntur in pedes: & indomito furore sedato, necessitudines, opésque suas transferre longius festinabant. statimque difficultate omni depulsa, põte constrato, solicitarum gentium opinione præuenta, uisus in barbarico miles, per Hortarij regna transibat intacta. Vbi uero terras infestorum etiã tum tetigit regum, urens om-

nia rapiénſque per medium rebellium ſolum graſſabatur intrepidus. Póſtque ſepimenta fragilium penatium inflammata, & obtruncatam hominum multitudinem, uiſóſque cadentes multos, alióſque ſupplicantes, cum uentum fuiſſet ad regionem cui Capellatij, uel Palas nomen eſt, ubi terminales lapides Alemannorum & Burgundorum confinia diſtinguebant, caſtra ſunt poſita: ea propter, ut Macrianus & Hariobaudus germani fratres & reges ſuſciperentur impauidi: qui propinquare ſibi perniciem ſentiẽtes, uenerant pacem anxijs animis precaturi. Poſt quos ſtatim rex quoque Vadomarius uenit, cuius erat domicilium contra Rauracos: ſcriptiſque Conſtantij principis, quibus commendatus eſt, artius allegatis, leniter ſuſceptus eſt, olim ab Auguſto in clientelã rei Romanæ ſuſceptus. & Macrianus quidem cum fratre inter aquilas admiſſus & ſigna ſtupebat armorum uiriúmque uariũ decus, uiſa tunc primitus: próque ſuis orabat. Vadomarius uero noſtris coalitus, utpote uicinus limiti, mirabatur quidem apparatũ ambitioſi procinctus, ſed uidiſſe ſe talia ſæpe adoleſcentia meminerat prima. Libratis denique diu conſilijs, concordi aſſenſione cunctorum, Macriano quidem & Hariobaudo pax eſt attributa: Vadomario uero, qui ſuam locaturus ſecuritatem in tuto, & legationis nomine precator uenerat pro Vario, & Vrſicino, & Verſalpo regibus, pacem itidem obſecrans, interim responderi non poterat, ne (ut ſunt fluxioris fidei barbari) poſt abitum recordati noſtrorum parum, acquieſcerent per alios impetratis. Sed cum ipſi quoque miſſis legatis poſt meſſes incẽſas & habitacula, captóſque plures & interfectos, ita ſupplicarent, tanquã ipſi hæc deliquiſſent in noſtros, pacem conditionum ſimilitudine meruerunt. Inter quas id feſtinatũ eſt maxime, ut captiuos

restituerẽt omnes, quos rapuerant excursibus crebris. Hæc dũ in Gallijs cælestis curigit cura, in comitatu Augusti turbo nouarum exoritur rerum, à primordijs leuibus ad luctus & lamenta progressus. In domo Barbationis pedestris militiæ tunc rectoris examen apes fecere perspicuum: supérque hoc prodigiorũ gnaros solicitè consulenti, discrimen magnum portendi respõsum est, coniectura uidelicet tali, quòd hæ uolucres post cõpositas sedes, opésq; congestas, fumo pellũtur, & turbulento sonitu cymbalorũ. Huic uxor erat Assyria nomine, nec taciturna, nec prudẽs: quæ eo ad expeditionẽ profecto, & multiplici metu suspẽso, ob ea quæ meminerat sibi prædicta, perculsa uanitate muliebri, ancilla ascita notarum perita, quam è patrimonio Siluani possederat, ad maritum scripsit intempestiue, uelut flens, obtestánsque ne post obitum Cõstantij propinquantem, in imperium ipse ut sperabat admissus, despecta se anteponeret Eusebiæ matrimoniũ, tunc reginæ decore corporis inter multas fœminas excellẽtis. Quibus literis occultè, quãtum fieri potuit, missis, ancilla quæ domina dictante perscripserat, reuersis omnibus è procinctu, exemplum ferẽs ad Arbitionem noctis prima quietè confugit, audéque suscepta, chartulam prodidit. Hócque indicio ille confisus, ut erat ad criminã dũ aptissimus, principi detulit: atq; ex usu, nec mora ulla negotio tributa, nec quietè, Barbatio epistolã suscepisse confessus, & mulier scripsisse documẽto conuicta non leui, cruciatibus interiere præcisis. Hísque punitis, quæ stiones longè serpebant, uexatique multi nocentes sunt, & & innocentes. inter quos etiam Valentinus ex primicerio protectorum tribunus, ut conscius inter complures alios tortus aliquoties superuixit, penitus quid erat gestum ignorans. Ideóque ad iniuriæ periculique compensationem, du-

cis in Illyrico meruit potestatem. Erat autem idem Barbatio subagrestis arrogantísque propositi, ea re multis exosus, quòd & dum domesticos protectores sub Gallo regeret Cæsare, proditor erat & perfidus: & post eius excæssum nobilioris militiæ statu elatus, in Iulianum itidẽ Cæsarem paria confingebat, crebróque detestantibus bonis sub Augusti patulis auribus multa garriebat & sæua: ignorans profecto notum Aristotelis sapiens dictum, qui Callisthenem sectatorem & propinquum suum ad regem Alexandrũ mittens, ei sæpe mandabat, ut quamrarissime & iucunde apud hominem loqueretur, uitæ potestatem & necis in acie linguæ portantem. Ne sit hoc mirum, homines profutura discernere nonnunquam & decentia, quorum mentes cognatas cælestibus arbitramur, animalia ratione carentia salutem suam interdum alto tueri silentio solent, ut exemplum est hoc perquàm notum: Linquentes orientem anseres ob calorem, plagámq; petentes occiduam, cum montem penetrare cœperint Taurum aquilis abundantem, timentes fortissimas uolucres, rostra lapillis occludunt, ne eis eliciat uel necessitas extrema clangorem: ijsdémque collibus agiliore uolatu transcursis proijciunt calculos, atque ita securius pergunt. Dum apud Sirmium hæc diligentia quæruntur impensa, orientis fortuna periculorum terribiles tubas inflabat. Rex enim Persidis ferarum gentium quas placarat adiumentis accinctus, augendíque regni cupiditate super homines flagrans, arma uiréſq; parabat & commeatus, consilia tartareis manibus miscens, & præstigiatores omnes consulens de futuris: hísque satis collectis, peruadere cuncta prima uerni temperie cogitabat. Et cum hæc primò rumores, deinde nuntij certi perferrẽt, omnésque suspensos aduentantium calamitatum complica

ret magna formido: Comitensis fabrica eandem iucudem (ut dicitur) diu noctúque tundendo ad spadonum arbitrium, imperatori suspicanti ac timido intendebat. Vrsicinum, uelut uultus Gorgonei torumtatem: hæc sæpe taliaq; replicans, quod interempto Siluano, quasi penuria meliorum ad tuendas partes Eoas denuo missus, altius anhelabat. Hac autem assentandi nimia fœditate mercari complures nitebãtur. Eusebij fauorem cubiculi tunc præpositi, apud quẽ, si uera dici debent, multa Cõstantius potuit, antedicti magistri equitum salutem acriter impugnantis ratione bifaria: quod omnium solus nec opis eius egebat ut cæteri, & domo sua non cederet Antiochiæ, quam molestissime flagitabat: qui, ut coluber copia uirus exuberans, natorum multitudinem etiam tum ægre serpentem excitans ad nocendũ, emittebat cubicularios iam adultos, ut inter ministeria uitæ secretioris, gracilitate uocis semper puerilis & blandæ, apud principis aures nimium patulas, existimationem uiri fortis inuidia graui pulsarent. & brem iussa fecerunt. Horum & similium tædio iuuat ueterem laudare Domitianum, qui licet patri fratríque dissimilis memoriam nominis sui inexpiabili detestatione perfudit, tamen receptissima inclaruit lege, ~~qua minaciter~~ mœr dixerat, ne intra terminos iurisdictionis Romanæ castraret quisquam puerum: quod ni contigisset, quis eorum ferret examina, quorum paucitas difficile toleratur? Actum est tamen cautius, ne ut fingebat, rursus accitus idem Vrsicinus metu cuncta turbaret: sed cum fors copiam detulisset, raperetur ad mortem. Hæc opperientibus illis, & ancipiti cogitatione districtis, nobis apud Samosatam Comageni quondam regni clarissimam sedem parumper morantibus, repentæ noui motus rumoribus densis audiuntur & concretis, quos docebit

orationis progrediens exitus. Antoninus quidam ex mercatore opulento rationarius apparitor, Mesopotamiæ ducis tunc protector, exercitatus & prudens, perque omnes illas notissimus terras, auditate quorundam nexus ingentibus damnis, cum iurgando contra potentes se magis magisque iniustitia frangi contemplaretur: ad deferendam potentioribus gratiam, qui spectabant negotium, inclinatis, ne contra acumina calcitraret, flexit se in blanditias molliores: confessúsq; debitum per colludia in nomen fisci translati. iámque ausurus immania, rimabatur tectius Reip. membra totius: & utriusque linguæ literas sciens, circa ratiocinia auersabatur, qui uel quarum uirium milites ubi agant, uel procinctus tempore quos intuentur describens: iti uem armorum & commeatuum copiæ, aliáque usui bello futura, an abunde suppetant, indefessa scitatione percontans. Et dum totius orientis didicisset interna, uirorum stipendiíque partæ maxima per Illyricum distributa, ubi distinebatur ex negotijs serijs imperator, adlapsuro iã præstituto die soluendæ pecuniæ, quam per syngrapham debere se confiteri ui metúque compulsus est, cum omnibus se prospiceret undique periculis opprimendum, largitionum comitæ ad alterius gratiam infestius perurgente, fugam ad Persas cum coniuge liberísque & omni uinculo charitatum ingenti molimine conabatur. atque ut lateret stationarios milites, fundum in Hiaspide, qui locus Tigridis fluctis adluitur, pretio nõ magno meratur. Hócque commento cum nullus causam ueniendi ad extremas Romani limitis partes, iam possessorem cum plurimis auderet exigere, per familiares fidos peritósq; nandi occultis sæpe colloquijs cum Sapore habitis, qui tractus omnes aduersos ducis potestate tunc tuebatur, & antea cognitus, misso à Persicis castris

auxilio uirorum pernicium, lembis impositus, cum omni penatum dulcedine nocte concubia transfretat, re contraria, specie Zopyri illius simulus Babylonij proditoris. Rebus per Mesopotamiam in hunc statum deductis, Palatina cohors palinodiam in exitium concinens nostrum, inuenit tandem ansam nocendi fortissimo uiro, autore & incitatore cœtu spadonum: qui feri & acidi semper, carentésque necessitudinibus cæteris, diuitias solas ut filiolas iucundissimas amplectuntur. stetitq; sententia, ut Sabinianus uetus quidem senex & bene nummatus, sed imbellis & ignauus, & ab impetranda magisterij dignitate per obscuritatem adhuc longe discretus, præficiendis Eois partibus mutteretur: Vrsicinus uero curaturus pedestrem militiam, & successurus Barbationi, ad comitatū reuerteretur, quo præsens rerum nouarum audus concitor, ut iactabant, à grauibus inimicis & metuendis incesseretur. Dum hæc in castris Constantij quasi per lustra aguntur & scenam, & dibitores uenūdatæ subito potestatis pretium per potiores diffunditant domos, Antoninus ad regis hyberna perductus auenter suscipitur: & apicis nobilitatus autoritate, quo honore participantur mensæ regales, & meritorum apud Persas ad suadendum, ferendásque sententias in cōcionibus ora panduntur, non contis, nec remulco (ut aiūt) id est, non flexiloquis ambagibus, uel obscuris, sed uelificatione plena in Remp. ferebatur: eundémque incitans regē, ut quondam Maharbal lentitudinis increpans Annibalē, posse eum uincere, sed uictoria uti nescire, assiduè prædicabat. Eductus enim in medio, ut rerū omnium gnarus, auditorum nactus uigiles sensus, & aurium delinimenta captantes, nec laudantiū, sed secundū Homericos Phæacas, cum silentio admirantiū, iam inde quadragesimi anni

memoriam replicabat: post bellorum assiduos casus, & maxime apud Hileiam *&* Singarã, *ubi acerrima illa nocturna concertatione pugnatum est, nostrorum copijs ingẽti strage confossis, quasi dirimentæ quodam medio feciali,* Persas *nondum* AEdessam, *nec pontes* Euphratis *tetigisse uictores, quos armipotentia fretos successibúsque magnificis, ita dilatasse decuerat rẽ, eo maxime tempore, quo diuturnis bellorum ciuilium motibus sanguis utrinq;* Romani roboris *fundebatur.* His *actalibus subinde inter epulas sobrius perfuga, ubi de apparatu bellorum & serijs rebus apud eos* Graiorum *more ueterum cõsultatur, regem incendebat ardentem, ut exacta hyeme statim arma, fretus fortunæ suæ magnitudine, cõcitaret: ipse quoque in multis ac necessarijs operam suam fidẽter promittens.* Sub *ijsdem ferè diebus* Sabinianus *adepta repentina potestate sufflatus, &* Ciliciæ *fines ingressus, decessori suo principis literas dedit hortantis, ut ad comitatum dignitate afficiendus superiore citius properaret: eo necessitatum articulo, quo etiam si apud* Thulen *moraretur* Vrsicinus, *acciri eum magnitudo rerum ratione probabili flagitabat, utpote disciplinæ ueteris, & longo usu bellandi artis* Persicæ *sciẽtissimum.* Quo *rumore prouincijs percitis, ordines ciuitatum & populi decretis & acclamationibus densis, iniecta manu detinebant penes se publicum defensorem: memores quod relictus ad sui tutelam, cum inerti & umbratili milite, nihil amiserat per decennium: simul metuẽtes saluti, quod tempore dubio remoto illo aduenisse hominem compererant inertissimum.* Credimus, *neque enim dubium est, per aerios tramites famam præpetem uolitare, cuius indicio hæc gesta pandente, consiliorum apud* Persas *summa præponebatur: & multis ultro citróque delibera-*

tis placuit, Antonio suadẽte, ut Vrsicino procul amoto, despectóque nouello duce, post habitis ciuitatũ perniciosis obsidijs, perrumperetur Euphrates, tretúrque prorsus, ut occupari possint prouinciæ, fama celeritatæ præuenta, omnibus ante bellis (nisi tẽporibus Gallieni) intactæ, pacéq; longissima locupletes: cuius rei, prosperante deo, ductorem cõmodissimum fore spondebat. Laudato firmatóque concordi omnium uoluntate consilio, conuersisque uniuersis ad ea quæ erant citius congerenda, commeatus, milites, arma, cæteráque instrumenta quæ poscebat procinctus aduentans, perpetua hyeme parabãtur. Nos interea paulisper cis Taurum morati, ex imperio ad partes Italiæ uenientes, festinantes prope flumen uenimus Hebrum, ex Odrysarum montibus decurrentem: ibiq; principis scripta susepimus, iubẽtia omni causatione posthabita reuerti Mesopotamiã sine apparitione, nullã expeditionem curaturi periculosam, ad alium omni potestate trãslata: quod ideo per molestos formatores imperij struebatur, ut si Persæ frustra habiti redissent ad sua, ducis nou iurtuti facinus assignaretur egregium: si fortuna sequior ingruisset, Vrsicinus reus proditor Reip. deferretur. Agitati ita sine rationibus, diu contati reuersique, fastidij plenum Sabinianum inuenimus, hominem mediocris staturæ, & parui angustique animi, uix sine turpi metu sufficientem ad leuem conuiuij, nedum strepitum prælij perferendum: tamen quoniam speculatores apparatus omnes apud hostes feruere constanti adseueratione perfugis concinentibus affirmabant, oscitante homunculo Nisibin prope uenimus utilia paraturi, ne dissimulantes obsidium Persæ ciuitati superuenirent incautæ. Dúmque intra muros maturanda perurgerentur, fumus, micantésque ignes assidui è Tigride, per castra Maurorũ,

& Sisara, & conlimitia reliqua adusque ciuitatem continui perlucebant, solito crebriores erupisse hostium uastatorias manus superato flumine permonstrãtes. qua causa ne occuparentur itinera, celeri cursu prægressi, cum ad secundum lapidem uenissemus, liberali forma puerum Torquatum, ut coniectabamus, octennem, in aggeris medio uidemus eiulantem, ingenui cuiusdam filium, ut aiebat, quem mater dum imminentiũ hostiũ terrore percita fugeret, impeditior trepidando reliquerat solũ. Hũc dum imperatu ducis miserati commotique, impositum equo præ me ferens ad ciuitatem reduco, circunuallato murorũ ambitu, prædatores latius uagabantur. Et quia me obsidionales ærumnæ terrebãt, intra semiclausam posticam exposito puero, nostrorũ agmen agilitate uolucri repetebam exanimis: nec multum fuit quin caperer. Nam cum Abdigildum quendam tribunum fugientem cum alone ala sequeretur hostilis, lapsóq; per fugam domino seruum deprehensum, cum ego rapido ictu transirem, interrogassent quisnam præfectus sit iudex, audissẽtq; Vrsicinum paulo antè urbem ingressum, montem Iẖalam petere, occiso indice minimum quæsiti, cõplures nos irrequietis cursibus sectabantur. Quos cum iumenti agilitate prægressus, apud Amudum munimentũ infirmum dispersis per pabulum equis recubantes nostros securius inuenissem, porrecto extensius brachio, & summitatibus sagi contortis elatius, adesse hostes signo solito demonstrabam: ijsdémque iunctus impetu communi ferebar, equo iam fatiscente. Terrebat autem pleniluniũ noctis, & planities supina camporum, nulla, si occupasset artior casus, latibula præbere sufficiens, ubi nec arbores, nec frutecta, nec quicquam præter herbas humiles uisebatur. Excogitatum est ergo, ut ardente superposita lampade, &

circunligata ne rueret, iumentum solũ quod eã uehebat, solutũ sine rectore læuorsus ire permutteretur, cũ nos ad mõtanos excæssus dextera positos tenderemus: ut prælucere sebalem facem duci lenius gradiẽti Persæ credẽtes, eũ tenerent potissimum cursum: quod nisi fuisset præusum, circũuenti & capti sub ditionem uenissemus hostilem. Hoc extracti periculo, cum ad nemorosum quendam locum uineis arbustisque promiseris consitum, Meiacarire nomine uenissemus, cui fontes dedere uocabulum gelidi, lapsis accolis omnibus, solum in remoto secessu latentem inuenimus militem. qui oblatus duci, & locutus uaria præ timore, ideóque suspectus, adigente metu qui intentabatur, pandit rerum integram fidem: docéq; quòd apud Parisios natus in Gallijs, & equestri militans turma, uindictam quondã cõmissi facinoris timẽs, ad Persas abierat profugus: exindéq; morum probitatæ spectata sortita coniuge, liberisque susceptis, speculatorem se missum ad nostra sæpe ueros nũtios reportasse. At nunc se à Sapore & Nohodareo optimatibus missum, qui cæteruas ductauerant prædatorum, ad eos redire quæ didicerat perlaturum. Post hæc, adiectis quæ agi in partæ diuersa norat, occiditur. Proinde curarũ crescente solicitudine, inde passibus citis Amidam pro tẽporis copia uenimus, ciuitatem postea secutis cladibus inclytam. quo reuersis exploratoribus nostris in uaginа internis figuris notarum membranam reperimus scriptam à Procopio ad nos perferri mandatam, quem legatum ad Persas antea missum cum comite Lucilliano, prædixi: hæc consulto obscurius indicantem, ne captis baiulis, sensúq; intellecto scriptorum, excitaretur materia funestissima: amãdatis procul Graiorum legatis, forsitan & necandis, rex Flongeuus non contentus Hellesponto, iunctis Granici &

Rindici pontibus, Asiam cum numerosis populis peruasurus aduenset, suopte ingenio irritabilis & asperrimus, autore & incensore Hadriani quondam Romani principis successore: actum & conclamatum est, Nisi cauerit Graecia. qui textus significabat Persarum regem, transitis fluminibus Anzaba & Tigride, Antonino hortante dominium Orientis affectare totius. His ob perplexitatem nimiam ægerrime lectis, consilium suscipitur prudens. Erat eo tempore satrapa Corduenæ, quæ obtemperabat potestati Persarũ, Iouineanus nomine appellatus in solo Romano adolescens, nobiscum occulte sentiens, ea gratia, quòd obsidatus sortæ in Syria detentus, & dulcedine liberaliũ studiorũ illectus, remeare ad nostra ardenti desiderio gestiebat. Ad hũc missus ego cum centurione quodã fidissimo, exploratius noscendi gratia quæ gerebantur, per aduos montes angustiásque præcipites ueni. Visúsque & agnitus, comitérque suscptus causam præsentiæ confessus, adiuncto taciturno aliquo locorum perito, mittor ad præcelsas rupes exinde longe distantes: unde nisi oculorũ deficeret acies, ad quinquagesimum usque lapidẽ, quodus etiam minutissimũ apparebat. ibi morati integrũ biduum, cum sol lentius affulsisset, cernebamus terrarum omnes ambitus subiectos, quos Orizontas appellamus, agminibus oppletos innumeris, & antegressum regem uestis claritudine rutilantem. Quem iuxta læuus incedebat Grumbates Chionitarum rex, ætate quidem media, rugosisque membris, sed mente quadam grandifica, multisque uictoriarum insignibus nobilis: dextera, rex Albanorum pari loco atque honore sublimis: post duces uarij autoritate & potestatibus eminentes, quos ordinum omnium multitudo sequebatur, ex uicinarum gentium roboribus lecta, ad tolerandam rerũ aspe

ritatem diuturnis casibus erudita. Quousque nobis Doriscum Thraciæ oppidũ & agminatim intra consepta exercitus recensitos Græcia fabulosa narrabis? cum nos cauti, uel ut uerius dixerim, timidi, nihil exaggeremus, præter ea quæ fidei testimonia neque dubia, neque incerta monstrarunt. Postquam reges Nineue Adiabenæ ingenti ciuitate transmissa, in medio pontis Anzabæ hostijs cæsis extisque prosperantibus transiere lætissimi, coniectantes nos residuam plebem omnem ægre penetrare post triduum posse, citius exinde ad satrapen reuersi quieuimus, hospitalibus officijs recreati. Vnde per loca itidem deserta & sola, magno necessitatis ducente solatio, celerius quàm potuit sperari reuersi, confirmauimus animos hæsitantium, unum è naualibus pontem transisse reges absque ulla circuitione perdoctos. Extemplo igitur equites citi mittuntur ad Cassianum Mesopotamiæ ducem, rectorémque prouinciæ tũc Euphronium, compulsuri agrestes cum familijs & pecoribus uniuersis ad tutiora transire, compelli, & agilitèr deseri Carras oppidum inualidis circundatum muris, super his, campos omnes incendi, ne pabulorum suppeteret copia: & imperatis sine mora completis, iniecto igne, furentis elementis uis maxima, frumenta omnia, cum iam stipula flauenti turgerent, herbásque pubentes ita contorruit, ut adusque Euphraten ab ipsis marginibus Tigridis nihil uiride cerneretur. Tunc exustæ sunt feræ complures, maximæque leones per ea loca sæuientes, immaniter consumi uel cæcari sueti paulatim hoc modo. Inter harundineta Mesopotamiæ fluminũ & frutecta leones uagantur innumeri, clementia hyemis ibi mollissimæ semper innocui. at ubi solis radijs exarserit tẽpus in regionibus æstu ambustis, uapore sideris & magnitudine culicum agitantur, quorũ ex-

aminibus per eas terras referta sunt omnia. Et quoniam oculos quasi humida & lucētia membra eædem appetunt volucres, palpebrarum libramentis mordicus insidentes, ijdem leones cruciati diutius, aut fluminibus mersi sorbē tur, ad quæ remedij causa confugunt, aut amissis oculis, quos unguibus crebro lacerātes effodiunt, immanius effe rescunt: quod ni fieret, uniuersus Oriens huiusmodi bestijs abundaret. Dum campi cremantur (ut dictum est) tribuni cū protectoribus missi, citeriores ripas Euphratis castellis, & præacutis sudibus, omnique præsidiorū genere commu niebant, tormenta quà non erat uoraginosum, locis oppor tunis aptantes. Dum hæc celerantur, Sabinianus inter ra pienda momenta periculorum communiū lectissimus mo derator belli interneciui, per AEdessena sepulchra, quasi fundata cum mortuis pace nihil formidans, more uitæ re missioris fluxius agens, militari pyrrhichio sonantibus mo dulis pro histrionicis gestibus in silentio summo delectaba tur, ominoso sanè & incœpto & in loco. Cum hæc & hui usmodi factu dictúque trista futuros pronuntiant motus, uitare optimum quenque debere seculi progressione discā mus. Interea reges Nisibi prostratione uili transmissa, in cœndijs arida nutrimentorum uarietate crescentibus, fugi tantes inopiam pabuli, sub montium pedibus per ualles gramineas incedebāt. Cúmque Bebasen uillam uenissent, unde ad Constantiam usque oppidum, quod centesimo la pide disparatur, arescunt omnia siti perpetua, nisi quòd in puteis aqua reperitur exilis, quid agerent diu contati, iám que suorū duritiæ fiducia transituri, exploratore fido do centē, cognoscunt Euphraten niuibus tabefactis inflatum, late fusis gurgitibus euagari, ideóque uado nequaquam posse transiri. Conuertuntur ergo ad ea quæ amplectenda

fortuita daret occasio spe concepta præter opinionem exclusi: ac proposito pro abrupto rerum præsentium statu urgẽti consilio, Antoninus dicere quid sentiat iussus, orditur, flecti iter suadens in dexterum latus, ut per longiorem circuitum, omnium rerum usu regionum feracium, & consideratione ea qua rectus pergeret hostis adhuc intacturũ, castra duo præsidiaria Barzala & Laudias peterẽtur sese ductante: ubi tenuis fluuius prope originẽ & angustus, nullisq; adhuc aquis aduenis adolescẽs facile penetrari poterit ut uadosus. His auditis, laudatóque sua sore & iusso ducere quà norat, agmina cuncta ab instituto itinere conuersa per auiũ sequebantur. Quo certis speculationibus cognito, nos disposuimus properare Samosatã, ut superato exinde flumine, pontiúmque apud Zeuma & Capersana iũcturis abscissis, hostiles impetus si iuuisset fors ulla, repelleremus. Sed contigit atrox, & silentio omni dedecus obruendum. nãque duarum turmarũ equites circiter septingenti ad subsidiũ Mesopotamiæ recens ex Illyrico missi enerues & timidi, præsidiũ per eos traductus agentes, nocturnásq; pauẽtes insidias, ab aggeribus publicis uesperi, quãdo custodiri magis omnes tramites conueniret, lõgius discedebãt. Hócque obseruato, eos uino oppressos & somno uiginti millia ferè Persarũ Sapore & Nohodare ductantibus nullo prospiciente transgressa, post tumulos cælsos uicinos Amudæ occultabãtur armata. Móxque (ut dictum est) cum abituri Samosatam luce etiã tum dubia pergeremus, ab alta quadam specula radiantium armorum splendore præstricti, hosteisque adesse excitatius clamantes signo dato quod ad prælium solet hortari, restitimus conglobati, nec fugam capessere, cum essent iam in contuitu qui sectarentur, nec congredi cum hoste equitatu & numero præualẽ-

te, metu indubitatæ mortis cautum existimantes. Denique ex ultima necessitate manibus iam conserendis, cum quid agi oporteat contaremur, occiduntur quidam nostrorũ temere procursantes: & urgente utraque parte, Antoninus ambitiose prægrediẽs agmina, ab Vrsicino agnitus, & obiurgatorio sono uocis increpitus, proditórque & nefarius appellatus, sublata tiara quam capiti summo ferebat honoris insigne, dissiluit equo: curuatisque membris humũ multu pene contingens, salutauit patronum appellans & dominũ, manus post tergum connectens, quod apud Assyrios supplicis indicat formam: & Ignosce mihi, inquit, amplissime comes, necessitate non uoluntate ad hæc quæ noui scelesta prolapso. egere me præcipitẽ, inquit, flagitatores, ut nosti, quorũ auaritiæ ne tua quidem excelsa illa fortuna propugnãs miserijs meis potuit refragari. Simul hæc dicens, è medio prospectu abscessit non auersus: sed dum euanescæret, uerecunde retrogradiens, & pectus ostentans, quæ dum in curriculo semihoræ aguntur, postsignani nostri qui tenebant editiora collis, exclamãt, aliam cataphractorum multitudinem equitum pone uisam celeritate quàm maxima propinquare. Atque ut in rebus solet afflictis, ambigentes cuinam deberet aut possit occurri, trudente pondere plebis immensæ, passim quà cuique proximum uidebatur, diffundimur uniuersi. Dumque se quisque expedire discrimine magno conatur, sparsim disiecti hosti concursatori miscemur. Itaque spreta iam uiuendi cupiditate fortiter decernentes, ad ripas pellimur Tigridis altæ excisas. Vnde quidam præcipites pulsi implicantibus armis hæserunt, ubi uadosus est amnis: alij lacunarum haustu uertigine uorabantur: nonnulli cum hoste congressi uario euentu certabant: quidam cuneorum densitate perterriti, petebant

proximos Tauri montis excæssus. inter quos dux ipse agnitus, pugnatorúmque mole circundatus, cum Aiadaltha tribuno, calonéque uno, equi celeritate ereptus abscessit. Mihi, dum auius ab itinere comitum quid agerem circunspicio, Verennianus domesticus protector occurrit femur sagitta confixus: quam dum auellere obtestante collega conarer, cinctus undique antecedentibus Persis, ciuitatem petebam anhelo cursu rependo, ex eo latere quo incessebamur in arduo sitam, unóq; ascensu perangusto meabilem quem scissis callibus molimæ ad calles artandas ædificatæ densius constringebant. Hic mixti cum Persis eodẽ ictu procurrentibus ad superiora nobiscum, adusque ortum alterius solis immobiles stetimus, ita conferti, ut cæsorum cadauera multitudine fulta, reperire ruendi spatium nusquã possent: útque miles ante me quidam discriminato capite, quod in æquas partes ictus gladij fiderat ualidissimus, in stipitis modum undique coartatus hæreret. & licet multiplicia tela per tormentorũ omnia genera uolarent è propugnaculis, hoc tamen periculo murorum nos propinquitas eximebat: tandémque per posticam ingressus, refertam inueni confluente ex finitimis uirili & muliebri sexu. nã & casu illis ipsis diebus in suburbanis peregrina commercia circumacto anno solita celebrare multitudo conuenarum augebat agrestium. Interea sonitu uario cuncta miscentur, partim amissos gemẽtibus, alijs cum exitio saucijs, multis charitates diuersas, quas præ angustijs uidere non poterãt, inuocantibus. hanc ciuitatem olim perquam breuem, Cæsar etiã tum Constantius, ut accolæ suffugiũ possint habere tutissimum, eo tempore quo Antoninupolim oppidũ aliud struxit, turribus circundedit amplis & mœnibus: locatóque ibi cõditorio muralium tormentorũ, fecit

hostibus formidatã, suóque nomine uoluit appellari. Et latere quidem australi, geniculato Tigridis meatu subluitur propius emergentis: quà Euri opponitur flatibus, Mesopotamiæ plana despectat. unde Aquiloni obnoxia est, Nymphæo amni uicina, uerticibus Taurinis umbratur gentes Transtigritanas dirimentibus & Armeniam. spiranti Zephyro controuersa Gumathenam contingit, regionem uberem & cultu iuxta fœcundam: in qua uicus est Abarne nomine, sospitalium aquarum lauacris calentibus notus. In ipso autem Amidæ meditullio sub arce fons diues exudat, potabilis quidem, sed uaporatis æstibus nonnunquam fœtens. Cuius oppidi præsidio erat semper quinta Parthica legio destinata, cum indigenarum turma non contemnenda. Sed tunc ingruentem Persarum multitudinem sex legiones raptim percursis itineribus antegressæ, muris asthere firmissimis: Magnentiaci & Decentiaci (quos post consummatos ciuiles procinctus, ut fallaces & turbidos, ad Oriẽtem uenire compulit imperator, ubi nihil præter bella timetur externa) & Tricensimani Decimanique Fortẽses & Superuentores atque Præuentores cum AEliano iam comite: quos tyrones tum etiam nouellos hortante memorato adhuc protectore erupisse Singara, Persásque fusos in somnum retulimus trucidasse complures. Aderat comitum quoque sagittariorum pars maior, equestres uidelicet turmæ ita cognominatæ, ubi merent omnes ingenui Barbari armorum uiriúmque firmitudine inter alios eminentes. Hæc dũ primi impetus turbo conatibus agitat insperatis, rex cum populo suo gentibúsque quas ductabat, à Bebase loco itinere flexo dextrorsus, ut monuerat Antoninus, per Horren & Meiacarire & Charcha ut transiturus Amidam, cum prope castella Romana uenisset, quorum unum

Reman, altærum Busan appellatur, perfugarum indicio didicit multorum opes illuc translatas seruari, ut in munimentis præælsis & fidis: additúmque est ibi cum supellectili pretiosa inueniri fœminam pulchram cum filia parvula, Craugasij Nisibeni cuiusdã uxorem, municipali ordine, genere, fama, potentiáq; circunspecti. Auiditate itaque rapiendi aliena festinans, petit impetu fidenti castella: unde subita animi consternatione defensores armorum uarietate præstricti, cunctos prodidere qui ad præsidia confugerunt, & degredi iussi, confestim claues obtulere portarum: patefactisque aditibus, quicquid ibi congestum erat, eruitur: & productæ sunt attonitæ sonitu mulieres, & infantes matribus implicati, graues ærumnas inter initia tenerioris ætatis experti. Cúmque rex percontãdo cuiusnã coniunx esset, Craugasij comperisset, uim in se metuentem prope uenire permisit intrepidam, & uisam opertámque absque labra ipsa atro uelamine, certiore iam spe marti recipiendi, & pudoris inuiolati mansuri benignius confirmauit. Audiens enim coniugem miro eius amore flagrare hoc præmio Nisibenam se proditionem mercari posse arbitrabatur. Inuentas tamen alias uirgines Christiano ritu cultui diuino sacratas, custodiri intactas, & religioni seruire solito more nullo uetantæ præcipit: lenitudinẽ profecto in tempore simulans: ut omnes quos antehac diritate terrebat, sponte sua metu remoto uenirent, exemplis recentibus docti, humanitate eum & moribus iam placidis magnitudinem temperasse fortunæ.

HOC miseræ nostrorũ captiuitatis euentu rex lætus, succæssúque opperiens simules, egressus exinde, paulatimque mœdens, Amidam die tertio uenit. Cúmque primum aurora surgeret, uniuersa quæ uideri poterant, armis stellantibus coruscabant, ac ferreus equitatus campos oppleuit & colles. Insidens autem equo, ante alios cælsior ipse præibat agminibus cunctis, aureũ capitis arietini figmentum interstinctum lapillis pro diademate gestans, multiplici uertice dignitatum & gentium diuersarũ comitatu sublimis. Satisque eum constabat colloquio tenus defensores mœnium tentaturum, aliorsum Antonini consilio festinantem. Verum cæleste numen ut Romanæ rei totius ærũnas intra unius regionis concluderet ambitum, adegerat in immensum se extollentem, credentémque quòd uiso statim obsessi omnes metu exanimati supplices uenirent in preces. portis obequitabat, comitante cohorte regali: qui dum se prope confidentius inserit, ut etiã uultus eius possit aperte cognosci, sagittis missilibúsque cæteris ob decora petitus insignia corruisset, ni puluere iaculantiũ adimente conspectum, parte indumenti tragulæ ictu discissa, editurus postea strages innumeras euasisset. Hinc quasi in sacrilegos uiolati sæuiens templi, temeratúmque tot regum & gentium dominum prædicans, eruendæ urbis apparatu nisibus magnis instabat: & orantibus potissimis ducibus, ne profusus in iram à gloriosis desciscæret cœptis, lenissima eorum petitione placatus, postridie quoque super

deditione moneri decreuerat defensores. Ideoque cum prima lux aduenisset, rex Chionitarum Grumbates fidenter operam nauaturus tendebat ad mœnia cum manu prõptissima stipatorum. quẽ ubi uenientem iam telo forte contiguum contemplator peritissimus aduertisset, contorta balista filium eius primæ pubis adolescentem, lateri paterno hærentem, thoracæ cum pectore perforato perfodit, procæritate & decore corporis æqualibus antestantem. Cuius occasu in fugam dilapsi populares eius omnes, mõxque ne raperetur ratione iusta regressi, numerosas gentes ad arma clamoribus dissonis concitarunt: quarum concursu ritu grandinis hinc inde conuolantibus telis, atrox commuttitur pugna: & post interneciua certamina adusque finem diei protenta, cum iam noctis esset initiũ, per acceruos cæsorum & scaturigines sanguinis ægre defensum caligine tenebrarum extrahitur corpus: ut apud Troiam quondam super comite Thessali ducis exanime acies Martæ acerrimo conflixerunt. quo funere regia mœsta & optimatibus uniuersis cum parentæ subita clade perculsis, indicto iustitio iuuenis nobilitate commendabilis & dilectus, ritu nationis propriæ lugebatur. Itaque ut armari solebat elatus in amplo quodam suggestu locatur & celso: circáque eum lectuli X sternuntur, figmenta uehentes hominum mortuorum, ita curate pollincta, ut & imagines essent corporibus similes iam sepultis. ac per dierum spatium septem uiri quidem omnes per contubernia & manipulos epulis indulgebant saltando & cantando tristia quædam genera neniarum, regium iuuenem lamentantes. Fœminæ uero miserabili planctu in primæuo flore succisam spem gentis solitis fletibus conclamabant, ut lachrymæ cultriçes Venereæ sæpe spectantur in solennibus Adonidis sacris, quod

simulacrum aliquod esse frugum adultarũ religiones mystica docent. Post mœnsum corpus, ossdque in argenteam urnam contecta, quæ ad gentem humo mandanda portari statuerat pater, agitata summa consiliorum placuerat busto urbis subuersæ expiare perempti iuuenis manes: nec enim Grumbates *multa unici pignoris umbra ire ultra patiebatur: biduóque ad otium dato, ac missis abũde qui pacis modo patentes agros pingues cultósque uastarẽt, quinquies ordine multiplicato scutorũ cingitur ciuitas: ac tertiæ principio lucis coruſci globi turmarũ impleuerunt cuncta, quæ prospectus humanus potuit undique contueri: & sortæ loca diuisa clementi gradu mœdentes ordines occuparũt. Persæ omnes murorũ ambitus obsidebant. Pars quæ Oriẽtem spectabat,* Chionitis *euenit, quà funestus nobis cœciderat adolescẽs:* Vertæ Meridiano *lateri sunt destinati: tractum seruabant* Septentrionis Albani: Occidentali *portæ oppositi sunt* Segestani, *acerrimi omnium bellatores: cum quibus elata in arduum specie elephantorũ agmina, rugosis horrẽda corporibus lenitẽr incedebant armatis onusta, ultra omnẽ diritatem tetri spectaculi formidanda, ut retulimus sæpe. Cernentes populos tam indimensos, ad orbis* Romani *incendium diu quæsitos, in nostrũ conuersos exitium, salutis rata desperatione gloriosos uitæ exitus deinde curabamus, iámq; omnibus nobis optatos. A sole itaq; orto usque diei ultimum acies immobiles stabant ut fixæ, nullo uariato uestigio, nec sonitu uel equorũ audito hinnitu: eadémque figura digressi qua uenerãt, cibo recreati & somno, cũ superesset exiguũ noctis, æneatorũ clangore ductante, urbem ut mox cæsuram terribili corona cinxerunt. Vixque ubi* Grũbates *hastam infectam sanguine, ritu patrio, nostríque more coniecerat fecialis, armis exercitus concre-*

pãs inuolat in muros, confestimque lachrymabilis belli turba crudescit, rapido turmalium procursu in procinctum alacritate omni tendentiũ, & contra acri intentáque occursatione nostrorum. Proinde diffractis capitibus multos hostiũ scorpionum iactu moles saxeæ collisérunt. alij traiecti sagittis, pars confixi tragulis humum corporibus obsternebant uulnerati: alij socios fuga præcipiti repetebant. nec minores in ciuitate luctus aut mortes, sagittarum creberrima nube auras spissa multitudine obumbrante, tormentorúmque machinis, quæ direpta in Singara possederant Persæ, uulnera inferentibus plura. Nanque uiribus collectis propugnatores, omissa uicissim certamina repetentes, in maximo defendẽdi ardore saucij perniciose cadebant: aut laniati uoluendo stantes proxime subuertebant, aut certe spicula membris infixa uiuentes adhuc uellendi peritos quæritabant. ita strages stragibus implicitas, & ad extremum usque diem productas, ne uespertinæ quidem hebetauerant tenebræ, ea re, quòd obstinatione utrinque magna decernebatur. Agitatis itaque sub onere armorũ uigiliis, resultabant altrinsecus exortis clamoribus colles: nostris uirtutes Constantij Cæsaris extollentibus, ut domini rerũ & mundi: Persis Saporem & Achemenem appellantibus & Artaxerxen, quod regibus imperans, & bellorũ uictor interpretatur. Ac priusquã lux occiperet, signo per lituos dato, ad feruorem simuliũ prælioriũ excitæ undique inæstimabiles copiæ in modũ alitum ferebãtur: unde lõge & late prospici poterat, campis & conuallibus nihil præter arma micantia ferarũ gentiũ demonstrãtibus. Mox que clamore sublato, cunctis temere prorumpentibus, telorum uis ingens uolabat è muris: útque opinari dabatur, nulla frustra mittebantur inter hominum cadentia densitatem.

Tot enim nos circunſtantibus malis, non obtinendæ cauſa ſalutis, ut dixi, ſed fortiter moriendi ſtudio flagrabamus. & à diei principio aduſque lucem obſcurã neutrubi prælio inclinato, ferocius quàm conſultius pugnabatur. Exurgebant enim terrentiumque clamores, ut præ alacritate conſiſtere ſine uulnere quiſquam uix poſſit. Tandem nox finem cædibus fecit, & ſatias ærũnarum inducias partibus dederat longiores. Vbi enim quieſcendi nobis tempus eſt datum, exiguas, quæ ſupererant, uires continuus cum inſomnio labor abſumpſit, ſanguine & pallente expirantium facie perterrente: quibus ne ſuprema quidem humandi ſolatia tribui ſinebãt anguſtiæ ſpatiorum intra ciuitatis ambitum, nõ nimium amplæ legionibus ſeptem, & promiſcua aduenarum ciuiumque ſexus utriuſque plebe, & militibus alijs paucis aduſque numerum milium XX concitis mcluſis. Medebatur ergo ſuis quiſque uulneribus pro poſſibilitate, uel curantium copia. cum quidam grauiter ſauciij cruore exhauſto ſpiritus reluctantes efflarent: alij confoſſi mucronibus proſtrati, animis in uentum ſolutis proijciebantur extincti: aliquorum foratis undique membris mederi periti uetabant, ne offenſionibus caſſis animæ uexarẽtur adflictæ: nonnulli uulſis ſagittis in anciptiti curatione grauiora mortẽ ſupplicia perferebant. Dũ apud Amidam hac partium deſtinatione pugnatur, Vrſicinus mœrens quod ex alterius pendebat arbitrio autoritatis, tunc in regendo militẽ potiorem Sabinianum etiam tum ſepulchris hærentẽ crebro monebat, ut compoſitis uelitaribus cunctis, per imos pedes montium occultis itineribus properarẽt: quo leuium armorum auxilio, ſiqua fors iuuiſſet, ſtationibus interceptis, nocturnas hoſtium adgrederẽtur excubias, quæ ingenti circuitu uallauerant muros,

aut laæssionibus crebris occuparēt obsidioni fortiter adhæ rentes. quibus Sabinianus *renitebatur ut noxijs, palàm quidem literas imperiales prætendens, intacto ubique milite, quicquid geri potuisset, impleri debere apertè iubentes. clā uero corde altissimo retinens sæpe in comitatu sibi mandatum, ut ansam omnem adipiscendæ laudis decæssori suo ardēti studio gloriæ circuncideret, etiā ex* Rep. *procæssurā. adeo uel cum exitio prouinciarum festinabatur, ne bellicosus homo memorabilis alicuius facinoris autor nuntiaretur aut socius.* Ideóque *his attonitus malis, exploratores ad nos sæpe mittendo (licet ob custodias artas nullus facile oppidum poterat introire) & utilia agitando complura, nihil proficiens: uisebatur ut leo magnitudine corporis & toruitate terribilis, inclusos intra retia catulos periculo ereptum ire non audens, unguibus ademptis & dentibus.* Sed *in ciuitate, ubi sparsorum per uias cadauerum multitudo humandi officia superaret, pestilentia tot malis accæssit, uerminantium corporū lue tabifica, uaporatis æstibus, uarióque plebis languore nutrita. quæ genera morborum unde oriri solent, breuiter explicabo.* Nimietatem *frigoris aut caloris, uel humoris uel siccitatis, pestilētias gignere philosophi & illustres medici tradiderunt.* Vnde *accolentes loca palustria uel humecta, tusses, ioculares casus & similia perferunt: contra confines caloribus, tepore febrium arescunt. sed quanto ignis materies ~~cæteris~~ efficacior, tāto ad perimendū celerior siccitas.* Hinc *cum decennali bello Græcia desudaret, ne peregrinus pœnas dissociati regalis matrimonij lucraretur, huiusmodi grassata pernicie telis Apollinis periere complures, qui sol æstimatur: atque, ut Thucydides exponit, clades illa quæ in* Peloponnesiaci *belli primcipijs Atheniēses acerbo genere morbi uexauit, abusq;*

AEthiopiæ plaga paulatim proserpens, Atticam occupauit. alijs placet, auras, ut solent aquæ, uitiatas fœtore cadauerum, uel similibus, salubritatis uiolare maximam partem: uel certe aeris permutationem subitam, ægritudines parere leuiores. Adfirmant etiam aliqui terrarum halitu densiore crassatum aera, emittendis corporis spiraminibus resistentē necare nonnullos: qua causa animalia præter homines cætera iugiter prona, Homero autore, & experimentis deinceps multis, cum talis incesserit labes, antē nouimus interire. & prima species huius Pandemus appellatur, quæ efficit in aridioribus locis agentes caloribus crebris interpellari: secunda Epidemus, quo tempore ingruens diēi hebetat luminum, & concitat periculosos humores: tertia Loemodes, quæ itidē temporaria est, sed uolucri uelocitate lætabilis. Hac exitiali peste quassati, paucis intēperanti æstu consumptis, quos multitudo angebat, tandem nocte quæ diē consequuta est decimum, exiguis imbribus disiecto concreto spiritu & crassato, sospitas retenta est corporum firma. Verum inter hæc, inquies, Persa uiuineis ciuitatem pluteis circundabat, & erigi aggeres cœpti, turrēsque fabricabantur frontibus ferratis excelsæ, quarū fastigijs balistæ locatæ sunt singulis, ut propugnaculis propellerent defensores: leuia tamen per funditores & sagittarios prælia nepūcto quidem cessabant. Erant nobiscum duæ legiones Magnentiæ recens è Gallis ductæ (ut prædiximus) iuorū fortium & pernicium, ad planarios conflictus aptorum: ad eas uero belli artes quibus strinigebamur, non modo inhabiles, sed cōtra nimij turbatores. qui cum neque machinis, neque in operum constructione iuuarent aliquem, stolidius erumpentes dimicantēsque fidētissime minuto numero reuertebant, tantum proficientes, quantum in publico (ut

diunt) incendio aqua unius hominis manu adgesta. Postremo obseratis portis, precantibusque tribunis egredi nequeunces frendebant ut bestiæ. Verum sequutis diebus efficacia eorum eminuit, ut docebimus. In summoto locō partis Meridianæ murorum, quæ despectat fluuium Tigrim, turris fuit in sublimitatem exurgens, sub qua hiabant rupes abscisæ, ut despici sine uertigine horrenda non possent: unde cauatis fornicibus subterraneis per radices montis scalæ adusque ciuitatis ducebant planiciem, quo ex amnis alueo haurirentur aquæ furtim, ut in omnibus per eas regiones munimentis quæ contingunt flumina, uidimus, affabre politæ. per has tenebras ob dirupta neglectas, oppidano transfuga quodam ductante, qui ad diuersam partem desciuerat, LXX sagittarij Persæ ex agmine regio, arte fiduciáque præstantes, silentio summoti loci defensi, subito singuli nocte media ad contignationem turris tertiam ascenderunt. ibique occultati, mane sago Punici coloris elato, quod erat subeundæ indicium pugnæ, cum ex ōni parte circumueniri urbem suis cōpijs inundātibus aduertissent, exinanitis proiectisque ante pedes pharetris, clamosis ululatibus incendio tela summa peritia dispergebāt. Móxque acies omnes densæ petebāt multo infestius quàm antea ciuitatē. Inter incertos nos & ancipites quibus occurri deberet, instantibus supra, an multitudini transcensu scalarum iam propugnacula ipsa prensanti, diuiditur opera: & translatæ leuiores quinque balistæ contra turrim locantur. quæ ocyus lignea tela fundētes, nonnunquā binos forabant: è quibus pars grauiter uulnerati ruebāt: alij machinarū metu stridentiū præcipites acti, laniātis corporibus interibāt. Quibus hac celeritate confectis, relatisq; ad loca sueta tormētis, paulo securius mœnia omniū cōcursu

defendebantur. Et quoniam augebat curas militum scelestum facinus perfugæ, quasi decurrentes in planum, ita iaculantes diuersa missilia lacertis fortibus incumbebant, ut Vertæ in Meridiē degentes uulnerum acri repulsa disiecti lachrymantes complurium mortes tentoria repeterent metu. Adspirauit auram quandam salutis fortuna, innoxio die cum hostili clade emenso: cuius reliquo tempore ad quietem reficiendis corporibus dato, posteræ lucis initio ex aræ numeram cernimus plebem, quæ Ziata capto castello ad hosticum ducebatur: ad quem locum ut capacissimum & munitum, spatio quippe X stadiorum ambitur, promiscua confugerat multitudo. Nā etiam alia munimenta ijsdem diebus capta sunt & mœnsa, unde hominum milia extracta complura seruituti sequebantur: inter quos multi senecta infirmi, & mulieres iam grandæuæ cum ex uarijs deficerent causis, itineris longinquitate offensæ, abiecta uiuendi cupiditate, suris uel suffraginibus relinquebantur exectis. Has miserabiles turmas Galli milites contuentes, rationabili quidem sed intempestiuo motu, conserendæ cum hostibus manus copiam sibi dari poscebant, mortem tribunis uetantibus, primisque ordinibus munitantes, si deinceps prohiberent. utq; dentatæ incaueis bestiæ, tetro pedore acerbius efferatæ, euadendi spe repagulis uersabilibus illiduntur: ita gladijs portas cædebant, quas supra diximus obseratas, admodum anxij ne urbe excisa ipsi quoque sine ullo specioso facinore deleantur, aut exuta periculis nihil egisse operæpretium pro magnanimitate Gallica memorentur: licet antea sæpe egressi, structuresque aggerum cōfusis quibusdam impedire conati, paria pertulerint. Inopes nos consilij, & quid opponi deberet sæuientibus ambigentes, id potissimum ægre ijsdem adsentientibus, tandem

elegimus, ut quoniam ultra ferri non poterant, paulisper morati custodias aggredi permutterentur hostiles, quæ non procul erant à conuectu locatæ telorum, ut eis perruptis pergerent prorsus. apparebat enim eos si impetrassent, strages maximas edituros. Quæ dum parantur, per uaria certaminum genera defensabantur acriter muri, laboribus & uigiliis, & tormentis ad mittenda undique saxa teldque dispositis. duo tamen aggeres elsi Persarum peditum manu erecti, & expugnatio ciuitatis struebatur operibus lentis. contra quos nostrorũ quoque impensiore cura moles excitabantur altissimæ, fastigio aduersæ elsitudinis æquatæ, propugnatorum uel nimia pondera duraturæ. Inter hæc Galli morarum impatientes, securibus, gladiisque succincti, patefacta sunt egressi postica, obseruata nocte squalida & mœrluni, orantes cæleste præsidium ut propitium adesset & libens, atque ipsum spiritum reprimentes. Cum propè uenissent conferti ualido cursu quibusdam stationariis mœrfectis, exteriores castrorum uigiles, ut in nullo tali metu sopitos obtruncãtes, superuenire ipsi regiæ, si prosperior illuxisset euentus, occultè meditabantur. Verum audito ruẽtium sonitu gemitúque cæsorum discusso somno, excitatis multis, & ad arma pro se quoque clamitante, steterunt milites uestigiis fixis, progredi ultra non ausi: nec enim cautum deinde, expergefactis quos petebant insidiis, in apertũ properare discrimen. Cũ iam undique frendentium cateruæ Persarum in prælia uenirent accensæ, contra Galli corporũ robore audaciáque quoad poterant mœnaussis gladiis secantes aduersos, partæ suorum strata, uel sagittarũ undique uolantium crebritate cõfixa, cum unum in locum totam periculi molẽ conuersam, & currentiũ hostiũ agmina aduertissent, nullo terga uertente euadere fe-

stinabant: & uelut repedãtes sub modulis sensim extra ual lum protrusi, cum manipulos confertius muadentes sustinere non possent, tubarum perciti clangore castrensium discedebant: & resultantibus è ciuitate lituis multis portæ panduntur recepturæ nostros, si peruenire illuc usque ualuissent: tormentorúmque machinæ stridebant sine iaculatione ulla cælorum, ut stationibus præsidentes, post interemptos socios ponè agerentur, ignari urbis oppositi mœnibus nudatis ut uiri fortes suscperentur inuoxij. Hácque arte Galli portã prope confinia lucis introiere minuto numero, quidam pernaciose, pars leuiter uulnerati, quadrigentis ea nocte desideratis: qui non Rhesum nec cubitantes pro muris Iliacis Thracas, sed Persarum regem armatorum C. millibus circunseptum, ni obstitisset uiolentior casus, in ipsis tentorijs obtruncarant. horum campiductoribus ut fortium factorum antesignanis post ciuitatis excidium armatas statuas apud AEdessam in regione celebri locari iusserat imperator, quæ ad præsens seruantur intactæ. Reæctis sequenti luce funeribus, cum inter cæsorum cadauera optimates inuenirentur & satrapæ, clamores dissoni fortunam aliã alibi cum lachrymis indicabant, luctus ubique & indignatio regum audiebatur, arbitrantium per stationes muris obiectus irrupisse Romanos: inducij'sque ob hoc tridui datis adsensu communi, nos quoque spatiũ ad respirandũ accepimus. Perculsæ deinde nouitate rei, efferatæque gentes, omissa omni cunctatione, operibus quoniam uis minime procedebat, decernere iã cœnsebant: & concito extremo belli ardore omnes oppetere gloriose iam properabant, aut ruina urbis animus litasse cæsorũ. iámque apparatu cunctorum alacritate perfecto, exiliente Lucifero, operum uariæ species cum turribus ferratis admouebam-

tur: quorum in uerticibus cælsis aptatæ balistæ propugnatores agitantes humilius disiectabant. & albescente iam die ferrea munimenta membrorum cælum omne subtexerunt: densatéque acies non inordinatim ut antea, sed tubarum sonitu leni ductante nullis procursantibus mœ debant, machinarum opertæ tegminibus, cratésque uimineas prætendentes. Cúmque propinquantes ad coniectum uenere telorum, oppositis scutis Persæ pedites sagittas tormentis excussas è muris ægrius euitantes laxarunt aciem: nullóque penè iaculi genere inuanum cadente, etiam cataphracti hebetati & cædentes animos auxere nostrorũ. Tamẽ quia hostiles balistæ ferratis impositæ turribus, in humiliora ex supernis ualentes, ut loco dispari, ita euentu dissimili nostra multo cruore fœdabant, ingruẽte iam uespera cum requiescerent partes, noctis spatiũ maius consumptum est, ut excogitari possit, quid exitio ita atroci obiecta retur. & tandem multa uersantibus sedit consilium, quod tutius celeritas fecit, quatuor ijsdem balistis scorpiones opponi. qui dum translati è regione cautæ, quod artis est difficillimæ, collocantur, lux nobis aduenit mœstissima, Persarũ manipulos formidatos ostentans, adiectis elephantorum agminibus, quorum stridore immanitatéque corporũ, nihil humanæ mentes terribilius cernunt. Cúmque omni ex latere armorum & operum beluarúmque molibus urgeremur, per scorpionũ ferreas fundas è propugnaculis subinde rotundi lapides acti, dissolutis turrium coagmentis, balistas earúmque tortores ita fudere præcipites, ut quidam citra uulnerum noxias, alij obruti magnitudine pōderum interirent: elephantis ui magna propulsis, quos flammis cōiectis undique circunnexos, iā corporibus tactis, gradiētésq; retrorsus, retinere magistri non poterāt: póstq; exustis ope-

ribus nulla quies cœrtaminibus data. rex enim ipse Persarum, qui nunquam adesse cœrtaminibus cogitur, his turbinum infortunijs percitus, nouo & nusquam antea cognito more præliatoris militis ritu prosiluit in confertos: & quia conspectior tegentium multitudine procul speculantibus uisebatur, petitus crebritate telorum multis stipatoribus stratis absessit, alternans regibiles acies: & ad extremum diei, nec morientium truci uisu, nec uulnerum territus, tandem tempus exiguum tribui quieti permisit. Verum nocte prælia dirimente, somno per breue otium capto, nitescente iam luce ad potiunda sperata ira & dolore exundans, nec fas ullum præ oculis habiturus gentes in nos excitabat. Cúmq; crematis operibus, ut docueram, pugna per aggeres elsos muris proximos tentaretur, ex aggestis erectis intrinsecus, quantum facere nitique poterant, nostri æquis uiribus per ardua resistebãt. & diu cruentum prælium stetit, nec metu mortis quisquam ex aliqua parte à studio propugnandi remouebatur: eóque producta contentione, cum sors partium euentu regeretur indeclinabili, diu laborata moles illa nostrorum uelut terræ quodã tremore quassata procubuit: & tanquam itinerario aggere uel superposito ponte complanatum spatium, quod inter murum congestámque forinsecus struem hiabat, patefecit hostibus transitum, nullis obijcibus impeditum: & pars pleraque militum deiectorum oppressa uel debilitata cessabat. Concursum est tamẽ undique ad propulsationem periculi tam abrupti: & festinandi studio, alijs irretientibus alios, audacia hostium ipso successu crescebat. Accitis igitur regis imperio prædatoribus uniuersis, strictóq; omnus ferro, cum sanguis utrobique immensis cædibus funderetur, repletæ sunt corporibus fossæ, latiórque uia inde pãdebatur: & con

cursu copiarum ardentiũ ciuitatæ oppleta, cum omnis defendendi uel fugiendi spes esset abscissa, pecorum ritu armati & imbelles sine sexus discrimine truncabantur. Itaque uespera tenebrante, cum adhuc licet iniqua reluctante fortuna, multitudo nostrorum manu conserta distringeretur, in abstrusa quadam parte oppidi cum duobus alijs latens obscure præsidio noctis, postica per quam nihil seruabatur euado: & squalentum peritia locorum, comitúmque adiutus celeritate, ad decimum lapidem tãdem peruenimus: in qua statione lenius recreati, cum ire protinus pergeremus, & inædendi nimietate iam superarer ut insuetus ingenuus, offendi dirum aspectu, sed fatigato mihi lassitudine graui leuamen impendio tempestiuum. Fugaci equo nudo & infræni calonum quidã sedens ne labi posset, ex more habenam qua ductabatur, sinistra manu artius illigauit: móxque decussus uinculi nodum abrumpere nequiens, per aua saltúsque membratim discerptus, iumentum exhaustum cursu pondere cadaueris detinebat: cuius dorsualis comprehẽsi seruitio usus in tempore, cum ijsdem socijs ad fontes sulphureos aquarum suaptę natura calentium ægre peruenimus. Et quia per æstum arida siti reptãtes aquam diu quæritãdo, profundũ penè uidimus puteum, & neque descendendi pro altitudine, nec restium aderat copia, necessitate docente postrema indumenta linea quibus tegebamur, in oblongos discindimus pannulos: unde explicato fune ingenti, centonem quem sub galea unus ferebat è nostris ultimæ aptauimus summitati: qui per funem coniectus aquásque hauriens ad periculi modum, facile sitim qua hauriebamur extinxit. unde citi ferebamur ad flumẽ Euphraten, ulteriorẽ ripam petituri per nauẽ, quam trãsfretandi causa iumenta & homines in eo tractu diuturna

consuetudo locarat. Ecce autem Romanum agmen cum equestribus signis disiectum emunus cernimus, quod sequebatur multitudo Persarum, incertum unde impetu tam repentino terga uiantũ aggressa. Quo exemplo terrigenas illos non sinubus terræ emersos, sed exuberãti pernicitate credimus natos: qui quoniã mopini per uaria uisebãtur, Sparti uocitati, humo exiluisse, uetustate ut cætera fabulosius extollẽtes, sunt æstimati. Hoc malo consiti, cũ omne iam esset in celeritate salutis præsidiũ, per dumeta & syluas montes petimus celsiores: exindéque Melitinam minoris Armeniæ oppidũ uenimus: nos repertũ ducem comitati iam profectũ, Antiochiã reuisimus. Interea Sapor & Persæ quia tendere iam introrsus autũno præcipiti hœdorúmque sidere exorto prohibebãtur, captiuos agentes & prædas remeare cogitabãt ad sua. Inter hæc tamen funera direptionésq; ciuitatis excisæ, A Eliano comite & tribunis, quorũ efficacia diu defensa sunt mœnia stragésque multiplicatæ Persarũ, patibulis sceleste suffixis, Iacobus & Cesius numerarij apparitionis magistri equitum, alij que protectores post terga uinctis manibus ducebantur: Transtigritanis, qui solicita quærebãtur industria, nullo infimi summíq; discrimine ad unũ omnibus cõtrũcatis. Vxor uero Craugasij, quæ retinẽs pudorem inuiolatum ut matrona nobilis colebatur, mœrebat uelut orbem alium sine marito uisura, quãquam sperabat documentis præsentibus altiora. In rem itaque consulens suam, & accidentia longe antè prospiens, anxietate bifaria stringebatur, uiduitatem detestans, & nuptias. ideo familiarem suum perquam fidum, regionúmque Mesopotamiæ gnarũ, per Zagrum mõtem inter castella præsidiaria duo Maride & Lorne, introiturum Nisibin occulte dimisit, mãdatis arcanísq; uitæ secretioris maritũ exo-

rãs, ut auditis quæ contigerint, ueniret secum beate uictu-
rus. quibus contentus expeditus uiator, per saltuosos tra-
mites & frutecta Nisibin passibus citis ingressus, causa-
tiúsque se domina nusquam usa, & forsitan mœrempta,
data euadendi copia castris hostilibus abscessisse, & ideo
ut uilis neglectus docet Craugasium gesta: móxque accepta
fide, quod si tuto liuerit, sequetur coniugem, libens euasit
exoptatum mulieri nuntiũ ferens. quæ hoc cognito, per Sa-
porem ducem supplicauerat regi, ut si daretur facultas an-
tequàm Romanis excederet finibus, in potestatem suam iu-
beret propitius maritũ adscisci. Præter spem itaque omniũ
digresso aduena repẽtino, qui postliminio reuersus statim
sine ullius euanuit conscientia, perculsus suspicione dux Cas-
sianus, præsidentésque ibi proceres alij, minitantes ultima
Craugasium mœssebant, nõ sine eius uoluntate uel uenisse,
uel abisse hominem clamitantes. Qui uero proditoris me-
tuẽs crimen, impendióque solicitus, ne transitione perfugæ
uxor eius superesse doceretur, & tractari pũssime, per si-
mulationem matrimoniũ alterius splendidæ uirginis af-
fectauit: & uelut paraturus necessaria conuiuio nuptiali,
egressus ad uillam octauo lapide ab urbe distantem, cõci-
to cursu ad Persarũ uastatoriũ globum quem didicerat ad
uentare, cõfugit: suscepturúsque auẽtur, qui esset ex his cogni-
tus quæ loquebatur, Sapori post diem traditur quintũ, pér-
que eum regi, ablatis opibus & necessitudine omni recipe-
rata cũ coniunge, quam paucos post mẽses amiserat, secun-
di loci post Antoninum, ut ait Poeta præclarus, lõgo proxi-
mus interuallo. Ille enim ingenio & usu rerum diuturno
firmatus, consilijs ualidis sufficiebat in cũcta quæ conabatur: hic natura simplicior, nominis tamen itidẽ peruulgati.
Et hæc quidẽ haud diu postea cõtigerũt. Rex uero licet secu

ritatē referens uultu, exultánsq; specie tenus urbis excidio uidebatur, profundo tamē animo grauiter æstuabat, repu tās in obsidionalibus malis sæpe luctuosas se pertulisse iacturas, multóque ampliores seipsum populos perdidisse, quàm è nostris æperat uiuos, uel ærte per diuersas fuderat pugnas: ut apud Nisibin aliquoties euenit, & Singara: parique modo cum LXX trésq; dies Amudā multitudine circunsedisset armatorū, XXX milia perdidit bellatorum, quæ paulo postea per Discenem tribunum & notariū numerata sunt hac discretione facilius, quòd nostrorum cadauera mox cæsorum fatiscunt & defluunt, adeo ut nullius mortui facies post quatriduum agnoscatur. Interfectorum uero Persarū marescunt in modum stipitum corpora, ut nec liquentibus membris, nec sanie perfusa madescant: quod uita parcior facit, & ubi nascuntur exustæ caloribus terræ. Dum hæc per uarios turbines in Oriētis extimo festinantur, difficultatem aduentantis inopiæ frumentorū urbs uerebatur AEterna: uíque minacissimæ plebis, famem ultimum malorū omnium expectantis, subinde Tertullus uexabatur ea tempestate præfectus irrationabiliter plane: nec enim per eum stetérat quo minus tempore congruo alimenta naubus ueherentur, quas maris casus asperioris solito, uentorúmque procellæ reflantium, delatas in proximos sinus introire portum Augusti discriminum magnitudine perterrebāt. Quocirca idem sæpe præfectus seditionibus agitatus, ac plebe iā sæuiente immanius, quàm urebat impēdens exitium, ab omni spe tuendæ salutis exclusus, ut existimabat, tumultuāti acriter populo, sed accidētia considerare sueto prudēter, obiecit paruulos filios: & lachrymans, En, inquit, ciues uestri, procul omen dij cælestes auertant, eadem perlaturi uobiscum, ni

fortuna adfulsere, lætior. Si itaque his abolitis, nihil triste accidere posse existimatis, præsto in potestate sum uestra. Qua miseratione uulgus ad clementiam suapte natura procliue lenitum conticuit, æquanimiter uenturam opperiens sortem. Móxque diuini arbitrio numinis, quod auxit ab incunabulis Romam, perpetuámque fore respondit, dum Tertullus apud ostia in æde sacrificat Castorum, tranquillitas mare molliuit: mutatóque in austrum placidum uento, uelificatione plena portum naues ingressæ, frumentis horrea referserunt. Inter hæc ita ambiguum Constantiũ Sirmij etiam tum hyberna quiete curantem permouebant nuntij metuendi & graues, indicantes id quod tunc magnopere formidabat, limitantes Sarmatas quos expulisse paternis auitisque sedibus dominos suos antè mõstrauimus, paulatim postlabitis locis, quæ eis anno præterito utiliter sunt destinata, ne (ut sunt uersabiles) aliquid molirẽtur, regiones confines limitibus occupasse: uagaríque licentius genuino more, ni pellerentur omnia turbaturos, quæ superbius incitanda propediem imperator dilato negotio credens, coacta undique multitudine militis ad bella promptissimi, nec dum adulto uere ad procinctũ egressus est, gemina consideratione alacrior: quòd expletus prædarum opimitate exercitus, æstate nuper emensa, simili in spe fidẽter in effectus animabatur prosperos: quódque Anatolio regente tunc per Illyricum præfecturam, necessaria cuncta uel ante tempus coacta sine ullius dispendijs affluebant. nec enim dispositionibus unquam alterius præfecturæ (ut inter omnes constat) ad præsens Arctoæ prouinciæ bonis omnibus floruerunt, correctione titubantium beneuola & solerti, uehicularia rei iacturis ingentibus, quæ clausere domus innumeras, & censuali professione specio-

ſa fiducia releuatæ: indemnéſq; deinde & innoxij earum incolæ partium querelarum ſopitis materijs uiuerent, ni poſtea exquiſitorũ deteſtanda nomina titulorum, per offerẽtes ſuſcipientéſque crimimoſe in maius exaggerata, his propagari ſibi nitentibus poteſtates, illis attenuatis omniũ opibus ſe fore ſperãtibus tutos, aduſque proſcriptiones miſerorúmque ſuſpendia peruenerunt. Rem igitur emendaturus urgentem, profectus cum inſtrumẽtis ambitioſus imperator, ut dictum eſt, Valeriam uenit partẽ quondã Pannoniæ, ſed ad honorem Valeriæ Diocletiani filiæ, & inſtitutam & ita cognominatam: ſub pellibuſque exercitu diffuſo, per Iſtri fluminis margines barbaros obſeruabat, ante aduentum ſuum amicitæ uelamento Pannoniam furtim uaſtandã inuadere hyemis duriſſimo cogitantes: cum necdum ſolutæ uernis caloribus niues amnem undique peruium faciunt, noſtríque pruinis ſubdiuales moras difficile tolerabant. Confeſtim itaque miſſis ad limitantes duobus tribunis cum interpretibus ſingulis, explorabat modeſtius percontando, quamobrem relictis laribus poſt pacem & fœdera petentibus attributis ita palarẽtur uaria, limitéſque contra interdicta pulſarẽt. qui uana quædam cauſantes & irrita pauore adigente mentiri, principẽ exorabant ueniam obſecrantes, ut ſimultate abolita, tranſmiſſo flumine ad eum uenire permitterẽtur, docturi quæ ſuſtinerent incommoda: paratíque intra ſpatia orbis Romani, ſi id placuerit, terras ſuſcipere longe diſcretas, ut diurno otio muoluti & Quietem colẽtes, tanquam ſalutarem deam tributariorum onera ſubirent & nomen. His poſt reditum tribunorum compertis, imperator exultans, ut negotio quod rebatur inexplicabile, ſine ullo puluere cõſummãdo, cunctos admiſit, cupiditatæ plus habẽdi incẽſus,

quam adulatorũ cohors augebat, id sine modo strepẽtium, quod externis sopitis, & ubiq; pace cõposita, proletarios lucrabitur plures, & tyrocinia cogere poterit ualidissima: aurũ quippe gratanter prouinciales corporibus dabunt, quæ spes rem Romanã aliquoties adgrauauit. Promde ualllo prope Acuninciũ locato, celsóq; aggere in speciem tribunalis erecto, naues uehentes quosdã legionarios expeditos, alueum fluminis proximum ripis obseruare sunt iussæ, cũ Innocentio quodã agrimensore huius autore consilij, ut si barbaros tumultuare sensissent, aliorsum intẽtos post tergu peruaderent. Improuisque limitantes licet properari sentirent, nihil tamen præceps fingentes stabant incurui, lõge alia, quàm quæ gestu præferebãt, & uerbis altis mentibus perpensantes Visóque imperatore ex alto suggestu iã sermonem parante lenissimum, meditantéque alloqui uelut morigeros iam futuros, quidam ex illis furore percitus truci, calceo suo in tribunal contorto, marha marha, quod est signũ apud eos bellicum, exclamauit. eúmque secuta incondita multitudo uexillo elato repente barbarico, ululans ferum in ipsum principem ferebatur. Qui cum ex alto despiciens plena omnia discurrentis turbæ cum militibus uidisset, retectisque gladijs & uerutis iã propinquam perniciem, externis mixtus & suis, ignotúsque dux esset an miles, quia neque cunctandi aderat tempus neque cessandi, equo uelocı impositus cursu effuso euasit. stipatores tamen pauci, dum ignis more inundantes conabantur arcere, interierunt, ponderibus superruentium solis afflicti: selláque regalis cum aureo puluinari, nullo uetante direpta est. Mox autẽ audito quòd ultimum penè tractus in exitiũ in abrupto staret adhuc imperator, antiquissimũ omniũ exercitus ratus eũ iuuare (nõdum enim exẽptum periculis

existimauit) salutis fastu fidētior, licet ob procursionem subitam semiuectus, sonorum & Martium frendens, barbarorum mori obstinatorū cæterus semet immersit. Et quia uirtutæ dedecus purgatura ardens copia nostrorū erupit, iras in hostem perfidum parans, obuia quæque obtruncabat sine parsimonia uuos cōculcans & semineces & peremptos: & antè quàm exatiaret cædibus barbaricis manus, aerui constipati sunt mortuorum. Vrgebantur enim rebelles, alijs trucidatis, alijs terrore disiectis: quorū pars spem uitæ cassis precibus usurpando, multiplicatis ictibus cædebantur. póstque deletos omnes, receptum canentibus lituis, nostri quoque licet rari uidebantur exanimes, quos impetus cōculcauerat uehemens, aut furori resistentes hostili, lateráque nudātes intecta, ordo fatalis absumpsit. Mors tamen eminuit inter alios Cellæ Scutariorum tribuni, qui inter conflligendi exordia primum omnium in medios Sarmatarū globos se immisit. post quæ tam sæua, digestis pro securitate, quæ militum rationes monebant, urgentes, Constantius Sirmium redit, ferens de hoste fallaci uindictam: & maturatis quæ necessitates temporis poscebant instantes, egressus exinde Constantinopolim petit: ut Orienti iam proximus, cladibus apud Amidam mederetur acceptis, & reintegrato supplementis exercitu, impetus regis Persarū pari uirium robore cohiberet: quem constabat (ni cælestis ratio, impēsiórque repelleret cura multorum) Mesopotamia relicta post terga, per extenta spatia signa moturum. Inter has tamē solicitudines uelut ex recepto quodam antiquitus more, ad uicem bellorū ciuilium inflammabant litui quædam colorata læsæ crimina maiestatis: quorum executor & administer sæpe dicendus ille notarius missus est Paulus: qui peritus artium cruenta-

rũ, ut lanista ex commercijs Libitinæ uel ludi, ipse quoq; ex equuleo uel carnificæ quæstum fructúmque captabat. ut enim erat obstinatum fixúmque eius propositũ ad lædendũ, ita nec furtis abstinuit, innocentibus exitiales causas adfingens, dum in calamitosis stipendijs uersaretur. Materiam autem in infinitum quæstionibus extentis dedit occasio uilis & parua. oppidũ est Abydum in Thebaidis parte situm extrema: hic Besæ dei localiter appellati oraculum quondam futura pandebat, priscis circumiacentium regionum ceremonijs solitum coli. & quoniam quidam præsentes, pars per alios desideriorũ indice missa scriptura supplicationibus expresse conceptis consulta numinum scitabãtur, chartulæ seu membranæ continentes quæ petebantur, post data quoque responsa interdum remanebant in fano. Ex his aliqua ad imperatorem maligne sunt missa: qui ut erat angusti pectoris, obsurdescens in alijs etiam nimium serijs, in hoc titulo ima, quod aiunt, auricula mollior, & suspicax, & munitus acri felle concaluit. statimque ad Oriẽtem ocyus ire monuit Paulũ, potestate delata, ut instar ducis rerum experientia clari, ad arbitriũ suum audiri efficeret causas. Datúmque est negotium Modesto, commissum etiã tum per Oriẽtem comiti apto ad hæc & similia. Hermogenes enim Ponticus ea tempestate præfectus prætorio, ut lenioris ingenij spernebatur. Perrexit, ut præceptum est, Paulus funesti furoris & anhelitus plenus: datáque calumniæ indulgentia, plurimi ducebantur ab orbe propè terrarum iuxta nobiles & obscuri: quorum aliquos uincularum adflixerunt nexus, alios claustra pœnalia consumpserunt. & electa est spectatrix suppliciorum feralium ciuitas Palæstina Scythopolis, gemina ratione uisa magis omnibus opportuna, quòd secretior, & inter An-

tiochiam Alexandriámque media, unde multi plerunque, ad crimina trahebantur. Ductus est itaque inter primos Simplicius Philippi filius ex præfecto & consule, reus hac gratia postulatus, quòd super adipiscendo imperio rogasse dicebatur imperio: perque elogium principis torqueri præceptus, qui in his casibus nec peccatum aliquando pietati dederat nec erratum, fato quodam arcente, corpore immaculato fuga dãnatus est. Dem Parnasius ex præfecto Aegypti, homo simplicium morum, eò deductus periculi, ut pronuntiaretur capitis reus, itidem pulsus est in exilium: sæpe auditus multo antehac retulisse, quòd cum Patras Achaicum oppidum, ubi genitus habuit larem, impetrandæ causa cuiusdam relinqueret potestatis, per quietem deducentia se habitus tragici figmenta uiderat multa. Andronicus pòst à studijs liberalibus & claritudine carminum notus, in iudicium introductus, cum secura mente nullis suspicionibus urgeretur, purgando semper & fidentius absolutus est. Demetrius item Cythras cognomento Philosophus, grandæuus quidem, sed corpore durus & animo, sacrificasse aliquoties confutatus inficiari non potuit, adserens propitiandi causa numinis hæc à prima adolescentia factitasse, non tentandi sublimiora scrutatis: nec enim quenquam id nouerat adfectare. Diu itaque adhærens eculeo, cum fiducia graui fundatus nequaquam uarians eadem oraret intrepidus, Alexandriam unde oriebatur innoxius abire permissus est. Et hos quidem aliósque paucos æqua sors ueritatis adiutrix periculis exemit abruptis: criminibus uero serpentibus latius per implicatos nexus sine fine distentos, quidam corporibus laniatis extinguebantur: alij pœnis ulterioribus damnati sunt bonis ereptis, Paulo succentore fabularum crudelium, quas è prom-

ptuaria cella fallaciarum extulit nocendi specie, egitque complures: cuius ex nutu (propè dixerim) pendebat mœdentium omnium salus. Nam siqui remedia quartanæ, uel doloris alcerius collo gestaret, siue per monumentum transisse uespere maleuolorum argueretur indicijs, ut ueneficus, sepulchrorúmque horrores, & errantium indidẽ animarum ludibria colligens uaria, pronuntiatus reus capitis mœribat. & prorsus ita res agebatur, quasi Clarum, Dodonæas arbores, & effata Delphorum olim solennia in imperatoris exitium solicitauerint multi: unde blanditiarum tetra commenta Palatina cohors exquisite cõfingens, immunem eum fore malorum communium adserebat, fatum eius ingens semper & præsens in abolendis aduersa conantibus eluxisse, uocibus magnis exclamãs. Et inquisitum in hæc negotia fortius, nemo qui quidem recte sapiat reprehendit. nec enim abnuimus salutem legitimi principis propugnatoris bonorum & defensoris, unde salus quæritur alijs, consociato studio muniri debere cunctorũ: cuius redimendæ causa natidius ubi maiestas pulsata defenditur, à quæstionibus uel cruẽtis, nullã Corneliæ leges exemere fortunã. Sed exultare mœstis casibus effrænate non decet, ne uideãtur licentia regi subiecti, non potestate. imitandus sit Tullius, cum parcere læderéue potuisset, ut ipse adfirmat, ignoscendi quærens causas, non puniendi occasiones: quod iudicis lenti & considerati est proprium. Tunc apud Daphnen amœnum illud & ambitiosum Antiochiæ suburbanum, uisu relatúque horrendum natum est monstrum, infans ore geminos, dentibus cum binis & barba, quatuórque oculis, & breuissimis duabus auriculis: qui partus ita distortus præuertebat rempublicam in statum uerti deformem. nascuntur huiusmodi sæpe portenta

indicantia rerum uariarum euentus: quæ quoniam non expiãtur, ut apud ueteres, publicæ, maudita præteeunt & incognita. His *temporibus* Isauri *diu quieti, post gesta quæ superior continet textus, tentatúmque* Seleuciæ *ciuitatis obsidium, paulatim reuiuiscentes (ut solent uerno tepore fouei exilire serpentes) saltibus degressi scrupulosis & inuijs, confertique in cuneos densos, per furta & latrocinia finitimos adflictabãt, & eo prætenturas militum ut montani fallẽtes, pérque rupes & dumeta ex usu facile discurrentes. ad quos ui uel ratione sedandos* Lauritius *adiecta comitis dignitate missus est rector, homo ciuilis prudẽtiæ, qui minis potius quàm acerbitate pleraque correxit: adeo, ut eo diu prouinciam obtinente, nihil accideret quod animaduersione dignum æstimaretur.*

AMMIANI MARCELLINI RERVM GESTARVM LIB. XX.

HAEC *per* Illyricum, *pérque* Oriẽtem *rerum series fuit.* Consulatu *uero* Constantij *decies, térque* Iuliani, *in* Britannijs *cum* Scotorum Pictorúmque *gentium ferarũ excursu, rupta quiete, condicta loca limitibus uicina uastarentur, & implicaret formido prouincias præteritarũ clادium congerie fessas, hyemem agens apud* Parisios Cæsar, *distractúsque in solicitudines uarias, uerebatur ire subsidio transmarinis, ut retulimus antè fecisse* Constantiũ, *ne rectore uacuas relinqueret* Gallias, Alemannis *ad sæuitiam etiã tum incitatis, & bella.* Mittere *igitur ad hæc loca ad rationes componendas* Lupicinum *placuit, ea tempestate magistrum armorum, belliosum sanè, & castrensis*

rei peritum, sed supercilia erigentem ut cornua, & de tragico, quod aiunt, cothurno strepentem: super quo diu ambigebatur, auarus esset potius, an crudelis. Moto ergo uelitari auxilio, Herulis scilicet & Batauis, numerisque Mœsicorum pluribus, adulta hyeme dux antedictus Bononiã uenit: quæsitisque naugijs, & omni imposito milite, obseruato flatu secundo uentorũ, ad Rutupias sitas ex aduerso defertur, petitque Lũdinium: ut exinde suscepto pro rei qualitate consilio, festinaret ocyus ad procinctum. Quæ cum ita geruntur, post Amidæ oppugnationẽ Vrsicinum ad commilitium principis & peditum magisteriũ reuersum (successisse enim eum Barbationi prædiximus) obtrectatores excipiũt: primo disseminãtes mordaces susurros, deinde propalàm ficta crimina subnectentes. quibus imperator adsensus, ex opinione pleraque æstimans; & insidiãtibus patens, Arbitionem & Florentium officiorum magistrũ quæsitores dederat, spectaturos quas ob res oppidum sit excisum. quibus apertas probabilésque refutantibus causas, ueritisq; ne offenderetur Eusebius cubiculi tunc præpositus, si documenta suscepissent perspicue demonstrantia, Sabiniani pertinaci ignauia hæc accidisse, quæ contigerunt: à ueritate detorti, mania quædam, longéque à negotio distantia scrutabantur. Quà iniquitate percitus qui audiebat, Etsi me, inquit, despicit imperator, negotij est tamen magnitudo, ut non nisi iudicio principis nosci possit & uindicari: sciat tamen uelut quodam præsagio, quòd dum mœret super his quæ apud Amidam gesta emendata didicit fide, diúmque ad spadonum arbitrium trahitur, defensandæ Mesopotamæ proximo uere ne ipse quidem cum exercitus robore omni opitulari poterit præsens. Relatis adiectisque cum interpretatione maligna compluribus, iratus

ultra modum Constantius, *nec discusso negotio, nec patefieri quæ scientiam eius latebant permissis, adpetitum calumniis, deposita militia digredi iussit ad otium,* Agilone *ad eius locum moderandũ à se promoto ex gentilium scutariorum tribuno.* Eodem *tempore per* Eoos *tractus cælum subtextum caligine cernebatur obscura, & à primo auroræ exortu usque ad* Meridiem *intermicabant iugiter stellæ. hisque terroribus accedebat, quòd cum lux cælestis operiretur, è mundi cõspectu penitus lucæ abrepta, defecisse diutius solem paucæ mentes hominum æstimabãt: primo attenuatum in lunæ corniculantis effigiẽ, deinde in speciẽ auctum semestrem, postéque in integrũ restitutum: quod aliàs non euenit ita perspicue, nisi cum post æquales cursus intermenstruum lunæ ad idem reuocatur mitium certis temporum intervallis: id est, cum in domicilio eiusdem signi tota reperitur luna sub sole liniamentis obiecta rectissimus, atque in his paulisper consistit minutis, quas geometrica ratio partes appellat. Ac licet utriusq; sideris conuersiones & motus, ut scrutatores causarum mælligibilũ aduerterant, in unum eundémque finem lunari cursu impleto, perenni distinctione conueniunt: tamen sol non semper his diebus obducitur: sed cum luna è regione uelut libramento quodam igneo orbi & aspectui nostro opponitur media. ad summam, tum sol occultatur splendore suppresso, cum ipse & lunaris globus astrorum omnium infimus parili comitatu, obtinẽtes circulos proprios, saluáque ratione altitudinis interiectæ iunctim locati, ut sciẽter & decore* Ptolemæus *exponit, ad dimensiones uenerint, quos* ἀναβιβάζοντας & καταβιβάζοντας ἐκλιπτικοὺς συνδέσμους, *coagmenta uidelicet defectiua* Græco *dictitant sermone.* Et *si contigua ijsdem iuncturis præstrin-*

xerint spatia, dilutior erit defectus. Si uero articulis ipsis inhæserint, qui coactius ascensus uinciunt & descensus, offunditur densioribus tenebris cælum, ut crassato aere, ne proxima quidem & adposita cernere queamus. Sol autem genuinus ita uideri existimatur, si erecta celsius solito nubes, æternorúmque ignium propinquitate colluens, orbis alterius claritudinem tanquam è speculo puriore formauerit. Nunc ueniamus ad lunam. Apertum & euidentem ita demum sustinet luna defectum, cum pleno lumine rotunda, solique contraria, ab eius orbe centum octoginta partibus, id est, signo septimo disparatur. Et quanquam hoc per omne plenilunium semper eueniat, non semper deficit tamen. Sed quoniam circa terrenam mobilitatem locata, & à cælo totius pulchritudinis extima, nonnunquam ferienti se subserit luci, obiectu metæ noctis in conum desinentis angustum latet parumper, umbrarúmque nigrantibus muoluitur globis, si sol sphæræ inferioris curuamine circumfusus, mole obsistente terrena, radijs eam suis illustrare non possit: quam nunquam habere proprium lumen opiniones uariæ collegerunt. Et cum ad idem signum æquis partibus soli concurrerit, obscuratur (ut dictum est) penitus hebetato candore, mene Græce synodos. nasci autem putatur cum parua declinatione uelut à perpendiculo super erectum gerit solem. Exortus uero eius adhuc gracilescens primitus mortalitati uidetur, cum ad secundum relicto sole migrauerit signum. Progressa itaque porrectius, iámque abunde nitens cornutæ habitu Μηνοειδὴς est appellata. Cum autem sole longe cœperit interstitio summoueri, & ad quintum peruenerit signum, radijs eius ad se conuersis, maius concipit lumen, & fit Græco sermone διχότομος, quæ forma seniorm.iiij.

bem ostendit. procedens deinde iam disiunctissimóque signo arrepto figuram monstrat ἀμφιμύρτου, utrimque prominentibus gibbis. E regione uero cum normaliter steterit, contra lumine pleno fulgebit, domicilium septimi retinens signi. & in eodem cum agens etiam paululúmq; progressa munuitur, quem habitum uocamus ἀπόκρισιν, easdem formas repetit senescendo. traditúrque doctrina multiplici congruente, non nisi tempore intermenstrui deficere uisam usquam lunam. Quòd autem solem nunc in æthere, nunc in mundo interiore cursare prædiximus, sciendum est siderea corpora, quantum ad uniuersitatem pertinet, nec occidere, nec oriri: sed ita uideri nostris obtutibus constitutis in terra, spiritus cuiusdã interni motũ suspensa, rerúmque magnitudini instar exigui subdita puncti, nunc cælo infixas suspiere stellas, quarum ordo est sempiternus, aliquoties humana uisione languente discedere suis sedibus arbitrari. Verum ad instituta iam reuertamur. Properantem Constantium Oriẽti ferre suppetias turbando propediem excursibus Persicis, ut perfugæ concinentes exploratoribus indicabant, urebant Iuliani uirtutes quas per ora gentium diuersarum fama celebrior effundebat, magnorum eius laborum factorúmque uehens adoreas celsas, post Alemanniæ quædam regna prostrata, receptáque oppida Gallicana, antè direpta à barbaris & excisa, quos tributarios ipse fecit & uectigales. Ob hæc & similia percitus, metuensque ne augerentur in maius, stimulante (ut ferebatur) præfecto Florentio, Decentium tribunum & notariũ misit, auxiliares eximde protinus abstracturum Herulos & Batauos, cúmque Petulantibus Celtas, & lectos ex numeris alijs trecentenos, hac specie iussos accelerare, ut adesse possint armis primo uere mouendis in

Parthos. & super auxiliarijs quidem & treœntenis cogendis ocyus proficisci Lupicinus conuentus est solus, transisse ad Britannias nondum compertus. De Scutarijs autē & Gentilibus exœrpere quenque promptissimum, & ipse perducere Sintula iubetur, Cæsaris stabuli tunc tribunus. Cōticuit, hisque acquieuerat Iulianus, potioris arbitrio cuncta concedens. illud tamen nec dissimulare potuit, nec silere, ut illi nullas paterentur molestias, qui relictis laribus transrhenanis, sub hoc uenerant pacto, ne ducerentur ad partes unquam transalpinas: uerendum esse affirmans, ne uoluntarij barbari militares sæpe sub eiusmodi legibus adsueti transire ad nostra, hoc cognito demœps arcerētur. Sed loquebatur incassum. Tribunus enim parui querelas Cæsaris ducens, Augusti iussis obtemperabat: & lecta expeditiore manu, uigore corporūmque leuitate præstanti cū ijsdem profectus est, spe potiorum erectus. Et quia solicitus Cæsar, quid de residuis mitti præceptis agi deberet, pérque uarias curas animum uersans, attente negotium tractari oportere cænsebat, cum hinc barbara feritas, inde iussorum urgeret autoritas, maximéque absentia magistri equitum faciente dubietatem redire ad se præfectum hortatus est, olim Viennam specie annonæ parandæ digressum, ut se militari eximeret turba. Perpendebat enim ad relationem suam, quam olim putabatur misisse, abstrahendos à Galliarum defensione pugnaces numeros, barbarísq; iā formidatos. Qui cum suscepisset Cæsaris literas, monentis petentisque ut uenire accelerarat, rempublicam consilijs iuuaturus, obstinatissime detrectabat: ea ratione pauore mēte confusa, quòd aperta scripta significabant, ab imperatore nusquam dijungi debere præfectum in ardore terribilium rerum. adiectúmque est, quòd si procurare dissimu-

lasset, ipse propria frontæ proijceret insignia principatus, gloriosum esse existimans iussa mortæ oppetere, quàm prouinciarum mœritum sibi assignari. sed uicit præfecti propositum pertinax, his quæ rationabiliter poscebantur parêre contẽtione maxima reluctantis. Inter has tamen moras absentis Lupicini, motúsque militares tumentis præfecti, Iulianus consiliorum adminiculo destitutus, anceps; sententia fluctuans, id optimum factu existimans, uia solenni cunctos ex stationibus egressos, in quibus hyemabant, maturare disposuit. Hócque comperto, *apud* Petulantium *signa famosum quidem libellum hum proiecit occultæ, inter alia multa etiam id continentem:* Nos *quidem ad orbis terrarum extrema ut noxij pellimur & imbelles: charitates uero nostræ* Alemannis *denuo seruient, quas captiuitate prima post interneciuas liberauimus pugnas.* Quo *textu ad comitatum perlato lectóque,* Iulianus *contemplãs rationabiles querelas, cum familijs eos ad* Orientẽ *proficisci præcepit, claualaris cursus facultate permissa: & cum ambigeretur diutius qua pergerent uia, placuit notario suggerente* Decentio, *per* Parisios *homines transire, ubi morabatur adhuc* Cæsar *nusquam motus.* Et *ita factum est. Iisdémque aduentantibus in suburbanis primœps occurrit, ex more laudans quos agnoscebat: factorúmque fortium singulos monens, animabat lenibus uerbis ut ad* Augustum *alacri gradu pergerent, ubi potestas est ample patens & larga, præmia laborum adepturi dignissima. Utque honoratius procul abituros tractaret, ad conuiuium proceribus corrogatis, peterg iure siquid in promptu esset, edixit. qui liberaliter ita suscepti, dolore duplici suspensi discesserunt & mœsti, quòd eos fortuna quædam inclemens & moderato rectore & terris genitalibus disparа-*

ret. Hócque angore impliciti, in statiua solita recesserunt. nocte uero cœptante in apertum erupere dissidium: incitatísque animis, ut quenque insperata res adflictabat, ad tela conuertuntur & manus: fremuláq; ingenti omnes petiuerant palatium & spatijs eius ambitis, ne ad euadendi copiã quisquam peruenuret, Augustum Iulianum horrendis clamoribus concrepabãt, eũ ad se prodire festinatius adigentes: expectaréq; coacti, dũ lux promicaret, tandem progredi cõpulerunt. Quo uiso iterata magnitudine soni Augustum appellauere consensione firmissima. & ille mente fundata uniuersis resistebat & singulis, nũc indignari semet ostendẽs, nunc manus tendens, oránsq; & obsecrãs, ne post multas felicissimásque victorias agatur aliquid indecorum, néue intempestiua temeritas & prolapsio discordiarum materias excitaret. Hæcque adijciebat tandẽ sedatos leniter allocutus: Cesset ira, quæso, paulisper: absq; dissensione uel rerum appetitu nouarum impetrabitur facile quod postulatis: quoniã dulcedo uos patriæ retinet, & insuetæ peregrinásque metuitis loca, reditę iã nunc ad sedes, nihil uisuri quia displicet trãsalpinũ. hócq; apud Augustũ capacẽ rationis & prudentissimũ ego cõpetenti satisfactiõe purgam. Cõclamabatur post hæc ex omni parte, nihilominus uno pariqué ardore nitẽtibus uniuersis: maximóque contentionis fragore probro & conuitijs mixto, Cæsar assentire coactus est. Impositúsque sauo pedestri, & sublatius eminẽs, populo silẽte Augustus renuntiatus, iubebatur diadema proferre: negánsque unquam se habuisse, uxoris colli uel capitis poscebatur. Eóque affirmante, primis austijs nõ congruere aptari muliebri mũdo, equi phalera quærebatur, uti congrua ornatus speciem saltem obscuram superioris prætenderet potestatis. Sed cũ id quoque turpe esse

asseueraret, Maurus *nomine quidam, postea comes, qui rē male gessit apud* Sucorum *angustias speculātium, tunc hastatus abstractum sibi torquem, quo ut draconarius utebatur, capiti* Iuliani *imposuit confidenter: qui trusus ad necessitatem extremam, iámque periculū præsens uitare non posse aduertens, si reniti perseuerasset, quinos omnibus aureos, argentíque singula pondo promisit.* Hísque *gestis haud minore quàm antea cura constrictus, futuráque cæleri prouidens corde, nec diadema gestauit, nec procedere ausus est usquam, nec agere seria quæ nimis urgebant.* Sed *cum ad latebras secessisset occultas accidentium uarietate perterritus* Iulianus, *aliquis palatij decurio, qui ordo est dignitatis, pleniore gradu signa* Petulantium *ingressus atq;* Celtarum, Facinus *indignum, turbulente exclamat, pridie* Augustum *eorum arbitrio declaratum clàm mteremptū.* Hóque *comperto, milites quos ignota pari solicitudine mouebant & nota: pars crispantes missilia, alij minitantes nudatis gladijs, diuerso uagóque (ut in repentino solet) excursu occupauere uolucriter regiam, strepitúque immani excubitores peraulsi, & tribuni, & domestiorum comes* Excubitor *nomine: ueritíque uersabilem perfidiam militis, euanuere metu mortis subitæ dispalati.* Viso *tamen otio sūmo, quieti stetere paulisper armati: & interrogati quæ causa esset inconsulti motus & repentini, diu tacendo hæsitantes super salute principis, non antea discesserunt, quàm accíti in consistorium fulgentem eum* Augusto *habitu conspexissent.* His *tamen auditis, etiam illi quos antegressos retulimus ducæ* Simtula, *cum eo iam securi* Parisios *reuertuntur: edictóque ut futura luce cuncti conuenirent in campo, progressus princeps ambitiosius solito tribunal ascendit signis aquilísque circundatus & uexillis, septúsque totis ar-*

matarum cohortium globis. Cúmque interquieuisset paululum, dum altè contemplatur præsentium uultus, alacres omnes uisos & lætos, quasi lituis uerbis (ut intelligi possit) simplicibus incendebat: Res ardua poscit & flagitat propugnatores mei reíque publicæ fortes & fidi, qui mecũ pro statu prouinciarum uitam sæpius obieciſtis, quoniam Cæsarem uestrum firmo iudicio ad potestatem omnium culmen sustuliſtis, perstringere pauca summatim, ut remedia permutatæ rei iusta colligantur & cauta. Vixdũ adolescens specie tenus purpuratus (ut nostis) uestræ tutelæ nutu cæleſti commissus, nũquam à proposito recte uiuendi deiectus sum: uobiscum in omni labore perspicuus, cum dispersa gentium confidentia post ciuitatũ excidia, peremptáque innumera hominũ millia, pauca quæ semiintegra sunt relicta, cladis immensitas persultaret: & retexere superfluum puto, quoties hyeme cruda, rigentiq; cælo quo tempore terræ ac maria opere Martio uacant, indomitos antea cũ iactura uiriũ suarũ repulimus Alemannos. Id sanè nec prætermitti est æquũ nec tacẽri, quòd cum prope Argentoratũ illuxisset ille beatissimus dies, uehens quodãmodo Gallis perpetuam libertatẽ, inter consertissima tela me discurrente, uos uigore usũsq; diuturnitate fundati, uelut incitatos torrentes hostes abruptius inundantes, superaſtis ferro prostratos, uel fluminis profundo submersos, paucis relictis nostrorũ, quorũ exequias honestauimus ælebri potius laude, quàm luctu. Post quæ, opinor, tanta & talia, nec posteritatem taciturã de uestris in rempublicã meritis in gentibus cunctis, si plene quẽ altiore fastigio maiestatis ornaſtis, uirtute grauitatéque, si quid aduersum ingruerit, defendatis. Vt autem rerũ integer ordo seruetur, præmiáque uirorũ fortium maneant incorrupta, nec honores ambitio præripiat clande-

stina, id sub reuerenda consilij uestri facie statuo, ut nequa ciuilis quisquam iudex, nec militiæ rector, alio quodam præter merita suffragante ad potiorem ueniat gradum, non sine detrimento pudoris eo qui pro quolibet petere tẽtauerit discessuro. Hac fiducia spei maioris animatus inferior miles, dignitatum iandiu expers & præmiorum, hastis feriendo clypeos sonitu assurgens ingenti, uno propemodũ ore dictis fauebat & cœptis. statimque ne turbãdæ dispositioni consultæ tempus saltem breue concederetur, pro actuarijs obsecrauere Petulantes & Celtæ, recturi quas placuisset prouincias mutterentur: quo non impetrato abiere nec offensi, nec tristes. Nocte tamen quæ declarationis Augustæ præcesserat diem, iũctioribus proximis retulerat imperator, per quietem aliquem ~~usum ut formari~~ Genius publicus solet, ~~hæc obiurgando~~ dixisse. Olim Iuliane uestibulum ædium ~~tuarum~~ obseruo latenter, augere tuam gestiens dignitatem: & aliquoties ~~tanquam~~ repudiatus abscessi. sed si ne nunc quidem recipior, sententia concordante multorum, ~~ibo demissus~~ & mœstus. Id tamen retineto imo corde, quòd ~~tecum diutius non~~ habitabo. Hæc dũ per Gallias agerentur intente, truculentus rex ille Persarum, incentiuo Antonini aduentu Craugasij duplicato, ardore obtinendæ Mesopotamiæ flagrans, dum ageret cum exercitu procul Constantius armis multiplicatis & uiribus, transmisso solenniter Tigride, oppugnandam adoritur Singaram, milite usuique congruis omnibus, ut existimauere qui regionibus præerant, abunde munitam. Cuius propugnatores uiso hoste longissime, clausis ocyus portis, ingentibus animis per turres discurrebãt & minas, saxa tormentáque bellica congerentes, cunctisque præstructis stabant omnes armati, multitudinẽ parati propellere, si mœnia su-

bire tentasset. Aduentans itaque rex, cũ per optimates suos propius admissos, pacatiore colloquio flectere defensores ad suum non potuisset arbitrium, & diem integrum dedit: & matutinae lucis exordio, signo per flammeum erecto uexillum, circunuaditur ciuitas à quibusdam uehentibus scalas, alijs componentibus machinas, plerisque obiectu uinearum pluteorúmque tectis, iter ad fundamenta parietum quaerẽtibus subuertenda. Contra hæc oppidani superstantes propugnaculis celsis lapidibus eminus telorúmque genere omni ad interiora ferocius se proripientes arcebant. & pugnabatur euentu ancipiti diebus aliquot, hincinde multis amissis & uulneratis. postremo feruente certamunum mole, & propinquante iam uespera, inter machinas plures admotus aries robustissimus, orbiculatam turrim feriebat ictibus densis, unde reseratam urbem obsidio superiore docuimus. ad quam conuersa plebe, dimicabatur artissime: facésque cum tedis ardentibus & malleolis ad exurendum imminens malum undique conuolabãt, non sagittarum crebritate nec glande hincinde cessante. Vicit tamen omne prohibendi commentum acumen arietis, coagmenta fodiens lapidum recenter structorum, madoré que etiam tum infirmum. dúmq; adhuc ferro certatur & & ignibus, turri collapsa cum patuisset iter in urbẽ, nudato propugnatoribus loco, quos periculi discrecerat magnitudo, Persarum agmina undique ululabili clamore sublato, nullo cohibente cuncta oppidi membra complebant: caesisq; promiscue paucissimis, residui omnes mandato saporis uiui comprehensi, ad regiones Persidis ultima sunt asportati. Tuebantur autem hanc ciuitatem legiones duae: Prima Flauia, primáque Parthica, & indigenae plures, cum auxilio equitum ilico ob repentinum malum inclusorum:

qui omnes, ut dixi, unctis manibus ducebantur, nullo iuuante nostrorum. Nisibin enim sub pellibus agēs pars maior exercitus custodiebat, interuallo perquam longo discretam, alioquin nunquam labenti Singaræ, uel temporibus priscis quisquam ferre auxilium potuit, aquarū penuria cunctis circumarētibus locis. Et licet ad præscisendos aduersos subitosque motus, id munimentum opportune locauit antiquitas, dispendio tamen fuit rei Romanæ, cum defensorum iactura aliquoties interceptum. Exciso itaque oppido, rex Nisibin prudenti consilio uitans, memor nimirum quæ sæpius ibi pertulerat, dextrum latus itineribus petit obliquis, Bezabden, quam Phænicham quoque institutores ueteres appellarūt, ui uel promissorum dulcedine illectis defensoribus retenturus, munimentum impendio ualidum in colle mediocriter edito positum, uergensque in margines Tigridis, atque ubi loca suspecta sunt & humilia duplici muro uallatum: ad cuius tutelam tres legiones sunt deputatæ, secunda Flauia, secundáque Armeniaca, & Parthica itidem secunda, cum sagittarijs pluribus Zabdicenis, in quorum solo tunc nobis obtemperantium hoc est municipium positum. Primo igitur impetu cum agmine cataphractorum fulgentium rex ipse sublimior cæteris castrorum ambitum circumcursans, prope labra ipsa fossarum uenit audentius: petitusque balistarū ictibus ærtis & sagittarum densitate, opertura armorum in modum testudinis contextorum abscessit innoxius. Ira tamen tum sequestrata, caduceatoribus missis ex more clausos blādius hortabatur, ut uitæ speique consulturi obsidium deditione soluerent opportuna, reseratisque portis egressi supplices, uictori gentium semet offerrent. quibus adire propius aussis defensores mœnium ideo pepercerunt, quòd cohærēter

ſibi iunctos duxerãt ijſdem notos ingenuos Singaræ captos. Eorum enim miſeratione telum nemo contorſit, nec ſuper pace reſpondit. Demde datis inducijs diei totius & noctis, ante alterius lucis initiũ Perſarum populus omnis adortus auide uallum, acritérque minans ac fremens, ubi ad ipſa mœnia confidenter accęſſit, inſtabat ui magna reſiſtentibus oppidanis. quare ſauciabãtur plerique Parthorũ, quòd pars ſcalas uchentes, alij opponentes uimineas crates, uelut cæci pergebant introrſus, nec noſtris innocuis. Sagittarum enim nymbi crebrius uolitantes, ſtantes confertius perforabant: partibúſque poſt ſolis occaſum æqua iactura digreſſis, appetente poſtridie luce, ardentius multo quàm antea pugnabatur, hincinde concinentibus tubis: nec minores ſtrages utrobiq; uiſæ ſunt, ambobus obſtinatiſſime colluctatis. Verum ſecuto die otio communi aſſenſu poſt ærumnas multiplices attributo, cũ magnus terror circunſiſteret muros, Perſéq; paria formidarent, Chriſtianæ legis antiſtes exire ſe uelle geſtibus oſtendebat & nutu: acceptáq; fide quòd redire permitteretur incolumis, uſque ad tẽtoria regis accęſſit. ubi data copia dicendi quæ uellet, ſuadebat placido ſermone diſcedere Perſas ad ſua, poſt cõmunes partis utriuſque luctus formidari etiam maiores affirmans, forſitan aduẽturos. Sed perſtabat in caſſum hæc multáque ſimilia diſſerẽdo, efferata ueſania regis obſtãte, non ante caſtrorum excidium digredi pertinaciter adiurantis. Perſtrinxit tamen ſuſpicio quædam epiſcopum, uana ut opinor, licet aſſeueratione uulgata multorũ, quòd clandeſtino colloquio Saporem docuerat, quæ mœnium appeteret mẽbra, ut fragilia intrinſecus & inualida. Hócque exinde ueriſimile uiſum eſt, quòd poſtea intuta loca cariéque nutantia cum exultatione magna, uelut regentibus pe-

netralium callidis, cõtemplabiliter machinæ feriebant hostiles. Et quanquam angustæ clades difficiliorem aditum dabant ad muros, aptatique arietes ægre promouebantur manualium saxorum sagittarúmque metu arcente: nec balistæ tamen cessauere nec scorpiones, illæ tela torquẽtes, hi lapides crebros, qualíque simul ardentes picæ & bitumine illiti: quorum assiduitate per procliue labentium machinæ hærebãt, uelut altis radicibus fixæ, eásque malleoli & faces iactæ obstinatius exurebant. Sed quũ hæc ita essent, caderẽntque altrinsecus multi, ardebant magis oppugnatores naturali situ & ingenti opere munitum oppidũ ante brumale sidus excindere, rabiẽ regis non antè sedari credẽtes. Quocirca nec multa cruoris effusio, nec confixi mortiferis uulneribus plurimi cæteros ab audacia parili reuocabant. Sed diu cum exitio decernẽtes, postremo periculis obiectauere semet abruptis: & agitantes arietes denso saxorum põdere molarium, fomentisque ignium uarijs ire protinus uetabantur. Verum unus aries residuis celsior, humectis taurinis opertus exuuijs, ideóque minus casus flammeos pertimescens aut tela, antegressus omnes repsit ruisibus magnis ad murum: uastóque acumine coagmenta lapidum fodiens, turrim laxatam euertit. qua sonitu lapsa ingenti, superstantes quoque repẽtina ruina deiecti, diffractíque uel obruti, mortibus interiere diuersis & insperatis: muentóque tutiore ascensu armata irrut multitudo. trepidis demde superatorum auribus ululantium undique Persarum intonãte fragore, artius prælium intra muros exarsit, hostium nostrorúmque cæteris certantibus cominus, cum confertis inter se corporibus, hincinde que stricto mucrone nulli occurẽtium parceretur: magna denique mole ancipiti diu exitio renitentes obsessi, postremo plebis im

mensæ ponderibus effuse disiecti sunt. & post hæc iratorũ hostiũ gladij, quicquid mueniri poterat, concidebant: abreptique sinibus matrum parvuli, ipsæ quoque matres trucidabantur, nullo quid ageret respectante. Interea tamen funesta gens rapiendi cupidior, onusta spoliorum genere omni, captiuorúmque examen maximum ducens, tentoria repetiuit exultans. Rex *tamen gaudio insolenti elatus, diúque desiderio capiẽdæ* Phœnicæ *flagrans munimenti perquam tempestiui, non antè discessit quàm labefacta murorum parte reparata firmissime, alimentísque affatim conditis, armatos ibi locaret insignes origine, bellíque artibus claros. Verebatur enim, quod accidit, ne amissionem castrorum ingentium ferentes ægre* Romani, *ad eadem obsidenda uiribus magnis accingerẽtur. Latius se promde iactás, additáque spe quicquid aggredi posset, adipiscendi, interceptis castellis alijs uilioribus, Virtam adoriri disposuit, munimentum ualde uetustum, ut ædificatum credatur à* Macedone Alexãdro, *in extremo quidem* Mesopotamiæ *situm, sed muris uelut sinuosis circundatum & cornutis, instructionéque uaria inaccessum. Quod cum omni tentaret arte, nunc pollicitationibus defensores alliciens, nunc pœnas cruciabiles minitans, aliquoties struere aggeres parans, obsidionalésque mouens machinas, multis acceptis uulneribus, quàm illatis, omisso uano incœpto tandem abscessit. Hæc eo anno inter Tigrim gesta sunt, & Euphratẽ. Quæ cũ frequentibus nuntijs didicisset Constantius, metuẽs expeditiones Parthicas, hyemem apud Constantinopolim agens, impensiore cura limitem instruebat cum omni apparatu bellorum. arma quoque & tyrocinia cogens, legionésque augens iuuentutis ualidæ supplemẽtis, quarũ statariæ pugnæ per Orientales sæpius emicuere procinctus: auxilia*

ſuper his Scytharum poſcebat mercede uel gratia, ut adulto uere profectus è Thracijs loca ſuſpecta protinus occuparet. Inter quæ Iulianus apud Pariſios hybernis locatis, ſumma quorſum cœptorũ euaderet pertimeſcens, erat anxius, nuſquam aſſenſurũ Cõſtantium factis multa uoluendo conſiderans, apud quem ſordebat ut infimus & contemptus. Circũſpectis itaque trepidis rerum nouarum exordijs, legatos ad eũ mittere ſtatuit geſta docturos, eiſque cõcinentes literas dedit, quid factum ſit, quidue fieri oportẽat: demœpsmonens apertius & demonſtrãs. quãquam hæc dudũ comperiſſe opinabatur relatu Decentij olim reuerſi, & cubiculariorum recens de Gallijs regreſſorum, qui ad Cæſarem aliqua portauere ſolennia. Et quãquam non repugnanter, tamen nec arrogantibus uerbis quicquam ſcripſit, ne uideretur ſubito declinaſſe. Erat autem literarum ſenſus huiuſmodi: Ego quidem propoſiti mei fidẽ, non munus moribus quãm fœderũ pactis, quoad fuit, unũ ſemper atque idẽ ſentiens cõſeruaui, ut effectu multiplici clarum euidenter. Iámque inde ut me creatum Cæſarem pugnarum horrendis fragoribus obiecaſti, poteſtate delata contentus, currentium ex uoto proſperitatũ nuntijs crebris, ut apparitor fidus, tuas aures impleui, nihil uſquam periculis meis aſſignans, cum documẽtis aſſiduis cõſtet diffuſis permixtiſque paſſim Germanis, in laboribus me ſemper uſum omniũ primum, in refectione poſtremum. Sed bona tua uenia dixerim, ſiquid nouatum eſt nunc, ut æſtimas, in multis bellis & aſperis ætatem ſine fructu conterẽs miles, olim decretum impleuit fremens, ſecundique impatiens loci rectorẽ, cum nullas ſibi uices à Cæſare diuturni ſudoris & victoriarum frequentium rependi poſſe contemplaretur. cuius iracũdiæ, nec dignitatum augmenta, nec annuum meren-

tis stipendium, id quoque inopinum accessit, quòd ad partes orbis Eoi postremas uenire iussi, homines assueti glacialibus terris, separandique liberis & coiugibus egentes trahebantur & nudi. Vnde solito sæuius efferati, nocte in unum collecti palatium obsedere, Augustum Iulianum uocibus magnis appellãtes & crebris. cohorrui, fateor, & secessi: a nandatúsque dum potui, salutem mussatione quæritabam & latebris. cúmque nullæ darentur induciæ, libero pectoris muro, ut ita dixerim, septus, progressus ante cõspectum omniũ steti, molliri posse tumultum autoritate ratus, uel sermonibus blandis. exarsere mirum in modum eousque prouecti, ut quoniam precibus uincere pertinaciã conabar, instanter mortem contiguis assultibus intentarẽt. Victus denique, mecúmque ipse contestans, quod alter confosso me forsitan libẽs declarabitur principis, assensus sum, uim lenire sperans armatã. Gestorum hic textus est, quem mente quæso accipito placida: nec actum quicquam secus existimes, uel susurrãtes perniciosa malignos admittas, ad compendia sua excitare secessiones principum assuetos: sed adulatione uitiorũ altricæ depulsa, excellẽtissimam uirtutum omnium aduerte iustitiam: & conditionum æquitatem, quam propono, bona fide suscipito. cum animo disputans hæc Romano statui prodesse, nobísq; qui charitate sanguinis, & fortunæ superioris culmine sociamur. Ignosce enim: quæ cum ratione poscuntur, non tam fieri cupio, quàm à te utilia probari & recta: auide tua præcepta demde quoque susceptur us, quæ necesse sit fieri. In compendium redigam breue: equos præbebo curules Hispanos, & muscẽdos Gẽtilibus atque Scutarijs adolescentes lectos, quosdam cis Rhenum editam barbarorum progeniem, uel ærte exdeditijs qui ad nostra desciscunt. & hæc adusq; exitum

uitæ me spondeo non modo grato animo, uerum cupido quoque facturum. præfectos prætorio, æquitate & meritis notos, tua nobis dabit clementia: residuos ordinarios iudices, militiæque moderatores promouendos arbitrio meo concedi est consentaneũ, itidémq; stipatores. Stultum enim, cum antè cauere possit ne fiat, ad latus imperatoris ascisci, quorum mores ignorantur & uoluntates. Hoc sane sine ulla dubitatione firmauerim, tyrones ad peregrina & longinqua Galli mittere, diuturna perturbatione casibúsq; uexati grauissimis, nec sponte sua poterunt nec coacti: ne consumpta penitus iuuentute affligantur, præterita recordantes ita desperatione pereant impendentium. nec Parthicis gentibus opponenda auxilia hinc acciri conueniet, cum adhuc nec barbarici sint impetus interclusi, & (si dici quod uerum est pateris) hæ prouinciæ malis iactatæ continuis, externis indigeant adiumentis & fortibus. Hæc hortando, ut æstimo, salutariter scripsi poscens & rogans. Scio enim, scio (nequid sublatius dicam, cum imperio congruens) quas rerum acerbitates iam conclamatas & perditas concordia uicissim sibi cedentium principum meliorem reuocauit in statum: cum appareat maiorum exemplo nostrorum, moderatores hæc & similia cogitantes, fortunate beatéque uiuendi reperire quodammodo uiam, & ultimo tempori posteritatique iucundã sui memoriam commendare. His literis iunctas secretiores alias Constantio offerẽdas clanculo misit, obiurgatorias & mordaces: quarum seriem nec scrutari licuit, nec si licuisset, proferre decebat in publicum. Ad id munus implẽdum electi sunt uiri graues, Pentadius officiorum magister, & Eutherius cubiculi tunc præpositus, post oblatas literas relaturi nullo suppresso quæ uiderunt, & super ordine futurorum fiden

ter acturi. Auxerat inter hæc cœptorum inuidiam Florentij fuga præfecti: qui uelut præsagiens concitandos motus ob militem (ut sermone tenus iactabatur) accitum, consulto discesserat Viennam, alimentariæ rei gratia diuelli causatus à Cæsare, quē sæpe tractatum asperius formidabat. Dein cum comperisset eum ad Augustum culmen euectum, exigua ac prope nulla uiuendi spe uersus in metum, ut longe disiunctus, malis se, quæ suspicabatur, exemit: & necessitudine omni relicta digressus uenit ad Constantium itineribus lentis: útque se nulli obnoxium culpæ monstraret, Iulianum ut perduellem multis criminibus appetebat. Cuius post abitum bene Iulianus cogitans & prudenter, scirique uolens quòd præsenti peperisset, charitates eius cum re familiari intacta publico cursus usu permisso ad Orientem redire tutius imperauit. nec minore studio secuti legati hæc secum ferentes quæ prædiximus, intentíque ad uiandum, cum uenirent ad iudices cælsiores, oblique tenebantur: morásque per Italiam & Illyricum perpessi diuturnas & graues, tandem transfretati Bosphorum, itineribúsque lētis progressi apud Cæsaream Cappadociæ etiam tum degentem inuenere Constantium, Mazacam antehac nominatam, opportunam urbem & cælebrē, sub Argei montis pedibus sitam. Qui intromissi, data potestate offerunt scripta. Hísque recitatis, ultra modum solitæ indignationis excanduit imperator: limísque oculis eos adusque metum cōtuens mortis, egredi iussit, nihil post hæc percontatus uel audire perpessus: perculsus tamen ardenter contatione stringebatur ambigua, utrum in Persas, an contra Iulianum moueri iuberet acies quibus fidebat: hæsitánsque diu perpensis cōsiliis, flexus est quorundā sentētia utilia suadentiū, & iter Orientē uersus edixit.

statim tamen & legatos absoluit, & Leonam quæstorem suũ in Gallias cum literis datis ad Iulianum pergere celeri statuit gradu, nihil nouatorum se asserens suscepisse, sed eum (si saluti suæ proximorúmque consulit) tumenti flatu deposito, intra Cæsaris se potestatẽ continere præcipiẽs. útque id facile formido mentatorum efficeret, uelut magnis uiribus fretus, in locum Florẽtij præfectum prætorio Nebridium tum quæstorem eiusdem Cæsaris promouerat, & Felicem notarium officiorũ magistrum, & quosdam alios. Gumoharium enim successorem Lupicini, antè quàm sciretur huiusmodi quicquam, magistrum prouexit armorum. Ingressus itaque Parisios Leonas, susceptus ut honoratus & prudens, postridie principi progresso in campum cũ multitudine armata pariter & plebeia, quam de industria conuocarat, & tribunali ut emineret altius superstanti, scripta iubetur offerre. Replicatóque uolumine edicti quod missum est, & legi ab exordio cœpto, cũ uẽtum fuisset ad locum id cõtinentem quòd gesta omnia Constantius improbãs, Cæsaris potestatẽ sufficere Iuliano censebat, exclamabat undique uocum terribilium sonus: Augustè Iuliane, ut prouincialis & miles, & Reip. decreuit autoritas, recreatæ quidem, sed adhuc metuentis rediuiuos barbarorũ excursus. Quibus auditis Leonas, cum Iuliani literis hæc eadem indicantibus reuertit inuolumis: solúsque admissus est ad præfecturam Nebridius: id enim Cæsar quoque scribens ex sentẽtia sua fore aperte prædixit. Magistrum enim officiorum iampridem ipse Anatolium ordinauit, libellis antea respondentem, & quosdam alios, ut sibi utile uidebatur & tutum. Et quoniam cum hæc ita procederent, timebatur Lupicinus, licet absens, agénsq; etiã tũ apud Britannos, hopno superbæ mẽtis & turgidus: erát-

que suspicio, quòd si hæc trans mare didicisset, nouarũ re rũ materias excitaret. notarius Bononiam mittitur, obseruaturus solicitè ne quisquam fretũ Oceani transire permutteretur. Quo uetito, reuersus Lupicinus antequam horum quicquam sciret, nullas ciere potuit turbas. Iulianus tamen iam ælsiore fortuna militisque fiducia lætior, ne intæpescæret, néue ut remissus argueretur & deses, legatis ad Constantium missis, in limitem Germaniæ secundæ est egressus: omníque apparatu quem flagitabat instans negotium communitus, Obtricensi Mosæ oppido propinquabat. Rheno deinde transmisso, regionem subito peruasit Francorũ, quos Attuarios uocant, inquietorum hominum licentius etiam tum percursantium extima Galliarũ. quos adortus subito nihil metuentes hostile, nimiúmque securos, quòd scruposa uiarum difficultatæ aræ ræ, nullum ad suos pagos introisse meminerant principem, superauit negotio leui: captisque plurimis & occisis, orantibus alijs, qui superfuere, pacem ex arbitrio dedit, hoc prodesse possessoribus finitimis arbitratus. unde reuersus pari æleritate per flumen, præsidiáque limitis explorans diligenter & corrigens, adusq; Rauracos uenit: locisque recuperatis, quæ olim barbari interceptà retinebant ut propria, ijsdémque pleniore cura firmatis, per Besantionem Viennam hyematurus abscessit. Hic per Gallias erat ordo gestorum. Quæ dũ ita prospere succedunt & cauta, Constantius acritum Arsacen Armeniæ regem, summáque liberalitate susceptũ, præmonebat & hortatur, ut nobis amicus esse perseueraret & fidus: audiebat enim sæpius eum tentatum à rege Persarum fallacijs, & minis & dolis, ut Romanorum societate posthabita, suis rationibus iungeretur. Qui crebro adiurãs animam prius posse amittere, quàm sententiam, munera-

tus cum comitibus quos duxerat, redijt ad regnũ, nihil ausus temerare postea promissorum, obligatus gratiarũ multiplici nexu Constantio: *inter quas illud potius excellebat, quòd* Olympiada Ablabij *filiam præfecti quondam prætorio, ei copulauerat coniugem, sponsam fratris sui* Cõstantis. *quo dimisso à* Cappadocia *ipse per* Melitinam *minoris* Armeniæ *oppidum, & Lacotena, & Samosata trãsmisso* Euphrate AEdessam *uenit. ibique dum agmina undique conuenientium, & rei cibariæ abundantes copias opperitur, diu moratus, post æquinoctium egreditur autumnale,* Amidam *petens. Cuius cum prope uenisset mœnia, faullis oppleta cõlustrans flebat cum gemitu, reputans quales miserãda ciuitas pertulerat clades. ibi tunc fortè* Vrsulus *præsens, qui ærarium tuebatur, dolore percitus exclamauit:* En *quibus animis urbes à milite defenduntur, cui ut abundare stipendium possit, imperij opes iam fatiscunt.* Quod *dictum ita amarũ militaris multitudo postea apud* Chalcedona *recordata, ad eius exitium consurrexit.* Exinde *cuneis consertis incedens, cum* Bezabden *aduentaret, fixis tentorijs, uallo fossarũmque altitudine circunseptis, obequitans castrorum ambitum longius, docebatur relatione multorũ instaurata esse firmius loca, quæ antehac iniuria corruperat uetustatis. & nequid omitteret quod ante feruorem certaminum erat necessario præstruendum, uiris prudentibus missis, conditione posita dupla, cogebat mœnium defensores redire ad suos, alienis sine cruore concessis, aut in ditionẽ uenire* Romanam *dignitatibus augendos & præmijs. atque cum illi destinatione natiua reniterentur ut clare nati, periculisque & laboribus in cuncta obsidioni congrua parabantur.* Densis *itaque ordinibus cum tubarum incitamentis latera oppidi cuncta adortus, alacris miles*

legionibus in testudines uarias conglobatis, paulatim tuto progrediens, subruere mœnia conabatur: & quia telorum omne genus in subeuntes effundebatur, nexu clypeorum soluto discessum est, in receptum canentibus signis. Laxatis deinde ad diem unũ animis, tertia luce curiosius tecti, elatis passim clamoribus ascensus undique tentabant. Et licet defensores obtentis cilicijs ne conspicerentur ab hostibus, latebant intrinsecus, tamen quoties flagitabat necessitas, lacertos fortiter exertantes, lapidibus subiectos incessebant & telis. & uimineæ crates cum procederent confidenter, essẽntque parietibus contiguæ, dolia desuper cadebant, molæ, & colũnarum fragmenta: quorum ponderibus nimijs obruebantur pugnatores, hiatúque uiolento disiectis operimentis cũ periculis ultimis euadebant. Decimo itaque, postquam oppugnari cœptum est, die, cum spes nostrorum inferior cuncta mœrore compleret, transferri placuerat molẽ arietis magnam, quam Persæ quondã Antiochia pulsibus eius excisa relatã reliquerant apud Carras: quæ subito uisa, aptatáque faberrime, clausorum hebetauerat mentes adusque deditionis remedia penè prolapsas, ni resumptis uiribus opponẽda minaci machinæ præparassent. nec temeritas post hæc cessauerat, nec consiliũ. nanq; dũ instrueretur aries uetustus, & dissolutus ut facile ueheretur, omni artẽ omníque uiriũ nixu, & propugnatorũ ui & firmitudine summa defensabantur tormenta. nihilominus & lapidum crebritas atq; fundarũ ex utraque parte plurimos cõsumebant, & aggerum moles incrementis celeribus consurgebant: acriórque indies adolescebat obsidio, multis nostrorũ idcirco cadentibus, quòd decernentes sub imperatoris conspectu spe præmiorum, ut possint facile qui essent, agnosci, mutantes galeis capita, sagittariorum hostilium pe-

ritia fundebantur. Proin dies & noctes intenti uigilijs, cautiores stantes utrobique faciebant: & Persæ aggerum altitudine iam in sublime porrecta, machinéque ingentis horrore perculsi, quam minores quoque sequebantur, omnes exurere ui maxima nitebantur: & assidue malleolos atque incendiaria tela torquentes laborabant incassum: ea re quòd humectis scortis & centonibus erant opertæ materiæ plures, aliæ unctæ alumine diligenter, ut ignis per eas laberetur innoxius. Verum has admouentes fortitudine magna Romani licet difficile defensabant, tamen & cupiditate potiundi oppidi, ne prompta quidem pericula contemnebant: & contrà propugnatores, cum iam discussurus turrim oppositam aries maximus aduentaret, prominentem eius ferream frontem, quæ reuera formam effingit arietis, arte subtili illaqueatam altrinsecus lacinijs retinuere longis, ne retrogradiens resumeret uires, néue ferire muros assultibus densis contẽplabiliter possit, fundentes quoque feruentissimam picem. & diu promotæ machinæ stabant, saxa muralia perferentes, & tela. Iámque aggeribus cumulatius excitatis, defensores ni uigilassent exitium adfore iam sperantes, in audaciam ruere præcipitem: & repentino decursu portis effusi, primósque adorti nostrorũ, faces sitelláſque ferreas onustas ignibus in arietem magnis uiribus iaciebant. Verum post ambiguam prælij uirtutem plurimi nihil impetrato intra mœnia repelluntur: móxque ex aggeribus quos erexerant Romani, ijdem Persæ propugnaculis insistentes sagittis incessebantur, & fundis telisque igniferis: quæ per tegumenta turrium uolitantia, paratis qui restinguerent, plerũque irrita labebãtur. Cúmque pauciores utrobique fierent bellatores, & Persæ truderentur ad ultima, ni potior ratio succurrisset, impensio-

re opera procursus tentabatur ex castris: & eruptione subita multitudinis facta, inter armatos qui portabant ignes ampliores prioribus ordinati, iaciebāt corbes in materias ferreas plenas flammarum, & sarmenta, aliáque ad ignes concipiendos aptissima. Et quia conspectum abstulerant fumi nigerrimæ nubes, classico excitātæ in pugnam, legiones procinctæ celeri gradu uenerunt: & subcrescente paulatim ardore bellandi, cum uentum fuisset ad manus, repentè machinæ omnes effusis ignibus urebantur, præter maiorem: quam direptis restibus, quibus è muro iactis implicabatur, uirorum fortiū acrior nisus ægre semustam extraxit. At ubi nocturnæ tenebræ finem prælijs attulerunt, non in longum mules queuit: cibo enim exiguo refectus & somno, rectorum monitu excitus munitiones longe à muro demouit, diuicare succinctius parans per sublimes aggestus, qui iam consummati muris altius imminebant. útque facile defensores mœnibus pellerentur, in ipsis aggerum summitatibus binæ sunt locatæ balistæ, quarum metu ne prospicere quidem posse hostium quisquam crederetur. His satis prouisis prope ipsum crepusculum triplex acies nostrorum instructa, conísque galearum minacius nutans, scalas uehentibus multis impetū conabatur in muros. iámque resultantibus armis & tubis, uno paríque ardore hinc indéque pugnabatur audaci conflictu: latiúsque sese pandente, Romani cum Persas occultari uiderent pauore impositorum aggeribus tormentorū, pulsabant turrim ariete: & cū ligunibus & dolabris & uectibus scalísque propinquabant: utrimque conuolante missilium crebritate. afflictabant tamen multo uehementius Persas ictus uariy balistarū, tanquam per trāsennā à cliuis structilibus decurrētes. unde fortunas suas sitas in extremo iam cogitantes,

destinatam ruebant in mortem. & partiti munera dimicandi inter necessitatis articulos, relictis qui mœnia tuerentur, reserata latenter postica strictis gladijs ualida manus erupit, ponè sequentibus alijs qui flammas occulte portabant. Dúmque Romani nunc instant cædẽtibus, nunc ultro incessentes excipiunt, qui uehebant foculos repentes incaruui prunas unius aggesti inseruere iuncturis, ramis arborum diuersarum, & iunco, & manipulis constructi cannarum, qui conceptis incendiorum aridis nutrimentis iam cremabantur, militibus cum intactis tormentis exinde periculose digressis. Vt uero certaminibus finem uespera dedit, partésque discesserunt ad otiũ breue, imperator in uaria sese consilia diducens & uersans, cum excidio Phœnicæ diutius imminere necessariæ rationes urgerent, quod munimentum uelut insolubile claustrum hostium excursibus erat obiectum, & serum repelleret tempus, certaturus leuiter ibi statuit immorari, alimentis destituendos forsitan cedere existimans Persas: quod secus atque rebatur euenit. Cum enim remissius pugnaretur, humente cælo undantes nubes cum tenebris aduenere minacibus: assiduísque imbribus ita immaduerat solum, ut luti glutinosa mollities per eas regiones pinguissimi cæspitis omnia perturbaret: & super his iugi fragore tonitrua fulguráque mentes hominum pauidas perterrebant. Accedebant arcus cælestis conspectus assidui: quæ species unde ita figurari soleat, expositio de rebus ostendet: Halitus terræ calidiores & humoris spiramina conglobata in nubes, exindéque disiecta in aspergines paruas, ac radiorum fusione splendida facta, supinantur uolubiliter contra ipsum igneum orbẽ, irímque conformant: ideóque spatioso curuamine sinuosam, quòd in nostro panditur mundo, quem sphæræ dimi-

diæ parti rationes physicæ superponunt. cuius species quã tum mortalis oculus contuetur, prima lutea uisitur, secunda flauescens uel fulua, puniceà tertia, quarta purpurea, postrema ceruleo concreta & uiridi. hac autem mixta pulchritudine temperatur ideo, ut terrenæ existimant mentes, quòd prima eius pars dilutior cernitur, aeri concolor circunfuso: sequens fulua, id est paulo excitatior quàm lutea: puniceà tertia, quòd solis obnoxia claritudini receptatione spiritus fulgores eius purissimos è regione deflorat. quarta ideo purpurea, quòd intermicante aspergnum densitate per quas oritur, radiorum splendorem conspuens, ostendit aspectum flammeo propiorem: qui color quanto magis diffunditur, concedit in ceruleum & uirentem. arbitrantur alij tunc iridis formam rebus apparere mundanis, cum altius dilatæ nubi crassæ radij solis infusi lucem iniecerint liquidam: quæ non reperiẽs exitum, in se conglobata nimio splendescit attritu: & proximos quidem albo colores à sole sublimiore decerpit, subuirides uero à nubis similitudine superiectæ, ut in mari solet usu uenire, ubi candidæ sunt undæ quæ littoribus illiduntur, interiores sine ulla concretione ceruleæ. Et quoniã indicium est permutationis auræ (ut diximus) à sudo aere nubium concitãs globos, aut contra ex cõcreto immutans in serenam lætitiam cælum. ideo apud poetas legimus sæpe Iridem de cælo mitti, cũ præsentium rerũ fit status mutatio. Suppetunt aliæ multæ opiniones & uariæ, quas dinumerare nunc est superuacuũ, narratione redire unde digressa est, festinante. His ac talibus imperator inter spem metúmque iactabatur, ingrauescente hyemis magnitudine, suspectisque per animos tractus insidijs: inter quæ etiam tumultum exasperati militis uerebatur. super his urebat eius anxiam mentem, quòd

uelut patefacta ianua diuitis domus, irritus propositi reuertetur. Quas ob res omisso uano incœpto, hyematurus Antiochiæ redit in Syriam, ærumnosam perpessus æstatem & atrocem, diúque deflendam. euenerat enim hoc, quasi fatali constellatione ita regente diuersos euentus, ut ipsum Constantium dimicantem cum Persis fortuna semper sequeretur afflictior: unde uincere saltē per ducēs optabat: quod aliquoties meminimus contigisse.

AMMIANI MARCELLINI RERVM GESTARVM LIB. XXI.

I NTERCLVSO *hac bellorum difficili sorte Cōstantio trans flumen Euphratēn, Iulianus agens apud Viennā, formandis in futura consilijs dies impendebat & noctes, quantum opes patiebantur angustæ, altius semet attollens: sempérque ambigens utrum Constantium modis omnibus allicēret in concordiam: an terroris incutiendi gratia lacesseret prior: quæ solicitè reputans, utrunque formidabat, & amicum cruentum, & in ærumnis ciuilibus sæpe uictorem. maximéque Galli fratris exemplum, mentem eius anxiam suspendebat, quem inertia mixtáque periurijs fraudes prodidere quorundam. Erigebat tamen aliquoties animum ad multa & urgentia, tutissimum ratus inimicum se ex confesso monstrare ei, cuius ex præteritis motus coniectabat ut prudens, ni per amicitias fictas insidijs falleretur occultis. Paruit igitur auitis, quæ per Leonam Constantius scripserat: nullóque arbitrio eius promotorū suscepto præter Nebridium, quinquēnalia Augustus iam edidit, & ambitioso diademate uē-*

batur lapidum fulgore distincto: cum inter exordia principatus assumpta uiri corona circundatus erat xystarchæ similis purpurato. Inter quæ Helenæ coniugis defunctæ suprema miserat Romam, in suburbano uiæ Nomentanæ condenda, ubi uxor quoque Galli quondam soror eius sepulta est Constantina. Accidebat autem, incendebátq; eius cupiditatem pacatis iam Gallis incessere ultro Cõstantium: coniicens eum per uaticinandi præsagia multa, quæ callebat, & somnia, è uita protinus excessurum. Et quoniã erudito & studioso cognitionum omniũ principi, maleuoli præ noscendi futura prauas artes assignant, aduertendum est breuiter, unde sapienti uiro hoc quoque accidere poterit doctrinæ genus haud leue. Elementorum omniũ spiritus, utpote perennium corporum, præsentiẽti motu semper & ubique uigens, ex his quæ per disciplinas uarias affectamus, participat nobiscum munera diuinandi: & substantiales potestates ritu diuerso placatæ, uelut ex perpetuis fõtium uenis uaticina mortalitati suppeditãt uerba, quibus numen præesse dicitur Themidis: quam ex eo quòd fixa fãtali lege decreta præscire fas sit in posterum, quæ tethimena sermo Græcus appellat, ita cognominatam, in cubili solióque Iouis uigoris uiuifici theologi uetères collocarunt. Auguria & auspicia non uolucrum arbitrio futura nescientium colliguntur (nec enim hoc uel insipiens quisquã dicet) sed uolatus auiũ dirigit deus: ut rostrũ sonans, aut præteruolans pinna turbido meatu uel leni futura præmonstret. Amat enim benignitas numinis, seu quòd merentur homines, seu quòd tangitur eorum affectione, his quoq; artibus prodere quæ impendent. Extis item pecudum attenti fatidici, in spes conuerti suetis innumeras, accidentia sciunt. Cuius disciplinæ Tages nomine quidam monstrator

(ut fabulantur) in Hetruriæ partibus emersisse subito uisus è terra. Aperiunt nunc quoque uentura cum æstuant hominum corda, sed loquuntur diuina. Sol enim (ut aiunt physici) mens mundi, nostras mentes ex sese uelut scintillas diffunditans, cũ eas mœnderit uehementius, futuri conscias reddit. Vnde Sibyllæ crebro se dicunt ardere, torrente ui magna flammarum. Multa significant super his crepitus uocum, & occurrentia signa, tonitrua quinetiam & fulgura & fulmina, itidémque siderum sulci. Somniorum autem rata fides & indubitabilis foret, ni ratiocinantes coniectura fallerentur. interdúmque, ut Aristoteles affirmat, infixa sunt & stabilia: cum animantis altius quiescentis ocularis pupilla neutrobique inclinata rectissime cernit. & quia uanities aliquoties plebeia strepit, hæc imperite mussando, Si esset præsentiendi notitia quædam, cur ille se casurum in bello, uel alius hoc se passurum ignorauit aut illud? sufficit dici, quòd & grammaticus locutus interdum est barbare, & absurde cecinit musicus, & ignorauit remedium medicus: & non ideo nec grammatica, nec musica, nec medicina subsistit. Vnde præclare hoc quoque, ut alia, Tullius, Signa ostenduntur, ait, à dijs rerum: in his siquis erraueritnon deorum natura, sed hominum coniectura peccauit. Ne igitur extra calcem, quod dicitur, sermo decurrens lecturo fastidium ferat, ad explicanda prospecta reuertamur. Cum apud Parisios adhuc Cæsar Iulianus quatiens scutum uarijs motibus exerceretur in campo, axiculis, quis orbis erat compaginatus, in uanum excussis, ansa remanserat sola: quam retinens ualida manu stringebat. territisq; ut omine diro præsentibus cunctis, Nemo, inquit, uereatur: habeo firmiter quod tenebam. Item cum apud Viennam postea quiescaret sobrius, hora media noctis

imago quædam uisa ſplendidior, hos ei uerſus heroos modo non uiglanti apertè dixit, eadem ſæpius replicando, quibus fretus nihil aſperum ſibi ſupereſſe exiſtimabat,

Ζεὺς ὅταν ἐν πλατὺ τέρμα μόλῃ πλυτῆ ὑδροχόοιο,
παρθενικῆς δὲ κρόνος μοίρῃ βαίνῃ ἐπὶ πέμπτῃ
αἰνοσῆ, βασιλεῦς κουσάντιος ἀσίδος ἀλῆς
τέρμα φίλῳ βιοτῆ συγιρὸν καὶ ἐπώδυνον ἕξῃ.

Agebat itaque nihil interim de ſtatu rerum præſentiũ mutans, ſed animo tranquillo & quieto incidentia cuncta diſponens, paulatimque ſeſe corroborans, ut dignitatis augmẽto uiriũ quoque congruerent incrementa, utque omnes nullo impedientẽ ad ſui fauorẽ illicæret, adhærere cultui Chriſtiano fingebat, à quo iampridem occultæ deſciuerat, arcanorum participibus paucis aruſpicinæ augurij'ſque intentus, & cæteris quæ deorum ſemper fecere cultores. Et ut hæc interim cælarentur, feriarum die quem cælebrantes menſe Ianuario Chriſtiani Epiphaniam dictitant, progreſſus in eorum ecclesiam ſolenniter numine orato diſceſſit. Dum hæc ita aguntur, propinquãte iam uere, nuntio percitus inopino, ad triſtitiam uerſus eſt & mœrorem. Didicit enim Alemannos à pago Vadomarij exorſos, unde nihil poſt ictum fœdus ſperabatur incommodũ, uaſtare confines Rhetijs tractus: nihilq; ſinere intẽtatum manus prædatorias fuſius diſcurrẽtes. Quod ne diſſimulatum redium̃as bellorum materias excitaret, Libinonem quendã comitem cum Celtis & Petulantibus miſit hyemãtibus ſecum, negotium, ut poſcebat ratio, correcturum. Qui cum mature prope oppidum Sanctionem uenisſet, longe uiſus à barbaris, qui iam cœrtamina meditantes ſeſe per ualles abdiderant: hortatúſque milites licet numero impares, cupidine tamen pugnãdi uehemẽtius irritatos, aggreditur inconſultæ

Germanos: intérque dimicandi exordia ipse concidit omnium primus. cuius interitu erecta barbarorum fiducia, Romanisque ad ducis uindictam accensis, certamen committitur obstinatum: & urgente magnitudinis mole disiecti sunt nostri, occisis paucis, & uulneratis. Cum hoc Vadomario, & Gundomado eius fratre itidem rege, Constantius (ut iam relatum est) firmauerat pacem. Post quæ mortuo Gundomado, hunc sibi fore existimans fidum, secretorúmque taciturnum executorem, fœcialem mandauerat, si famæ solius admittenda est fides: scribebátque ut tanquã rupto concordiæ pacto, subinde collimitia sibi uicina uexaret: quo Iulianus id metuens, nusquam à tutela discederet Galliarum. quibus, ut dignum est credere, obtemperans Vadomarius, hæc & similia perpetrabat, ad perstringẽdũ fallẽdúmq; miris modis ab ætatis primitijs callens, ut postea quoque ducatum per Phœnicen regens ostendit. Sed re ipsa conuictus abstinuit. Capto enim à stationarijs militibus notario, quem miserat ad Constantium, scrutatóque si quid portaret, epistola eius reperta est: in qua præter alia multa id quoque scripserat: Cæsar tuus disciplinam non habet. Iulianum autem adsidue per literas dominum & Augustum appellabat & deum. Hæc ut erant periculosa & dubia Iulianus in exitiale malum eruptura considerans, in unum omni cogitatione intenta, ui incautum rapere festinabat, ut securitatem suam prouinciarúmque locaret in tuto, & mijt consilium tale: Philagrium notariũ, Orientis postea comitem, ad eas miserat partes, cuius prudentiæ fidebat olim sibi compertæ: eique inter multa, quæ pro captu instantium rerum erat acturus, signatam quoque chartulã tradidit, mandauitque ne aperiret uel recitaret, nisi Vadomario uiso cis Rhenum. Perrexit Philagrius,

ut præceptum est: eóque præsente, & negotijs adstricto diuersis, transgressus Vadomarius flumen, ut nihil in profunda metuēs pace, nihilque secus gestorū simulans scire, uiso præposito militum ibi degentū pauca locutus, ex more utroque semel, ut suspicionis nihil relinqueret abiturus, ad cōuiuiū eius uenire promisit, ad quod erat iam Philagrius inuitatus. Qui statim ingressus regē cōspecto, imperatoris recordatus est uerba: causatúsque rem seriā & urgentem ad diuersoriū rediit: scriptisq; lectis doctus quid agi conueniret, confestim reuersus discubuit inter cæteros. Finitisque epulis Vadomariū fortiter apprehēsum rectori militum arcte custodiendū apud signa cōmisit, textu lecto iussorū, comitibus eius ad sua redire cōpulsis, super quibus nihil fuerat imperatū. Exhibitus tamen idē rex ad principis castra, iámq; spe ueniæ omni præclusa, cū interceptū notariū, & quæ scripserat ad Constantiū cōperisset iam publicata, ne cōuitio quidē tenus cōpellatus missus est ad Hispanias. Id enim studio curabatur ingēti, ut Iuliano discedēte à Gallijs, immanissimus homo prouinciarū statū ægre cōpositum licentius cōturbaret. Hoc casu elatior Iulianus regis opinione citius interceptī, quē profecturus ad lōginqua formidabat, nihil remittentibus curis barbaros adoriri disposuit, quos peremisse Libinonē comitem in congressu cū militibus docuimus paucis. Et ne rumor aduētus sui eos ad remotiora traduceret, superato Rheno nocte alto silētio, cum auxiliorū expeditissimis globis, nihil metuentes huiusmodi circumuenit: excitatóque hostiliū fragore armorū, dum gladios circunspectāt & tela, celeriter muolauit, & quosdā occidit: orātes alios prædā offerētes deditītios cepit, reliquos qui remansere, pacem precantibus dedit, quietem pollicitus firmā. Quæ dum mentibus aguntur erectis, coniectans

quantas intestinæ cladis excitauerat moles, nihilque tam conuenire conatibus subitis, quàm celeritatem sagaci præuidens mente, professa palàm defectione se tutiorem fore existimauit: mœrtúsque de militũ fide, placata ritu secretiore Bellona, classico ad concionẽ exercitu conuocato, saxeo suggestu insistens, iámque ut apparebat fidentior, hæc clarius solito disserebat: Iandudum tacita deliberatione uos æstimo magni commilitones, rerum gestarũ excitos amplitudine, hoc opperiri consiliũ, ut euentus qui sperãtur, perpendi possint, & præcaueri. Plus enim audire quàm loqui militem decet actibus cœlitum gloriosis: nec aliũ spectatæ æquitatis sentire rectorẽ, quàm eum qui & laudari digne potuerit & probari. Vt igitur quæ proposui abiectis absolutam, aduertite oro beneuole, quæ sermone breui percurrã: Arbitrio dei cœlestis uobis inter ipsa iuuentæ rudimenta permixtus, irruptiones Alemannorum assiduas & Francorum, populandíque iugem licẽtiam fregi: & uigore cõmuni Romanis agminibus quoties libet Rhenum peruiũ feci: contra rumorum fremitus, gentiúmque ualidarũ uolentos excursus stando immobilis, uirtutis uestræ nimirum firmamento confisus. & hæc laborum quos exhausimus, Galliæ spectatrices, post funera multa iacturásque recreatæ diuturnas & graues, posteritati per ætatum examina cõmendabunt. At nunc cum autoritate uestri iudicij, rerúmque necessitate compulsus, ad augustum elatus sum culmẽ, deo uobísque fautoribus, si fortuna cœptis adfuerit, altius affectabo maiora: id præ me ferens, quòd exercitui, cuius æquitas armorúmque inclaruit magnitudo, & domi moderatus uisus sum & tranquillus, & in crebritate bellorum contra conspiratas gentium copias consideratus & cautus. Vt igitur aduersa præueniamus mentium societate

iunctissima, sequimini uiam, consiliúmque salutare (ut puto) cum integritas rerum intentioni nostræ uoluntatique respondeat: & dum maioribus uacant præsidijs regiones Illyricæ, impræpedito cursu tendetes, Daciarum interim fines extimos occupemus, exinde quid agi oporteat bonis successibus instruendi: utque est mos fidentium ducum, in ramento quæso concordiam spondete mansuram & fidem, operam nauaturo sedulam & solitam, nequid agatur inconsultum & segne, & producturo, siquis exegerit, incorruptam conscientiam meam, quòd nihil uoluntate præter ea quæ in commune conducunt, aggrediar aut tentabo. Illud sanè obtestor & rogo, obseruate ne impetu glisentis ardoris in priuatorũ damna quisquam uestrum exiliat, id cogitans, quòd ita nos illustrarunt hostium innumeræ strages, ut indemnitas prouinciarum & salus, exemplis uirtutum peruulgatæ. Hoc sermone imperatoris uiæ alicuius oraculi comprobato, mota est incitatius concio: & rerum cupida nouandarum, unanimanti consensu uoces horrendas immani scutorum fragore miscebat, magnum elatúmque ducem, & ut experta est, fortunatum domatorem gentium appellans & regum. iussíque uniuersi in eius nomen iurare solenniter, gladijs cruciibus suis admotis sub execrationibus diris, uerbis iurauere conceptis, omnes pro eo casus, quoad uitam perfuderint, si id necessitas exegerit, perlaturos: quæ secuti rectores, omnésq; principis proximi, fidẽ simili religione firmarunt. Solus omnium licet proposito stabili, audacter tamen præfectus repugnauit Nebridius, iurisiurandi nexu contra Constantium nequaquam se constringi posse commemorans, cuius beneficijs obligatus erat crebris & multis. Quibus auditis cũ stantes propius milites acriter inflãmati eum appeterẽt trucidandũ.

ad genua sua prolapsum imperator paludamento protexit: mdéque reuersus in regiã cum antegressum eũ audisset, suppliciémque iacentem orare, ut leuandi causa timoris ei porrigeret dexterã: Et quid, ait, præcipuum amicis seruabitur, si tu manum tetigeris meã? Sed hinc quò libet abi securus. Hócque audito ille innoxius ad larẽ suum recessit in Thusciam. His Iulianus, ut poscebat negotij magnitudo, præstructis, expertus quid in rebus tumultuosis anteuersio ualeat & prægressus, per tesserã edicto itinere in Pannonias, castris promotis & signis, temere se fortunæ commisit ambiguæ. Replicare nunc conuenit tempora, & narrare summatim, quæ, dum aguntur in Gallijs anteducta, Constantius hyemans Antiochiæ, domi militiæque perfecit. Inter complures alios honore conspicuos adoraturi imperatorem peregre uenientem ordinantur etiã ex tribunis insignibus. Cum igitur à Mesopotamia reuersus Cõstantius hoc exciperetur officio, Amphilochius quidam ex tribuno Paphlago, quem dudum sub Constante militantem discordiarum seuisse causas inter priores fratres, suspiciones cõtiguæ ueritati pulsabant, ausus paulo petulantius stare, ut ipse quoque ad parile obsequiũ admittendus, agnitus est & prohibitus: strepentibúsq; multis, & intueri lucem ultrius non debere clamantibus, ut perduellem & obstinatũ, Constantius circa hæc lenior solito: Desinite, ait, urgere hominem, ut existimo, sontem, sed nõdum superte conuictũ: & mementote quòd siquid admisit huiusmodi, sub obtutibus meis conscientiæ ipsius sententia punietur, quam latere non poterit. & ita discessum est. Postridie ludis Circensibus idem ex aduerso imperatoris ubi consueuerat spectans, repentino clamore sublato, cum certamen opinatum emutteretur, diffractis cancellis quibus unà cum pluribus

incumbebat, cūctis cum eo inuanum excussis, læsisque leuater paucis, interna compage disrupta efflasse spiritum repertus solus: unde Constantius futurorū quoque præscius exultabat. Eodē tempore Faustinam nomine sortitus est coniugem, amissa iampridem Eusebia, cuius fratres erant Eusebius & Hypatius consulares, corporis moriúmq; pulchritudine pluribus antestantes, & in culmine tam celso humana: cuius fauore iustissimo exemptum periculis declaratúmque Cæsarem retulimus Iulianum. Habita est ijsdem diebus etiam Florentij ratio, è Gallia nouitatis metu digressi, & Anatolio recens mortuo præfecto prætorio per Illyricum, ad eius mittitur locum: cúmque Tauro itidem præfecto prætorio per Italiam amplissimi suscepit insignia magistratus. Parabantur nihilominus externorum atque ciuilium instrumēta bellorum, & augebatur turmarū equestrium numerus, paríque studio supplementa legionibus scripta sunt, indictis per prouincias tyrocinijs: omnisque ordo & professio uexabatur, uestem armáque exhibens & tormenta, aurum quinetiam & argentum, multiplicésque rei cibariæ copias, & diuersa genera iumentorum. Et quia Persarum regis ob difficultatem hyberni temporis ægre cōstructa re cibaria ualidior impetus timebatur, ad Trāsligritanos reges & satrapas legati cum muneribus missi sunt amplis, monituri cunctos & hortaturi nostra sentirent, nihil fallax tentarent uel fraudulētum: ante omnia tamen Arsaces & Meribanes, Armeniæ & Hiberiæ reges, cultu ambitioso indumentorum emercabātur & multiformibus donis, dāna negotijs Romanis illaturi, si rebus etiā dubijs desciuissent ad Persas. Inter tot urgentia Hermogene defuncto, ad præfecturam promouetur Helpidius, ortus in Paphlagonia, aspectu uilis & lingua, sed simplicioris

ingenij, incruentus & mitis: adeo ut cum ei coram innocentem quendam torquere Constantius præcepisset, æquo animo abrogari sibi potestatem orabat, hæcque potioribus alijs ex sententia principis agenda permitti. Rigore itaque *instantium negotiorum anceps Constantius, quid capesseret ambigebat, diu multúmque anxius utrum Iulianum peteret & longinqua, an Parthos repelleret iam trãsituros, ut minabantur, Euphratẽ: hærénsque, tandem cum ducibus communicato sæpe consilio, in id flexus est, ut finito propiore bello, uel certe mollito, nullo post tergo relicto quem formidaret, Illyrijs perculsis & Italia, ut rebatur, Iulianum inter exordia ipsa cœptorum tanquã uenaticam prædam caperet: hoc enim ad leniendum suorum metum subinde prædicabat. tamẽ ne intepescere, aut omisisse belli uideretur aliud latus, aduentus sui terrorem ubique dispergens, ueritúsque ne Africa absente eo perrumperetur, ad omnes casus principibus opportuna, uelut finibus Oriẽtis egressus, per mare notarium misit Gaudentium, quem exploratorem actuũ Iuliani per Gallias aliquandiu fuisse præstrinximus. Hunc enim obsequio celeri cuncta considerationе gemina efficere posse sperabat: quòd aduersam partem metueret offensam, & properabat nactus hanc opportunitatem commendari Cõstantio, quẽ credebat proculdubio victorem: nemo enim omnium tunc ab hac constanti sentẽtia discrepabat. Qui cum eò uenisset, mandatorum principis memor, per literas Cretione comite quid ageretur edocto, reliquísque rectoribus, lecto undique milite fortiore, translatísque ab utraque Mauritania discursatoribus expeditis, Aquitaniæ & Galliæ obiecta littora tuebatur arctissime. Neque id consilium fefellit Constantium. eo enim superstite nullus aduersorũ illas tetigit ter-*

ras, licet oram Siciliesem à Lilybæo protentam & Pachyno, multitudo seruabat armata, si patuisset facultas, ocyus transitura. His pro rerum ratione ut sibi prodesse existimabat Constantius, aliisque munitis & leuioribus ordinatis, ducum nuntijs docebatur & literis, Persarũ copias in unum coactas, rege turgido præeunte, iam prope margines tendere Tigridis, incertum quonam erumpere cogitantes. Quibus percitus, ut propius agens futuros possit anteuenire conatus, quam primum hybernis egressus, accito undique equitatu, peditúmque robore quo fidebat, per Capessenam Euphratæ nauali pōtē trāscurso, AEdessam petit uberem commeatibus & munitam: ibi parumper opperiens dum exploratores aut perfugæ motum castrorũ hostilium indicarent. Discedens inter hæc Iulianus à Rauracis, peractis quæ docuimus dudum, Sallustium præfectum promotum remisit in Gallias, Germaniano iusso uicem tueri Nebridij: itidémq; Neuitæ magisteriũ commisit armorum Gumoariũ proditorem antiquũ timens, quem cũ Scutarios regeret, latenter prodidisse Veteranionem suũ principẽ audiebat: & Iouio quæsturã, cuius in actibus Magnẽtij meminimus: & Mamertino largitiones curãdas: & Dacalaiphũ præfecit domesticis: aliósq; ex arbitrio suo militibus regendis apposuit, quorũ merita norat & fidẽ. Profecturus itaq; per Martianas syluas, uiásq; iũctas Istri fluminis ripis, inter subita uehemẽter incertus id uerebatur, ne contẽptus ut comitãtibus paucis multitudinẽ offenderet repugnãtem. quod ne fieret, cõsilio solerti præuidit: & agminibus distributis, per itinera Italiæ nota quosdã properaturos cũ Iouino misit & Iouio, alios per mediterranea Rhetiarum magistro equitũ Neuitæ cõmissos, quo diffusi per uaria opinionẽ numeri præberẽt immensi, formidinéq; cuncta compleret. Id enim & Alexãder Magnus, & dcinde alij plu-

res, negotio ita poscẽte, periti fecere ductores. Mãdabat tamen egressis, ut tanquã hostẽ protinus occursuro ocyus gradierẽtur. stationésque nocturnas agerent & uigilias, ne improuiso muaderentur excursu. Quibus ita, ut uidebatur, aptẽ dispositis, more quo tractus perruperat sæpe barbaricos, contextis successibus fidens porrectius ire pergebat. Cúmque ad locum uenisset unde naugari posse didicit flumen, lembis ascẽsis, quos opportune fors dederat plurimos, per alueum, quãtum fieri potuit, ferebatur occultẽ: ideo latens, quòd tolerantẽr & fortiter nullius cibi indigens mundioris, sed paucis contentus & uilibus, oppida fortinsecus transibat & cautẽ, imitatus Græcum illud Cyri ueteris dictum: qui cum delatus ad hospitem interrogaretur ab eo quid ad conuiuium parari deberet, Panem responderat solum: sperare enim diebat prope riuum cœnaturũ. Fama uero, quæ mille, ut aiunt, linguis rerum misere exaggerat fidem, per Illyricos omnes cẽlebrior fundebatur, Iulianum strata per Gallias multitudine regum, & gentium numeroso exercitu, & successibus tumidum uarijs aduentare. quo rumore perculsus præfectus prætorio Taurus, ut hostem uitans externum, mature dicessit, uectúsque mutatione cẽleri cursus publici, transitis Alpibus Iulijs, eodem ictu Florentium itidem præfectum secum abduxit. Leuibus tamen indicijs super Iuliani motu Lucillianus peratus comes, qui per illas regiones rem curabat ea tempestate castrensem, agens quos ex stationibus proprijs acciri cẽleritatis ratio permittebat, ũcturo resistere cogitabat. Sed ille ut fax uel incẽsus malleolus uolucriter ad destinata festinãs, cum uenisset Bononiã, à Sirmio miliario nono disparatam & decimo, senescẽte luna, ideóque obscurante noctis maximam partem, è naui exiliuit improuisus: statimq; Da-

galaiphum misit cum expeditis ad Lucillianum uocandũ, trahendúmque si reniteretur. Qui tum etiã quiescens, cum strepitu excitus turbulento uidisset ignotorum hominum se circulo circunseptum, concepto negotio, & imperatorij nominis motu præstrictus, præceptis parui inuitissimus: secutúsque alienum arbitrium magistri equitum paulo ante superbus & ferox, iumentóque impositus repentino, principi ut captiuus offertur ignobilis, oppressam terrore uix colligens mentem. Verum cum primum uisus, adorandæ purpuræ datam sibi copiam aduertisset, recreatus tandem sulque securus: Incaute, inquit, imperator, & temere cum paucis alienis partibus te commisisti. cui amarum Iulianus subridens, Hæc uerba prudentia serua, inquit, Cõstantio: maiestatis enim insigne non ut consiliario tibi, sed ut desinas pauere porrexi. Nihil deinde amoto Lucilliano differendum, nec agendum segne ratus, ut erat in rebus trepidis audax & confidentior, ciuitatem ut præsumebat deditiam petens, citis passibus incedebat: eúmque suburbanis propinquantem amplis nimiúmque protentis, militaris & omnis generis turba cum lumine multo, & floribus, uotísque faustis, Augustum appellans & dominum, duxit in regiam. Vbi euentu lætus & omine, firmata spe uenturorũ, quòd ad exemplum urbium matris populosæ & celebris, per alias quoque ciuitates ut sidus salutare susciperetur, edicto postridie curuli certamine cum gaudio plebis, ubi lux exanduit tertia, morarum impatiẽs percursis aggeribus publicis, Sucros nemine auso resistere præsidijs occupauit. ijsdémque tuendis Neuitam præfecit ut fidum: cuius loci situm nunc conueniet ostendi. Cõsertæ celsorum montium summitates Hæmi & Rhodopes, quorũ alter ex ipsis Istri marginibus, alter ab Axij fluminis citeriori parte cõsur-

git, in angustias tumulosis collibus desinentes, per Illyrios interscindunt & Thracas: hinc uicinae mediterraneis Dacis & Serdicae, inde Thracias despectantes & Philippopolim, ciuitates amplas & nobiles. & tanquã natura in ditionem Romanam redigendas nationes circunsitas prænoscente ita figuratae consulto, inter arctos colles quõdam hiantes obscurius, ad magnitudinem splẽdorémque postea rebus elatis patefactae sunt & carpentis: aditibúsque aliquoties clausis, magnorum ducum populorúmque repulere conatus. & pars quae Illyricum spectat mollius edita, uelut incauta subinde superatur. latus uero è regione oppositum Thracijs, prona humilitate diruptum, hincque & inde fragosis tramitibus impeditum, difficile scanditur etiam nullo uetante. Sub hac altitudine aggerum utrobique spatiosa camporum planicies iacet, superior adusque Iulias alpes extenta, inferior ita resupina & panda, ut nullis habitetur obstaculis adusque fretum & Propontidem. His ut in re tali támque urgenti compositis, magistro equitum illic relicto, imperator reuertitur Naessum copiosum oppidũ, quo inde expedite cuncta disponeret suis utilitatibus profutura. Vbi Victorem apud Sirmium uisum scriptorem historicum exinde uenire praeceptum, Pannoniae secundae consularem praefecit, & honorauit aenea statua uirum sobrietatis gratia multilaudum, multo post Vrbi praefectum. Támque altius se extollens, nunquam credens ad concordiam prouocari posse Constantium, orationem acrem & iniectiuam probra quaedam in eum explanantem & uitia, scripserat ad senatum. Quae cum Tertullo administrante adhuc praefecturam recitarẽtur in curia, eminuit nobilitatis cum speciosa fiducia benignitas grata. exclamatum est enim in unum cunctorũ sententia congruẽte, Autori tuo reuerẽtiam

rogamus. Tunc & memoriã Constantini, ut nouatoris turbatorisque priscarum legum & moris antiquitus recepti, uexauit, eum apertè incusans, quòd barbaros omniũ primus adusque fascès auxerat & trabeas consulares, insulse nimirum & leuiter: qui cum uitare deberet id quod infestius oburgauit, breui postea Mamertino consulatũ iniunxit, nec uita, nec splẽdore, nec usu, nec gloria horum cuiusquam simili, quibus magistratum detulerat amplissimum Constantinus: contra inconsummatum & subagrestem, & quod minus erat ferendum, ælsa in potestate crudelẽ. Hæc & talia cogitanti, solicitòque super maximis rebus & serijs, nuntius metuendus intimatur & insperatus, ausa indicans quorundã immania impeditura cursus eius ardẽtes, ni uigilanter hæc quoque antequã adolescerent hebetasset: quæ breuiter exponẽtur. Duas legiones Cõstantiacas, addita una sagittariorũ cohorte, quas muenerat apud Sirmiũ, ut suspectæ adhuc fidei, per speciẽ necessitatum urgentiũ misit in Gallias. quæ pigrius motæ, spatiáque itinerũ lõga, & Germanos hostes truces & adsiduos formidãtes, nouare quædam moliebantur, autore & incitatore Nigrino, equitũ turmæ tribuno in Mesopotamia genito, réque digesta per secreta colloquia, & alto roborata silentio, cum Aquileiam peruenissent, urbẽ situ & opibus murisque circundatam ualidis, eam hostiliter repentè clausere, iuuantè indigena plebe tumultus horrorẽ, cui Constantij nomen erat tum etiam amicum. & obseratis aditibus, turribúsque armatis & propugnaculis, futuræ concertationi præparabant utilia, interim soluti & liberi: hócque facinore ita audaci ad fauendum Cõstantij partibus ut superstitis Italicos incolas excitabant. Quibus Iulianus acceptis, agens tunc apud Næssum, nihil à tergo timens aduersum,

legénſque & audiens hanc ciuitatem circunſeſſam quidē aliquoties, nunquam tamen exciſam aut deditam, impenſiore ſtudio ſibi ſociare, uel fraude, uel diuerſis adulationum generibus, antequam maius oriretur aliquid, properabat. Ideóque Iouinum magiſtrum equitum uenientem per Alpes, Noricóſq; ingreſſum, ad id quod exarſerat, quoquo modo cōrrigendū redire citius imperabat. Et nequid deeſſet, milites omnes qui comitatum ſequebātur aut ſigna, retineri iuſſit per idem oppidum transeuntes, pro uiribus laturos auxiliū. Hiſque diſpoſitis, ipſe haud diu poſtea cognita morte Conſtantij, diſcurſis Thracijs Conſtantinopolim introijt: ac ſæpe doctus certius fore id obſidium quàm uerendum, Immone cum comitibus alijs ad hoc deſtinato, remouit exinde Iouinum, alia quæ potiores flagitabāt neceſſitates, acturum. Ordine itaque ſcutorum geminо Aquileia circunſepta, concinentibus ſententijs ducum, conueniēs uiſum eſt ad deditionem allicere defenſores minaciū blandorúmque uarietate ſermonum. & multis ultro citróque dictitatis, in immenſum obſtinatione gliſcente, ex colloquio re infecta diſceditur. Et quia nihil præter pugnā iam ſpectabatur, curatis utrobique cibis ſomnóque corporibus, aurora iam ſurgente, concrepante ſonitu buccinorum, partes accenſæ in clades mutuas, ferocientes magis quàm conſultius datis clamoribus ferebantur. Pluteos igitur præferētes oppugnatores, cratéſque denſius textas, ſenſim incedentes & cauto murorum ima ſuffodere ferramētorum multitudine conabantur, factas plerique uehentes ad menſuram mœniū ſcalas. iamque parietibus pene contigui, pars lapidibus uolutis in pronum collisi, pars confixi ſtridentibus iaculis retróque gradientes, auerterunt ſecum omnes alios, metu ſimilium à propoſito pugnandi detortos. Hoc

primo congressu erecti in audaciam clausi, assumpta fiducia meliorum, parui ducebant restantia: mentibúsque fundatis & compositis, per opportuna torrentis indefesso labore uigilias & cætera subsidia securitatis implebant. Contra munitores, licet pauore discriminum anxij, pudore tamen ne socordes uiderentur & segnes, ubi parum uis procedebat Martę aperto tentata, ad instrumenta obsidionalium artium transtulerunt. Et quia nec arietibus admouendis, nec ad intentandas machinas, uel ut possint fórari cuniculi, inueniebatur quid habile, disparatione breui ciuitatem Natisone amni præterlabente, commentum excogitatum est cum ueteribus admirandum. Constructas uelocistudio ligneas turres propugnaculis hostium ælsiores imposuere trigeminis naubus ualde sibi connexis, quibus insistentes armati, uno pariq; ardore prohibitores dispellere collatis ex propinquo uiribus nitebantur: subtérque expediti uelites è turrium cauernis egressi, iectis ponticulis quos antè compagnarant, transgressi festinarunt in diuso negotio: ut dũ uicissim missilibus se petunt & saxis utrinq; secus altę locati, hi qui transiere per pontes nullo interpellante ædificij parte conuulsa, aditus in penetralia reserarent. Iterum summa cœpti prudentis aliorsum euasit. cum enim aduentarent iam turres, contortis malleolis ardentibus piæ, arundine quinetiam, sarmentis ac uario fomite flammarum incessebantur. quæ quoniam incendio celeri ponderibúsque trepide superstantium inclinatæ prociderunt in flumen, armatorum aliqui per earum fastigia interibant, eminus confixi tormentis. Inter quæ destituti pedites post naualium sociorum occasum obtriti sunt saxis immanibus, præter paucos, quos morti licet per impedita suffugia uelocitas exemerat pedũ. Ad ultimum certa-

mine producto in uesperam, datóque signo receptui ex more ambo digressi, diei residuum animus egere disparibus. Munitorum enim mœrores funera lugentiũ propria, prohibitores spe iam superandi inflammabant, licet ipsi quoque paucos gemebant amissos. properabatur tamen nihilominus, & quantum recreandis uiribus quiete & cibo satisfuit tributo per noctis integræ spatium, reparatur lucis exordio prælium incitamento tubarum. & quidam elatis super capita scutis, ut pugnaturi leuius, alij uehentes humeris ut antea scalas, feruentique impetu procurrentes, pectora multiformium telorum ictibus exponebant. alij ferratas portarum obijces effringendas adorti, ultro ignibus petebantur, uel saxis muralibus oppetebant. quidam fossas fidentius transire conati, repentinis eorum absultibus qui erumpebant clanculo per posticas, ruebant incaute uel saucij discedebant. Recursus enim ad mœnia tutior uallúmque antemuranum cespitibus fultum, insidiantes ab omni discrimine defendebat. Et quanquã prohibitores peritia bellorúmque artibus antestarent, quibus nihil præter mœniũ supererat adiumentum: collectus tamen ex potiori bus numeris miles diuturnas ferre nequiens moras, suburbana omnia circũibat diligenter inquirẽs, qua ui uel machinis possit patefactam irrumpere ciuitatem. Quod ubi patrare non poterat magnitudine uetante difficultatũ, obsideri remissius cœpta est: & excubijs stationibúsque relictis præsidiarij milites uastantes agros propinquos omnibus congruentibus abundabant, raptorum pleraque concorporalibus suis impertientes: unde largiori potu sagnísque admodum distenti maræbant. His relatione communi consortiúmque cognitis, Iulianus Constantinopoli etiam tum hybernans, solerti remedio turbatis consuluit rebus:

mòxq; Agilonem magistrum peditum ea tempestate probe cognitum miserat, ut uiso honoratissimo uiro, compertáque per eũ mortẕ Constantij solueretur obsidium. Inter quẕ ne cessaret Aquileiẕ oppugnatio, cum in reliquis opera consumerentur incassum, placuit resistentes acriter ad deditionem siti cõpelli. & ubi aquarum ductibus intersectis nihilominus ẕlsiore fiducia repugnarent, flumen laboribus auertitur magnis, quod itidem frustra est factum. Attenuatis enim auidioribus bibendi subsidijs, hi quos temeritas clauserat, contenti putealibus aquis parẕ uixerunt. Quẕ dũ agitantur casibus antẕdictis, superuenit ut prẕceptum est Agilo: sutorúmque densitate contẕctus, propè fidenter accessit: multáque locutus & uera, quibus Constantij obitum firmatúmque Iuliani docẕbat imperium, non sine conuitijs reputabatur ut fallax. nec ei quisquã credidit gesta narranti, antequam pacta salutẕ suscẕptus ad pugnaculum solus, fide religiosius reddita, ea quẕ docuerat replicẕret. His auditis ex diuturno angore portis reclusis omnes effusi suscẕpere lẕti pacificum ducẕm: séque purgantes, Nigrinum totius furoris autorem, paucósque alios obtulerunt, eorũ supplicio crimen lẕsẕ maiestatis & urbis ẕrumnas expiari posẕntes. Paucis denique pòst diebus exploratius spectato negotio, Mamertino tum iudicante prẕfecto prẕtorio, Nigrinus ut ~~acerrimus~~ belli instinctor ~~exustus~~ est uiuus. Rumulus uero post eũ & Sabostius curiales conuicti sine respectu periculi studia seuisse discordiarum, pẕnali consumpti sunt ferro. residui omnes abierunt innoxij, quos in certaminum rabiem necẕssitas egerat, non uoluntas. Id enim ẕquitate pensata statuerat placabilis imperator & clemens: Et hẕc quidem postẕa gesta sunt. Iulianus uero agens etiã tum apud Nẕssum curis altioribus stringebatur,

multa utrinque pertimescens. formidabat enim ne clausorum militum apud Aquileiam repentino adsultu obseratis angustijs Alpium Iuliarũ, prouincias & adminicula perderet quæ exinde sperabat in dies. Itidémque opes Orientis magnopere uerebatur, audiens dispersum per Thracias militem contra uim subitam cito coactum aduentare, Succorũ confinia Comite Martiano ducẽte: sed tamen congrua instantium solicitudinum mole ipse quoque agitans efficaciter, Illyricum contrahebat exercitum, puluere coalitum Martio, promptúmque in certaminibus bellicoso iungi rectori: nec priuatorũ utilitates in tempore afflagranti despiciens, litésque audiens, controuersias maxime municipaliũ ordinum, ad quorum fauorẽ propensior iniuste plures muneribus publicis adnectebat. ibi Symmachum repertum & Maximum, senatores conspicuos à nobilitate legatos ad Cõstantium missos, exinde reuersos honorificè iudit, & potiore posthabito in locum Tertulli Maximum Vrbi præfecit AEternæ ad Rufini Vulcacij gratiam, cuius sororis eum filium norat. hoc administrante, alimentaria res abundauit, & querelæ plebis excitari crebro solitæ cessauerunt. Tunc ut securitatem trepidis rebus afferret, & obedientiũ nutriret fiduciam, Mamertinum præfectum prætorio per Illyricum designauit consulem, & Neuitam: qui nuper, ut primum augendæ Barbaricæ ulitatis autorem, immoderate notauerat Constantium. His ac talibus inter spẽ metúmque noua negotia commouente, Constantius apud AEdessam exploratorum relationibus uarijs anxius, in rationes ducebatur ancipites, nunc ad concursatorias pugnas militem struens: nunc si copia patuisset, obsidione gemina Bezabden aggressurus, consultans prudenter, ne mox partes petiturus Arctoas, in protectum Mesopotamiæ relin-

queret latus. Verum consiliorum ambiguũ retinebant multiplices moræ, tardante trans Tigridem rege dum moueri permitterent sacra. nam si permeato flumine nullũ qui resisteret, muenisset, absque difficultate penetrarat Euphraten. alioquin ad ciuilia bella custodiens militem, timebat eum periculis obiectare circummuranis, firmitatem mœnium munimenti defensorúmque alacritatem expertus. ne quiescæret tamen, néue contemneretur mertiæ, Arbitionem & Agilonem equestrísque militiæ ministros cum agminibus maximis properare cœgit: non ut lacæsserent Persas in prælia, sed prætenturis iuncturos citeriores Tigridis ripas, & speculaturos quonam rex eorum erumperet uiolẽtus. addebátque monendo sæpius & scribendo, ut simulatque multitudo transire cœpisset hostilis, referrent citius pedem. Dúmque conlimitia iussa custodiunt ducæs, & occulta fallacissimæ gentis obseruantur, agens ipse cum parte uaridiori exercitus curabat urgẽtia, uelut propugnaturus oppida quæ tuebatur excursu. Speculatores uero & transfugæ subinde uenientes repugnantia prodebant, ideo futurorum incerti, quòd apud Persas nemo consiliorum est conscius, præter optimates taciturnos & fidos, apud quos Silentij quoque colitur numen. Accersebatur autem à memoratis ducibus imperator adsidue, orantibus ferri sibi suppetias. testabantur enim se non nisi coactis in unum uiribus cunctis posse impetũ regis ardentissimi sustinere. Quædũ aguntur ita solicitæ, nuntij percrebuere certissimi: quorum clara fide compertum est, Iulianum Italiam & Illyricum cursu æleri prætergressum, claustra interim occupasse Succorũ, accita undique præstolantem auxilia, ut multitudine stipatus armorum peruaderet Thracias. Quo cognito, mœrore offusus Constantius, solatio uno sustenta-

batur, quòd intestinos semper superauerat motus: re tamẽ magnam difficultatem ad capessendum consilium adferẽte, delegit potissimum, ut uehiculis publicis impositum, paulatim præmitteret militem imminenti casus atrocitati uelocius occursurum, omniúmque consensu approbata sententia, pergebant ut præceptum est expediti. Eique hæc disponenti lucæ postera nuntiatur regem cum omni manu quam duxerat ad propria reuertisse, auspicijs dirimentibus: lenitóque metu, reuocatis omnibus præter eos quos consuetudo præsidio Mesopotamiæ destinarat, reuersus est Hierapolim. Summa itaque cœptorum quorsum euaderet ambigens, cum in unũ exercitus conuenisset, omnes centurias & manipulos & cohortes in concionẽ uocauit concinẽtibus tubis: oppletóque multitudinis campo, ut eam ad firmanda promptius adigeret imperanda, tribunali ælsò sistens stipatóque solito densius, hæc prosequutus est ad serenitatis speciem fiduciæ uultu formato. Solicitus semper, nequid re leui uel uerbo committam inculpatæ parũ congruens honestati, útque cautus naugandi magister, clauos pro fluctuum motu erigens uel inclinans, compellor nunc apud uos amantissimi uiri confiteri meos errores, quin potius (si dici liceat uerum) humanitatem, quam credidi negotijs communibus profuturam. Proinde ut facilius sciri possit, quæ sit huius concilij conuocandi materia, accipite quæsò æquis auribus & secundis. Gallum patruelem tempore quo confundẽdis rebus pertinaciter Magnentius inhærebat, quem obruere uestræ uirtutes, potestate Cæsaris sublimatum ad Orientis præsidium misi. qui cum à iustitia per multa uisu relatíque nefaria defecisset, arbitrio punitus est legum. atque utinam hoc contenta esset inuidia, turbarum acerrima concitatrix: & angebat nos una, sed

secura doloris præterriti recordatio. At nũc aliud accidit, ausim dicere præteritis mœstius, quod per fortitudinem nobis ingenitam, adiumẽta cælestia coercebunt. Iulianus, quẽ dũ circunfrementes Illyricum nationes exteras oppugnatis tuendis præfecimus Gallijs, leuium confidentia prælio rum, quæ cum Germanis gessit semermibus, ut uecors elatus, ascitis in societatem superbam auxiliaribus paucis, feritate spéque postrema ad perniciosam audaciam prõptis, in noxam publicam conspirauit, æquitate calcata parente nutricéque orbis Romani: quam tumentes spiritus tanquã fauillas effecturam deinde, ut scelestæ lætorum ultricem, & ipse expertus, & docente antiquitate facile credo. Quid igitur superest, nisi ut turbinibus excitis occurramus, subcrescentis rabiem belli ~~antequam pubescat ua~~lidius celeritatis remedijs oppressuri? nec enim dubium fauore numinis summi præsentæ, cuius perenni suffragio damnantur ingrati, ferrum impie præparatum ad eorum interitum esse uertendum, qui non lacessiti, sed aucti beneficijs pluribus, ad insontium pericula surrexerunt. ut enim mea mens augurat, iustitiáque rectis consilijs adfutura promittit, spondeo quod si uentum fuerit cominus, ita pauore torpescent, ut nec oculorũ uestrorum ubratæ lucis ardorem, nec barritus sonum perferant primum. Omnes post hæc dicta traxerat in sententiã suam: hastásque uibrantes irati, post multa quæ beneuole responderãt, petebant se duci protinus in rebellem. Qua gratia in lætitiam imperator uersus ex metu, concione mox absoluta, Arbitionem ante alios faustum ad intestina bella sedanda ex anteactis iam sciẽs, iter suũ præire cũ lãcearijs, & Mattiarijs, & cæteris expeditorum præcepit, & cum lætis itidem Gomoarium uenturis in Succorum angustias opponendũ, ea re alijs antela-

tum, quòd, ut contemptus in Gallijs, erat Iuliano infestus. In hoc rerum aduersarum tumultu hærens eius fortuna iam & subsistens, aduentare casum uitæ difficilem, modo non loquentibus signis apertè monstrabat. nanque & nocturnis temporibus terrebatur, & nondum penitus mersus in somnum umbram uiderat patris obtulisse pulchrũ infantem: eúmque susceptum & locatum in gremio suo, excussam sibi proiecisse longus sphæram, quam ipse dextera manu gestabat. Id autem permutationem temporũ indicabat, licet interpretantes placentia responderent. Post hæc confessus est conuictoribus proximis, quòd tanquam desolatus secretum aliquid uidere desierit, quod interdũ adfuisse sibi squalidius æstimabat: & putabatur genius quidam tutelæ salutis appositus, eum reliquisse mundo citius digressurum. Ferunt enim theologi, in lucem editis hominibus cunctis, salua firmitate fatali, huiusmodi quædam uelut actus rectura numina sociari, admodum tamen paucissimis uisa, quos multiplices auxere uirtutes. Idque & oracula & autores docuerunt præclari. Inter quos est etiã Menander comicus, apud quem hi senarij duo leguntur:

ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ τῷ γινομένῳ,
ἅπαντος ἐστὶ μυσαχωγὸς τοῦ βίου.

Itidem ex sempiternis Homeri carminibus intelligi datur, non deos cælestes cum uiris fortibus colloquutos, nec adfuisse pugnantibus uel iussisse, sed familares genios cũ ijsdem uersatos: quorũ adminiculis præcipuis Pythagoras enituisse dicitur, & Socrates, Numáque Põpilius, & superior Scipio: & ut quidam existimant, Marius & Octauianus, cui Augusti uocabulum delatum est primo: Herméſque ter maximus, & Tyaneus Apollonius, atque Plotinus, ausus quædam super hac re disserere mystica, altéque mõstrare, qui-

bus primordijs hi genij animis connexi mortalium, quas tanquam gremijs suis susceptas tuetur, quoad licitũ est, docentque maiora, si senserint puras, & à colluuione peccandi immaculata corporis societate discretas. Ingressus itaque Antiochiam festinando Cõstantius, ad motum certaminum ciuiliũ (ut solebat) auide surrecturus, paratis omnibus exire properabat, immodicæ renitentibus plurimis murmure tenus: nec enim dissuadere palàm audebat quisquam uel uetare. Autumno iam senescente profectus, cum ad suburbanum uenisset disiunctum exinde tertio lapide, Hippocephalum nomine, lucente iam die, cadauer hominis interfecti dextra iacẽs capite auulso conspexit, contra occiduum latus extensum: territúsque omne finẽ parãtibus fatis destinatius ipse tendebat: uenítque Tarsum. ubi leuore febri contactus, ratúsque itinerario motu imminutæ ualetudinis excuti posse discrimen, petijt per uias difficiles Myandam Ciliciæ ultimam hac pergentibus stationem, sub Tauri montis radicibus positam: egredíque secuto die conatus, ui labẽte morbi grauitate detentus est: paulatimque urente calore nimio uenas, ut ne tangi quidem corpus eius possit in modum foculi feruens, cum usus deficeret medelarum, ultimum spirans deflebat exitium: mentísque sensu tum etiam integro, successorem suæ potestatis statuisse dicitur Iulianum. Demde anhelitu iam pulsatus letali conticuit: diúque cum anima colluctatus iam discessura, abijt è uita tertio Nonarum Octobrium, imperij uitáque anno quadragesimo, & mensibus paucis. Post quæ supremis cum gemitu cõclamatis excitísque lamentis & luctu, deliberabant locum obtinẽtes in aula regia primum, quid agerent, quídue moliri deberent. paucísque occultè super eligendo imperatore tentatis, incitante (ut ferebatur) Eusebio, quem noxarum

conscientia stimulabat, cũ nouandis rebus imminens obsisteret Iulianus, mittuntur ad eũ Theolaiphus & Aligildus, tunc comites mortem indicantes propinqui, & oraturi ut mora omni depulsa ad obtinẽdum obtẽperare sibi paratum tẽderet Oriẽtem. Fama tamen rumórque loquebatur, interim Constantiũ uolũtatem ordinasse postremã: in qua Iulianum, ut prædiximus, scripsit hæredẽ: & his quos diligebat, fidei cõmussa detulit & legata. Vxorẽ autem prægnãtem reliquit: unde edita posthuma, eiúsque nomine appellata, cum adoleuisset, matrimonio iure copulata est Gratiano. Bonorũ igitur uitiorúmque eius differẽtia uere seruata, præcipua prima conueniet expediri. Imperatoriæ autoritatis cothurnũ ubique custodiẽs, popularitatem elato animo contẽnebat & magno: erga tribuẽdas cælsiores dignitates impẽdio parcus: nihil circa administrationum augmenta præter pauca nouari perpessus: nũquam erigens cornua militaria. nec sub eo dux quisquã cũ clarissimatu prouectus est. erant enim, ut nos quoque meminimus, perfectissimi. nec occurrebat magistro equitũ prouinciæ rector: nec contingi ab eo ciuile negotium permittebat. sed cunctæ castrenses & ordinariæ potestates, ut honorũ omnium apicem priscæ reuerentiæ more præfectos semper suspexere prætorianos. In conseruãdo militæ nimium cautus, examinator meritorum nonnunquam scrupulosus. Palatinas dignitates, uelut ex quodam tribuẽs perpendiculo: & sub eo nemo cælsum aliquid acturus in regia, repentinus adhibitus est uel incognitus: sed qui post decennium officiorum magisteriũ, uel largitiones, uel simile quicquã esset recturus, apertissime noscebatur. Valdéque raro cõtigerat, ut militariũ aliquis ad ciuilia regenda trãsiret: cõtráque nõ nisi puluere bellico indurati præficiebãtur armatis. Doctrina-

rum diligẽs affectator. sed cum à rhetorica per ingenium desereretur obtusum, ad uersificandum transgressus, nihil operæ pretium fecit. In uita parca & sobria edendi potandiq; moderatione ualetudinẽ ita retinuit firmam, ut raros colligeret morbos, sed eos nõ procul à uitæ periculis: id enim euenire corporibus à lascuia dimotis & luxu, diuturna experimenta & probationes medendi monstrarunt. Somno contentus exiguo, cum id poscæret tempus & ratio: pérque spatia ita lõgissima impendio castus, ut nec mare ministro saltem suspicione tenus posset redargui, quod crimen etiamsi non inuenit malignitas, fingit in summarum licentia potestatum. Equitandi & iaculandi, maximéque pe rite dirigendi sagittas, artiúmque armaturæ pedestris perquam scientissimus. Quòd autem nec extersisse unquam nares in publico, nec sputisse, nec trãstulisse in partem alterutram uultũ aliquando, uisus est: nec pomorum quicquã quoad uixerat, gustauerit: ut dicta sæpius prætermitto. dinumeratis carptim bonis, quæ scire potuimus, nũc ad explanãda eius uitia ueniamus. Cũ esset in negotijs alijs principibus medijs cõparandus, si affectatæ dominationis ansam quandã falsam reperisset aut leuem, hanc sine fine scrutando, fásque eodem loco ducens & nefas, Caligulæ & Domitiani & Commodi immanitatem facile superabat: quorum æmulatus sæuitiam inter imperandi exordia, cunctos sanguine & genere se cõtingentes stirpitus interemit. Addebatur miserorum ærumnis, qui rei maiestatis imminutæ uel læsæ deferebantur, acerbitas eius, & iracundæ suspiciones, in huiusmodi cuncta distentæ: Et si quid tale increpuisset, in quæstiones acrius exurgẽs quàm ciuiliter, spectatores apponebat his litibus truces: mortémque longius in puniẽdis quibusdam, si natura permitteret,

conabatur extendi, in huiusmodi controuersiarum partibus etiam Gallieno ferocior. Ille enim perduellionum crebris uersque appetitus insidijs, Aureoli, & Posthumi, & Ingenui, & Valentis cognomento Thessalonici, aliorúmque plurium, mortem factura crimina aliquoties lenius uindicabat. Hic etiã facta uel dubia adigebat uideri certissima, ui tormentorum. Túmque in eiusmodi titulis capitaliter oderat, cum maxime id ageret ut iustus æstimaretur & clemens. & tanquam ex arida sylua uolantes scintillæ, flatu leni uentorum adusque discrimina uicorũ agrestium mobili cursu perueniunt: ita ille quoque ex minimis causis malorum congeries excitabat, Marci illius dissimilis principis uerecundi: qui cum ad imperiale culmen in Syria Cassius surrexisset, epistolarũ fascem ab eo ad cõsios missum perlatore capto sibi oblatũ, illico signatum exuri præcepit, agens adhuc in Illyrico, ne in insidiatoribus cognitis inuitus quosdam habere posset offensos. útque recte sentiẽtes quidam arbitrabantur, uirtutis erat potius indicium magnæ, imperio eundem comitantiũ sine cruore cessisse, quàm uindicasse tam inclementer: ut Tullius quoque docet crudelitatis increpans Cæsarem in quadam ad nepotem epistola: Neque enim quicquam aliud est felicitas, inquit, nisi honestarum rerum prosperitas. uel ut alio modo definiam: Felicitas est fortuna, adiutrix consiliorum bonorum: quibus qui non utitur, felix nullo pacto esse potest. Ergo in perditis impij'sq; cõsilijs quibus Cæsar usus erat, nulla potuit esse felicitas. Feliciórque meo iudicio Camillus exulans, quàm temporibus ijsdẽ Manlius, etiam si (id quod cupierat) regnare potuisset. Id Ephesius quoque Heraclitus asserens monet, & ab mertibus & ignauis, euentus uariantæ fortuna, superatos aliquoties uiros fuisse præstantes.

Illud uero eminere inter præcipuas laudes, cum potestas in gradu, uelut sub iugum missa nocendi sæuiendique cupiditate & irascẽdi, in arte victoris animi trophæum erexit gloriosum. Vt autẽ in externis bellis hic princeps fuit saucius & afflictus, ita prospere sucædentibus pugnis ciuilibus tumidus, & intestinis ulceribus Reip. sanie perfusus horrenda: quo prauo proposito magis quàm recto uel usitato, triumphales arcus ex clade prouinciarum sumptibus magnis erexit in Gallijs & Pãnonijs, titulis gestorum affixis, se, quoad stare poterunt monumenta, lecturis. Vxoribus ac spadonum gracilentis uocibus & palatinis quibusdam numiũ quãtum addictus, ad singula eius uerba plaudẽtibus, & quid ille aiat uel neget, ut assentiri possint, obseruantibus. Augebat etiam amaritudinem tẽporum flagitatorum rapacitas inexpleta, plus odiorum ei, quàm pecuniæ conferentium. Hóque multis intolerãtius indebatur, quòd nec causam aliquando audiuit, nec prouinciarum indẽnitati prospexit, cum multiplicatis tributis & uectigalibus uexarentur. Erátque super his adimere facilis quæ donabat, Christianam religionem absolutam & simplicem anili superstitione confundens: in qua scrutanda perplexius, quàm componenda grauius, excitauit dissidia plurima, quæ progressa fusius alunt concertatione uerborũ: ut cæteris antistitum iumentis publicis ultro citróque discurrentibus per synodos quas appellant, dũ ritum omnem ad suum trahere conantur arbitrium, rei uehicularis succideret neruos. Figura tali situque membrorum: Subniger, lucæ oculorum edita, cernénsque acutum, molli capillo, rasis assidue genis lucentibus ad decorem usque, ad pubem ab ipsis colli confinijs longior, breuissimis cruribus & maurus. unde saltu ualebat & cursu. Pollinctum igitur corpus

defuncti, conditúmque in loculis, Iouinianus etiã tum protector domesticus, cum regia prosequi pompa Cõstantinopolim usque iussus est, prope necessitudines eius humandum: eíque uehiculo insidenti, quod portabat reliquias, ut principibus solet, annonæ militaris offerebantur indicia, ut ipsi nominant proba, & animalia publica monstrabãtur, & ex usu crebrescebant: occursúsque, & alia similia, eidem Iouiano imperium quidem, sed cassum & umbratile, ut ministro rerum funebrium portendebant.

AMMIANI MARCELLINI RERVM GESTARVM LIB. XXII.

D

VM *hæc in diuersa parte terrarum fortunæ struunt uolubiles casus, Iulianus inter multa, quæ per Illyricum agitabat exta rimabatur assidue, auésq; suspiciens præscire festinabat accidentium finem: sed responsis ambiguis & obscuris hærebat futurorum incertus. Eíque tãdem aruspicinæ peritus Apruncalus Gallus orator, promotus rector postea Narbonensis, nuntiauit euentus, inspectu iecoris ut aiebat ipse prædoctus, quod operimento duplici uiderat tectum. Cúmque ille timeret ne cupiditati suæ congruẽtia fingerẽtur, atq; ideo mœstus, omen multo præsentius ipse conspexit, quod excessum Constantij clare mõstrabat. Eodẽ enim pũcto, quo idẽ obierat in Cilicia, lapso militẽ, qui se incessurũ equo dextra manu erexit, humique prostrato, exclamauit iliico audiẽtibus multis, cecidisse qui eũ ad culmen extulerat celsum. Et quãquam hæc lætifica sciret, uelut fixa tamen firmitate cõsistens, intra terminos Daciæ se continebat, sic quoque plurima per-*

timescens. nec enim cautũ ducebat coniecturis credere, forsitan in contrariũ erupturis. Inter quæ tam suspẽsa aduenere subito missi ad eũ legati, Theolaiphus atq; Aligildus, defunctum Constantium nuntiãtes, addẽtesque quòd eum uoce suprema successorem suæ fecerit potestatis. Quà re cognita, post exẽptos periculorũ æstus, & bellicarũ solicitudinum turbas, in immensum elatus, iámq; uaticinijs credẽs, & æleritatem negotijs suis aliquoties profuisse expertus, edixit iter in Thracias, motisque propere signis emẽsa declinitate Sucorũ, Philippopolim petijt Eumolpiada uetere, alacri gradu sequẽtibus quos duxerat cunctis. aduertebãt enim imperiũ, quod ereptũ ibant cũ ultimorum metu discriminum, præter spem ordinario iure concessum, útque solet fama nouitates augere, properabat exinde sublimior, ut quodam Triptolemi curru, quem ob rapidos circungressus aeris serpentibus pinnigeris fabulosa uetustas imponit, pérque terras & maria formidatus, nullis obstantibus muris, Heracleã ingressus est Perinthum. Quo apud Cõstantinopolim mox comperto, effundebatur ætas omnis & sexus, tanquam demissum aliquem uisura de cælo. Exceptus igitur tertio Iduum Decembriũ uerecundis senatus officijs, & popularium cõsonis plausibus, stipatúsque armatorum & togatorum agminum, uelut acie ducebatur instructa: omniũ oculis in eum non modo contuitu destinato, sed cum admiratione magna defixis: omini enim propius iudebatur, adultũ adhuc iuuenem, exiguo corpore, factis præstantem ingentibus, post cruentos exitus regum & gentium, ab urbe in urbem inopina uelocitate transgressum, quaquà incederet accessione opũ & uirium Famæ instar cuncta facilius occupasse: principatum denique deferente nutu cælesti absque ulla publicæ rei suscepisse iactura. Breui

deinde Secundo Sallustio promoto præfecto prætorio summam quæstionum agitãdarum, ut fido commusit, Mamertino, & Arbitione, & Agilone atque Neuita adiunctis, itidémque Iouino magistro equitũ per Illyricum recens prouecto. qui omnes transgressi Chalædona præsentibus Iouianorum Herculianorúmq; principijs & tribunis causas uehemẽtius æquo bonóque spectauerũt, præter paucas, in quibus ueritas reos nocentissimos offerebat. & Palladiũ primum ex magistro officiorũ in Britannos extermina rũt, suspicione tenus insimulatum, quædam in Gallũ com posuisse apud Constantium, dum sub eodem Cæsare officiorũ esset magister. Dein Taurum ex præfecto prætorio in exiliũ egere Verœllum: cuius factũ apud iudices iustorũ iniustorúmque distinctores uideri potuit ueniæ plenũ. Quid enim deliquit, si ortum turbinem ueritus ad tutelam principis sui cõfugit? & acta super eo gesta non sine magno legebantur horrore, cum id uolumnis publici contineret exordium, Cõsulatu Tauri & Florẽtij, inducto sub præconibus Tauro. Ad exitium itidem tale Pentadius trahebatur: cui id obiectum est, quod à Constantio missus notis exæpit, quæ propinquantæ pernicie super multis interrogatus responderat Gallus. Sed cum se iuste defenderet, tandem abijt innoxius. Iniquitatæ simili Florentius tunc magister officiorũ, Nigriniani filius, contrusus est in insulam Dalmatiæ Boas. alter enim Florentius ex præfecto prætorio cõsul etiã tum, rerũ mutatione subita territus, & cũ coniuge periculis exemptus diu delituit, nec redire ante mortem potuit Iuliani. capitis crimine tamen damnatus est absens. Pari sortæ Euagrius comes rei priuatæ, & Saturninus ex aula palatij, & Cyrinus ex notario, trãsportati sunt in exiliũ. Vrsuli uero necem largitionum comitis, ipsa mihi uide-

tur flesse iustitia, imperatorem arguens ut ingratum. Cum enim Cæsar in partes mitteretur Occiduas omni tenacitate strinqendus, nullaque potestate militi quicquã donandi delata, ut pateret ad motus asperior exercitus, hic idem Vrsulus datis literis ad eum qui Gallicanos tuebatur thesauros, quicquid poscæret Cæsar, proculdubio æsserat dari. Quo extincto, cum maledictis execrationibusque multorum se Iulianus sentiret expositum, impurgabile crimen excusari posse existimans, absque conscientia sua hominem affirmabat occisum, prætẽdens quòd eum militaris ira deleuit, memor quæ dixerat, ut antè retulimus, cum Amidam uidisset excisam. Ideóque timidus uidebatur uel parum intelligens quid conueniret, cum Arbitionem semper ambiguum & prætumidũ his quæstionibus præfecisset, alijs specie tenus cum principijs legionum præsentibus: quẽ primum omnium saluti suæ nouerat obiectum, ut decuit victoriarum ciuilium participem futurum. Et quanquam hæc quæ uellimus, eius displicuere fautoribus, sequentia tamen seueritatis recto uigore sunt gesta. Apodemium enim exagentem in rebus, quem in Siluani necem & Galli effrenatius arsisse docuimus, Paulúmque notariũ cognomento Carenam, cum multorum gemitu nominandum, uiuos, qui sperari debuit, oppressit euentus. Eusebium super his, cui erat Constantiani thalami cura commissa, altè spirantem & dirum addixere pœnæ letali: quem ab ima sorte adusque iubendum imperatori penè elatum, id óque intolerabilem, humanorum spectatrix Adrastia, aurem (quod dicitur) uellens, monénsque ut castigatius uiueret, reluctantem præcipitem tanquam è rupe quadam egit excelsa. Cõuersus post hæc princeps ad Palatinos omnes omnino qui sunt, quique esse possunt, non ut philosophus indagandæ

ueritatis professor. Laudari enim poterat, si saltem moderatos quosdam licet paucos retinuisset, morumque probitate compertos. Nanque fatendum est plerãque eorum partem ustiorum omnium seminarium fusius aluisse, ita ut remp. inficerent cupiditatibus prauis: plúsque exemplis, quàm peccandi licentia lederent multos. Pasti enim ex his quidam templorum spolijs, & lucra ex omni odorantes occasione, ab egestate infima ad saltum sublati diuitiarum ingentium, nec largiendi, nec rapiendi, nec absumendi tenuere aliquem modum, aliena inuadere semper adsuefacti. Vnde fluxioris uitæ initia pullularunt, & periuria: & nullus existimationis respectus, deménsque superbia fidem suam probrosis quæstibus polluebat. Inter quæ eluuies & gurgites creuere prærupti conuiuiorum, & pro victorialibus epulares triumphi: usúsque abũdantis serici, & textiles auctæ sunt artes, & culinarũ solicitior cura, & ambitiosa ornatarum domorũ exquisita sunt spatia, quorum mensuram si in agris consul Quintius possedisset, amiserat etiam post dictaturam gloriam paupertatis. quibus tam maculosis accessere flagitia disciplinæ castrensis, cum miles cantilenas meditaretur pro iubilo molliores: & non saxum erat, ut antehac, armato cubile, sed pluma & flexiles lectuli, & grauiora gladijs pocula. testa enim bibere iam pudebat. & quærebantur ædes marmoreæ, cum scriptum sit antiquitatibus, Spartanum militem coercitum acriter, quòd procinctus tempore ~~cursus sit~~ uideri sub tecto. Adeo autem ferox erat in suos illis temporibus miles & rapax, ignauus uero in hostes & fractus, ut per ambitionẽ otiúmque opibus partis, auri & lapillorũ uarietates discerneret scientissime, contra quàm reces memoria tradidit. Notum est enim, sub Maximiano Cæsare uallo regis Persarũ

direpto, gregariũ quendam post sacculũ Parthicum, in quo erãt margaritæ, repertũ, proiectis imperitia gemmis, abisse pellis nitore solo contẽtum. Euenerat ijsdẽ diebus, ut ademendũ imperatoris capillũ tonsor uenire præceptus, introiret quidã ambitiose uestitus. Quo uiso, Iulianus obstupuit, Ego, inquit, nõ rationalẽ iussi, sed tonsorẽ acciri. interrogatus tamen ille, quid haberet ex arte compẽdij, Vicenas diurnas respõdit annonas, totidémq; pabula iumentorum (quæ uulgo dictitant capita) & annuum stipendiũ graue absque fructuosis petitionibus multis. Vnde motus, omnes huiusmodi cum cocis simulibúsque alijs, eadẽ accipere penè consuetos, ut parum sibi necessarios, data quò uelint eundi potestate, proiecit. Et quanquã à rudimentis pueritiæ primis inclinatior erat erga numinum cultum, paulatimq; adolescens desiderio rei flagrabat multa metuens, tamen agitabat quædam ad id pertinentia, quantum fieri poterat occultissime. Vbi uero abolitis quæ uerebatur, adesse sibi liberum tempus faciendi quæ uellet, aduertit, pectoris patefecit arcana: & planè absolutis decretis, aperiri templa, arísque hostias admoueri & reparari deorum statuit cultum. Vtque dispositorum roboraret effectum, dissidentes Christianorũ antistites cum plebe discissa in palatium introiussos monebat, ut ciuilibus discordijs cõsopitis, quisq; nullo uetãte religioni suæ seruiret intrepidus: quod agebat ideo obstinate, ut dissensiones augentæ licentia non timeret unanimantem postea plebem, nullas infestas hominibus bestias ut sunt sibi feralibus plerisque Christianorum expertus. sæpéque dictitabat, Audite me quẽ Alemanni audierũt & Franci: imitari putans Marci principis ueteris dictum. sed parum aduertit hoc ab eo nimiũ discrepare. Ille enim cum Palæstinam trãsiret AEgyptũ petens,

fœtentium Iudæorum & tumultuantiũ sæpe tædio percitus, dolenter dicitur exclamasse, ô Marcomanni, ô Quadi, ô Sarmatæ, tandem alios uobis inquietiores inueni. Per hoc idem tempus rumoribus exciti uariis, AEgyptij uenere complures, genus hominum controuersum, & adsuetudine perplexius litigandi semper lætissimum, maximéque auidũ multiplicatum reposcere, si compulsori quicquam dederit, ut leuari debito possit, uel cœrtæ commodius per dilationem inferre quæ flagitantur, aut criminis iutandi formidine, diuites pecuniarum repetundarum interrogare. Hi omnes densati in unum principem & præfectos prætorio graculorum more strepentes interpellabant incondite, modo non ante septuagesimum annum extorquentes quæ dedisse se iure uel secus plurimis adfirmabant. Cúmque nihil aliud agi permitterent, edicto proposito, uniuersos iussit transire Chalcedona, pollicitus quòd ipse quoque protinus ueniret, eorum negotia finiturus. Quibus transgressis, mandatum est nauigiorum magistris ultro citróque discurrentium, ne quis transfretare auderet AEgyptium. hócque obseruato cura propensiore, euanuit pertinax calũniandi propositum, & omnes spe præsumpta frustrati redierũt in lares: unde uelut æquitate ipsa dictante, lex est promulgata, qua cauetur nullum interpellari suffragatorem super his, quæ eum recte constiterit accepisse. Allapso itaque Calendarum Ianuarium die, cum Mamertini & Neuitæ nomina suscepissent paginæ consulares, humilior principis uisus est in officio pedibus gradiendo cum honoratis: quod laudabant alij, quidam ut affectatum & uile carpebant. Dein Mamertino ludos edẽte Circænses, manumittendis ex more inductis per admissionum proximum, ipse lege agi dixerat, ut solebat: statimq; admonitus iuris-

dictionem eo die ad alterum pertinere, ut errato obnoxiã Decembris auorum & ipse mutaui. Frequentabant inter hæc curiam agendo diuersi, diuersásque occasiones multiplices ingrebãt. Et cum die quodam ei causas ibi spectanti uenisse nuntiatus esset ex Asia philosophus Maximus, exilium indecore: & qui esset oblitus, effuso cursu à uestibulo longe progressus, exosculatum susceptúmque reuerenter secum induxit, per ostentationem intempestiuam nimius captator manis gloriæ usus, præclarique illius dicti immemor Tulliani, quo tales notando ita relatum est: Ipsi illi philosophi, etiam in his libris quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum scribunt, ut in eo ipso quòd prædicationem nobilitatémque despiciunt, prædicari de se ac se nominari uelint. Haud multo demceps, duo agentes in rebus ex his qui proiecti sunt, eum adiere fidentius, promittentes latebras monstrare Florentij, si eis gradus militiæ redderetur: quos incessens delatoréque appellãs, addebat nõ esse imperatorium obliquis flecti indicijs ad retrahendum hominem mortis metu absconditum, qui fortè non diu latitare citra spem ueniæ permitteretur. Aderat his omnibus Prætextatus, præclaræ indolis grauitatisque priscæ senator, ex negotio proprio fortè repertus apud Cõstantinopolim, quẽ arbitrio suo Achaiæ proconsulari præfecerat potestate. Nec tamen cum corrigendis ciuilibus ita diligenter instaret, omisit castrensia, rectores militibus diu exploratos adponens, urbes quinetiam per Thracias omnes cum munimentis reparans extinus, curánque solicitè ne arma uel indumenta, uel stipendium, uel alimenta deessent his quos per superciliа Istri dispersos, excursibusque barbarorum oppositos, agere uigilanter audiebat & fortiter. Quæ cum ita diuideret, nihil segnius agi permit-

tēs, suadētibus proximis ut aggrederetur propinquos Gothos sæpe fallaces & perfidos, hostes quærere se meliores aiebat. Illis enim sufficere mercatores Galatas, per quos ubique sine conditionis discrimine uenundātur. Hæc eum curantē & talia commēdabat externis nationibus fama, ut fortitudine, sobrietate, rei militaris scientia, uirtutiūque omniū incrementis excelsum: paulatimq; progrediēs ambitum oppleuerat mundi. Proinde timore eius aduētus per finitimos lōgēque distantes latius explicato, legationes undique solicitæ ad eum concurrebant: hinc Transtigritanis pacem obsecrantibus & Armenijs, inde nationibus Indicis certatim cum donis optimates mittentibus ante tempus abusque Indis & Serindis: ab Australi plaga ad famulādum rei Romanæ semet offerentibus Mauris: ab Aquilone & regionibus Solis, per quas in mare Phasis accipitur, Bosphoranis alijsque antehac ignotis legationes uehentibus supplices, ut annua complentes solennia intra terrarum genitaliū terminos otiose uiuere sinerentur. Appositum est (ut existimo) tēpus ad has partes nos occasione magni principis deuolutos super Thraciarum extimis, sitúque Pōtici sinus uisa uel lecta quædā perspicua fide monstrare. Athos in Macedonia mōs ille præcelsus nauibus quōdam Medicis peruius, & Caphareus Euboicus scopulus, ubi Nauplius Palamedis pater classem concidit Argiuam, licet lōgo spatio cōtroversi à Thessalo mari distinguunt AEgæum: quod paulatim fusius adolescens, dextra quà late protēditur per Sporadas est insulosum, atq; Cycladas, ideo sic appellatas, quòd omnes ambiūt Delon patriā deorū insignē: læua Imbrum & Tenedū circumluēs, & Lēnum & Thasum, quādo perflatur Lesbo illiditur uolentius. Vnde gurgitibus refluis Apollinis Sminthij templū & Troada per-

stringit, & Iliũ hercicis casibus clarum: efficitq; Melanasinum oppositum Zephyro: cuius apud principium Abdera uisitur Protagoræ domiciliũ & Democriti, cruentæque Diomedis Thracij sedes, & conualles per quas Hebrus sibi miscetur, & Maronea ac AEnus, quà diris auspicijs cœpta móxque relicta ad Ausoniã uetterem ductu numinum properauit AEneas. Hinc gracilescẽs paulatim, & uelut naturali quodã commercio ruens in pontum, eiusque partem ad se iungens, in speciem φ Græcæ literæ formatur: & in Hellespõto à Rhodopa scindens Cynossema, ubi sepulta creditur Hecuba, & Cælan præterlabitur & Sestõ & Callipolin: contra per Achillis Aiacisque sepulchra Dardanum contingit & Abydon, unde iunctis põtibus Xerxes maria pedibus peragrauit. deinde Lãpsacum Themistocli dono datam à rege Persarum, & Parion quam condidit Iasonis filius Paris. unde semiorbe turgescens altrinsecus, latàq; aperiens terrarum diuortia, circunfluis spatijs Propontidos respergit ex eo latere Cyzicum & Dindyma religiosa matris magnæ delubra, & Apamiam Cilmque, & Astacum secuto tempore Nicomediam à rege cognominatam. quà in occasum procedit, Cherronesum pulsat & AEgos potamos, in quo loco lapides casuros ex cælo prædixit Anaxagoras, & Lysimachiam, & ciuitatem quam Hercules conditam Perinthum comitis sui memoriæ dedicauit. & ut effectæ plenæque φ literæ figura seruetur, in meditullio ipso rotunditatis Proconnesus insula est oblonga & Besbicus. post cuius summitatem in angustias rursus extenuatum, Europam & Bithyniam intercurrens, per Chalædona, Chrysopolim & stationes transit obscuras. nam supercilia eius sinistra Athyras portus despectat & Selymbria, & Constantinopolis uetus Byzantium Atticorum colonia,

& promontorium Ceras *prælucẽtem nauibus uehens constructam* ælsius *turrim, quapropter* Pharos *appellatur: & uetus inde fons* Euripus *prægelidus*. Hoc *modo fractũ & participatione maris utriusque finitũ, iámque mitescẽs in æquoream panditur faciem, quantum potest cadere sub aspectum late diffusum & longe. Omnis autem eius uelut insularis circuitus littorea nauigatio uiginti tribus dimensa millibus stadiorũ, ut* Eratosthenes *affirmat, &* Hecatæus, *&* Ptolemæus, *alijque huiusmodi cognitionũ scientissimi scitatores, in speciem* Scythici arcus *neruo coagmentati geographiæ totius assensione formatur. Et quà sol oceano exurgit* Eoo, *paludibus clauditur* Mæotidos: *quà declinat in uesperum,* Romanis *prouincijs terminatur: unde suspicit sidus arctoum, homines alit linguis & moribus dispares. Latus eius austrinũ molli uexitate subductum. Per hæc amplissima spatia, oppida sunt dispersa* Græcorum, *quæ cuncta ætatibus uarijs, præter pauca,* Athenienſium *coloni condidere* Milesij, *inter* Ionas *alios in* Asia *per* Nileum *multo ante locati,* Codri illius *filium, qui se pro patria bello fertur* Dorico *deuouisse. Extremitates autem arcus utrinque tenues duo exprimunt* Bosphori, *è regione sibi oppositi* Thracius *&* Cimmerius, *hac causa* Bosphori *uocati, quòd per eos quondam* Inachi *filia mutata (ut poetæ loquuntur) in bouem, ad mare* Ionium *permeauit. Dextriũ igitur ad* Mæotim Bosphori Thracij *excepit* Bithynia *latus, quam ueteres dixere* Mygdoniam: *in qua* Thynia *&* Mariandena *sunt regiones, &* Amyci *sæuicia* Bebryces *exempti uirtute* Pollucis, *remotáque statio, in qua uolitantes minaciter harpyias* Phineus *uates horrebat: per quæ littora in sinus oblongus curuata* Sangarius *&* Sulis, Bizes *&* Rhebas *fluuij funduntur in maria: quibus conuro-*

uersæ extraneæ sunt Symplegades, *gemini scopuli in uertices undiq; porrecti diruptos, assueti priscis seculis obuiã sibi cum horrendo fragore collisis molibus ferri, cadentésque retrorsus acri assultu ad ea reuerti quæ pulsarant. per hiatus saxorum dehiscentium concursantiúmque crebritates, si etiam ales interuolasset, nulla celeritate pinnarum eripi poterat, quin interiret oppressa. hi scopuli cum eos Argo prima omniũ nauis Colchos ad direptionem aurei properans uelleris, præterisset innoxia, immobiles turbine circunfracto stetere concorporati, ut eos aliquando fuisse diręptos nulli nunc conspicantium credant, nisi super hoc congruerent omnes priscorum carminum cantus. Post Bithyniæ partem, prouinciæ* Pontus *&* Paphlagonia *protenduntur, in quibus* Heraclea *&* Sinope *&* Polemonion *&* Amysos *amplæ sunt ciuitates, &* Tios *&* Amastris, *omnes ab auspicio diligentia fundatæ* Græcorũ. *&* Cerasus, *unde aduexit huiusmodi poma* Lucullus, *insulæq; arduæ* Trapezunta *&* Pityunta *continentes oppida non obscura.* Vltra *hæc loca* Acherusium *specus est, quod* ἀκόλαι μυχοτόντιον *appellant, &* portus Acone, *fluuij diuersi,* Acheron *idémque* Archadius *&* Iris *&* Tembrius, *&* iuxta Partheniu*s, omnes in mare ictu rapido decurrẽtes.* Thermodoõ *his est proximus, ab* Armonio *defluens montę, &* Themiscyreos *interlabens lucos: ad quos* Amazonas *quondã migrare necessitas subegerat talis:* Attricis *damnorũ assiduitate finitimis,* Amazones *ueteres quæ eos cruentis populabãtur incursibus, altiora spirabant: uiréque suas circunspectantes hísque propinqua, sæpius appetebant ualidiores raptæ præcipiti cupiditatis ardore. & perruptis nationibus plurimis manus* Athenienſibus *intulerunt: acrique concertatione fusæ ac disiectæ, omnes nudatis equita-*

tus sui lateribus corruere. Harum interitu cognito, residuæ imbelles domi relictæ, extrema perpessæ uicinitatis, & repensantes similia, funestos impetus declinantes, ad pacatiorem sedem transiere Thermodoontis: *quarum progenies longe deinde propagata per numerosam sobolem, manu firmissima ad loca reuertere at genitalia, secuto tempore populis diuersarum originum formidabilis. Haud procul inde attollitur* Carambis *placidi collis contra* Septẽtrionem Elicen *exurgens, cuius è regione est* Criumetopon Tauricæ promontorium *duobus millibus & quingentis stadijs disparatum. Hócque ex loco omnis ora maritima, cuius initium* Halis *est amnis, uelut lõgitudine lineali directa, neruii efficit speciem, duabus arcus summitatibus complicati. His regionibus* Dahæ *confines sunt acerrimi omnium bellatores, &* Chalybes, *per quos erutum & domitum est primitus ferrum. Post quos terras patentes* Byzares *obtinent, &* Tapyres, *&* Tibareni, *&* Mossynœci, *&* Macrones, *&* Philyres, *populi nulla nobis assuetudine cogniti: à quibus breui spatio distant uirorum monimenta nobiliũ, quibus* Sthelenus *est humatus, &* Idmon, *&* Typhis: *primus* Herculis *socius* Amazonico *bello letaliter uulneratus, alter augur* Argonautarum, *tertius eiusdem nauis cautissimus rector. Præterursis partibus memoratis,* Alion antron *est, & fluenta* Callichori *ex facto cognomuna: quòd superatis post triennium* Indicis *nationibus, ad eos tractus* Liber *reuersus, circa huius ripas uirides & opacas* Orgia *pristina reparauit & choros. Trieterica huiusmodi sacra quidam existimant appellari. Post hæc confinia* Camaritarum *pagi sunt cælebres, &* Phasis *fremibundis aursibus* Colchos *attingit,* AEgyptiorum *antiquam sobolem: ubi inter ciuitates alias* Phasis *est nomine fluuij dictitata,*

& Dioscurias nunc usq; nota. cuius autores Amphitus & Telchius Spartani traduntur, aurigæ Castoris & Pollucis, à quibus Heniochorum natio est instituta. Paulum ab his secernuntur Achæi, qui bello anteriore quodam apud Troiam consummato, non cum super Helena certaretur, ut autores prodidere nonnulli, in Pontum reflantibus uētis errore delati, cunctisque hostilibus stabilem domicilijs sedem nusquam reperientes, uerticibus montium insedere semper niualium: & horrore cæli districti, uictum sibi cum periculis rapto parare assuefacti sunt: atque eo ultra omnem deinde ferociam sæuierunt. Super Cercetis, qui ijsdem annexi sunt, nihil memoratu traditur dignum. Quorum post terga Cimmerici agitant incolæ Bosphori, ubi Milesiæ sunt ciuitates, harumque uelut mater omnium Panticapæum: quam prætexit Hypanis fluuius genuinis intumescens aquis & externis. Itineribus hinc extensis, Amazones adusque Caspium mare porrectæ circuncolunt Tanaim: qui inter Caucasias oriens rupes, per sinuosos labitur circunflexus, Asiámque disterminans ab Europa in stagnis Mæoticis delitescit. huic Rha uicinus est amnis, in cui supercilijs quædam uegetabilis eiusdem nominis gignitur radix, proficiens ad usus multiplices medelarum. Vltra Tanaim panduntur in latitudinem Sauromatæ, per quos amnes fluunt perpetui, Maracus & Rhombites & Theophanes & Totordanes. Licet alia quoque distans immanibus interuallis Sauromatarum prætenditur natio, littori iuncta, quod Coracem suscipiens fluuium in æquor eiectat extremum. Propè palus est Mæotis amplissimu circūgressus: ex cuius uberrimis uenis per Patares angustias undarum magnitudo prorūpit in Pontum: cuius in dextro latere insulæ sunt Phanagorus & Hermonassa, studio constructæ

Græcorum. Circa hæc stagna ultima extimáque plures habitant gentes, sermonum institutorúmque uarietate dispariles: Iaxamatæ & Mæotæ & Iazyges, Roxolanique & Alani & Melanchlænæ, & cum Gelonis Agathyrsi, apud quos adamantis est copia lapidis, alij'que ultra latentes, quòd sunt omnium penitissimi. Sed Mæotidos lateri læuo Cherronessus est propinqua, coloniarum plena Græcarũ. Vnde quieti sunt homines & sedati, adhibentes uomeri curam, & prouentibus fructuarijs uictitantes. A quibus per uaria regna diducti itineribus modicis Tauri dissociãtur. inter quos immani diritate terribiles Arimchi, & Simchi & Napæi, intendente sæuitiam licentia diuturna, indidere mari nomen inhospitali: & à contrario per cauillationem pontus Euximus appellatur, ut Euethem Græce dicimus stultum, & noctem Euphronen, & furias Eumenidas. Dijs enim hostijs litantes humanis & immolãtes aduenas Dianæ, quæ apud eos dicitur Orsiloche, cæsorum capita fani parietibus præfigebant, uelut fortium perpetua monumenta facinorum. In hac Taurica, insula Leucæ sine habitatoribus ullis Achilli est dedicata. In quam si fuerint quidam forte delati, usis antiquitatis uestigijs, templóque & donarijs eidem heroi consecratis, uesperi repetunt naues: aiunt enim non sine discrimine uitæ illic quenquam pernoctare. Ibi & aquæ sunt, & candidæ aues nascuntur halcyonibus similes: super quarum origine & Hellespontiacis prælijs tempore disseremus. Sunt autem quædã per Tauricam ciuitates, inter quas eminet Eupatoria, & Dandacæ, & Theodosia, & minores aliæ nullis humanis hostijs impiatæ. Hactenus arcus apex protendi existimatur. eius nunc residua leniter sinuata, subiectáque ursæ cælesti adusque læuum Bosphori Thracij latus, ut ordo postulat exe-

quemur:id admonentes, quòd cum arcus omnium gẽtium flexis aruentur hastilibus, Scythici soli uel Parthici circun ductis utrinque introrsus pandis & patulis cornibus effi giem lunæ decrescentis ostendunt, medietatem recta & ro tunda regula diuidẽte. Ergo in ipso huius cõpagis exordio, ubi Riphæi deficiunt montes, habitant Arimaspi iusti homi nes, placiditatéque cogniti, quos amnes Chronius & Bisu la præterfluit: iuxtáque Massagetæ, Alani & Sarmatæ, alij que plures obscuri: quorũ nec uocabula nobis sunt no ta, nec mores. Interiectu deinde non mediocri, Carcinites panditur sinus, eiusdémque nominis fluuius, & religiosus per eas terras Triuiæ lucus. Dein Borysthenes à montibus oriens Neurorum primigenijs fontibus copiosus, concursúque multorum amnium adolescens, mari præruptis undarum uerticibus intimatur: cuius in marginibus nemo rosis Borysthenes est ciuitas, & Cephalonesus, & aræ Alexandro Magno, Cæsaríque Augusto sacratæ. Longo exinde interuallo penè est insula, quam incolunt Sindi ignobiles, post heriles in Asia casus coniugijs potiti dominorũ & rebus: quibus subiectum gracile littus Achilleos uocant indigenæ Dromon, exercitijs ducis quondam Thessali memorabilem. eíque proxima est ciuitas Tyros colonia Phœnicum, quam præstringit fluuius Tyras. In medio autem spatio arcus, quod prolixæ rotunditatis esse prædiximus, quódque expedito uiatori diebus conficitur quindecim, Europæi sunt Alani, & Costobocæ, gentésque Scytharum innumeræ, quæ porriguntur adusque terras sine cognito fine distentas: quarum pars exigua frugibus alitur: residuæ omnes palantes per solitudines uastas, nec stiuam aliquando, nec sementem expertas, sed squalẽtes & pruinosas ferarum tetro ritu uescuntur: eísque caritates & ha

bitacula uilésque supellectiles plaustris impositæ sunt cor ticibus tectis: & cum placuerit sine obstaculo migrant, eo dem carpenta quò libuerit, conuoluentes. Cum autem ad alium portuosum ambitum fuerit uentum, qui arcus figurã determinat ultimam, Peucæ prominet insula, quam circuncolunt Troglodytæ & Peucini minoréſq; aliæ gentes, & Istros quondam potentissima ciuitas, & Tomi, & Apollonia, & Anchialos, & Odissos: aliæ præterea multæ, quas littora continent Thraciarũ. Amnis uero Danubius oriẽs prope Rauracos montes, confines limitibus Rheticis, per latiorem orbem protentus, ac sexaginta nauigabiles penè recipiens fluuios, septem ostijs per hoc Scythicum littus erũpit in mare. quorum primum est Peucæ insula supradicta, ut interpretata sunt uocabula Græco sermone, secundum Naracustoma, tertium Calonstoma, quartum Pseudostomõ. Nã Boreonstoma ac deinde Stenostoma longe minora sunt cæteris: septimum ingens & palustri specie nigrũ. Omnis autem circunfluo ambitu Pontus, & nebulosus est, & dulcior æquoribus cæteris, & uadosus: quòd cõcrescit aer ex humorum spiramine sæpe densatus, & irruentium undarum multitudine temperatur, & consurgit in breuia dorsuosa, limum globósque aggerẽte multitudine circunuenientium fluentorũ. Et constat ab ultimis nostri finibus maris agminatim ad hunc secessum pariendi gratia petere pisces, ut aquarum suauitate salubrius fœtum educant, in receptaculis cauis quæ sunt ibi densissima, securi uoracium beluarum: nihil enim in Ponto huiusmodi aliquando est uisum, præter innoxios delphinas & paucos. Quicquid autem eiusdem Pontici sinus Aquilone cæditur & pruinis, ita perstringitur gelu, ut nec amnium cursus subteruolui credantur, nec per infidum & labile solum gres

ſus hominis poſſit uel iumenti firmari, quod uitium nunquam mare ſynœrum, ſed permixtum aquis amnicis tentat. Prolati aliquorſum longius quàm ſperabamus, pergamus ad reliqua. Accesserat aliud ad gaudiorum præſentium cumulum, diu quidem ſperatum, ſed dilationum ambage multiplici tractum. Nuntiatum eſt enim per Aglonem & Iouium poſtea quæſtorem, Aquileiæ defenſores longiore obſidij tædio, cognitóque Conſtantij exceſſu, patefactis portis egreſſos autores prodidiſſe turbarum: ijſdémque uiuis exuſtis, ut ſupra relatum eſt, omnes concesſionem impetraſſe delictorum & ueniam. At proſperis Iulianus elatior, ultra homines iam ſpirabat, periculis expertus aſſiduis quòd ei urbem Romanam placide iam regenti, uelut mundanam Cornucopiam fortuna geſtans propitia, cuncta glorioſa deferebat & proſpera, antegreſſis uictoriarum titulis hæc quoque adijciens: quòd dum teneret imperium ſolus, nec motibus internis eſt concitus, nec barbarorum quiſquam ultra ſuos exiliuit fines: & populi omnes auiditate ſemper inſectandi præterita, ut damnoſa & noxia, in laudes eius ſtudijs miris accendebantur. Omnibus igitur, quæ res diuerſæ poſcebant & tempora, perpenſa deliberatione diſpoſitis, & multibus orationibus crebris, ſtipendióque competenti ad ea expedienda incitanti promptius animatis, cunctorum fauore ſublimis Antiochiã ire contendens, reliquit Conſtantinopolim incrementis maximis fultam: natus enim illic, diligebat eam ut genitalem patriam & colebat. Tranſgreſſus itaque fretum, præterculſa Chalcedona & Libyſſa, ubi ſepultus eſt Annibal Pœnus, inde Nicomediam uenit urbem antehac inclytam, ita magnis retro principum amplificatam impenſis, ut ædiũ multitudine priuatarũ & publicarũ recte noſcẽtibus regio

quædam Vrbis æstimaretur æternæ. *Cuius mœnia cũ uidisset in fauillas miserabiles consedisse, angorem animi citis fletibus indicans, pigriori gradu pergebat ad regiam: hoc maxime ærumnis illachrymans, quòd ordo squalens occurrit populi nimium quantum antehac florentissimus: & agnoscebat quosdam, ibidem ab* Eusebio *educatus episcopo, quem genere longius contingebat. hic quoque pari modo ad reparanda quæ terræ subuerteret tremor abunde præstitis plurimis, per* Nicæã *uenit ad* Gallogræciæ *fines: unde dextrorsus itinere declinato,* Pessinunta *conuertit, uisurus uetusta matris magnæ delubra: A quo oppido bello* Punico *secundo, carmine* Cumano *monente, per* Scipionem Nasicam *simulachrum translatum est* Romam. *Cuius super aduentum* Italiam, *pauca cum alijs huic materiæ congruentibus in actibus* Commodi *principis digessimus per excessum: quamobrem autem hoc nomine oppidum sit appellatum, uariant rerum scriptores.* Quidã *enim figmento deæ cælitus lapso,* ἀπὸ τοῦ πεσεῖν, *quod cadere nos dicimus, urbem asseruere cognominatam.* Alij *memorãt* Ilum Trois *filium* Dardaniæ *regem, locum sic appellasse.* Theopompus *non* Ilum *id egisse, sed* Midam *affirmat,* Phrygiæ *quondam potentissimum regem.* Venerato *igitur numine, hostijsque litato & uotis,* Ancyram *redit: eúmque exinde progredientem ulterius multitudo inquietabat, pars uiolenter erepta reddi sibi poscens, alij quærentes consortijs se curiarum addictos iniuste, nonnulli sine respectu periculi agentes adusque rabiem, ut aduersarios suos læsæ maiestatis criminibus illigarent.* Verum *ille iudicibus* Cassijs *tristior &* Lycurgis, *causarum momenta æquo iure perpendens, sua cuique tribuebat, nusquã à uero abductus, acrius in calumniatores exurgens: quos oderat, multi*

torũ huiusmodi petulantem sæpe dementiam adusque discrimen expertus, dum esset adhuc humilis & priuatus: exemplúmque patientiæ eius in tali negotio, licet sint alia plurima, id unum sufficit poni. Inimicum quidam suum, cum quo discordabat, asperrime dixisse in maiestatem turbulentius deferebat. Imperatoréque dissimulãte, eadẽ diebus continuis replicans, interrogatus ad ultimum, qui esset quem argueret, respondit, municipem locupletem. Quo audito, primœps renidens, Quibus indicijs, ait, ad hoc peruenistiẽ Et ille, Purpureum, inquit, sibi indumentum ex serico pallio parat. Iussúsque post hæc ut uilis arduæ rei uilem incusans abire tacitus & innoxius, nihilominus instabat. Quo tædio Iulianus defatigatus ad largitionum comitem iussum propius, Iube, inquit, periculoso garritori pedũ tegmina dari purpurea ad aduersarium perferẽda: quem ut datur intelligi, chlamydem huius coloris memorat sibi cõsarcinasse: ut sciri possit, sine uiribus maximis quid pannuli proficiãt leues. Sed ut hæc laudãda & bonis moderatoribus æmulanda, ita illud amarum & notabile fuit, quòd ægre sub eo curialibus quisquam appetitus, licet priuilegijs & stipendiorum numero & originis penitus alienæ fortitudine cõmunitus, obtinebat æquissimum: adeo ut plerique territi emercarentur molestias pretijs clandestinis. Itineribus itaque emensis cum ad Pylas uenisset, qui locus Cappadocas discernit & Cilicas, osculo susceptum rectorem prouinciæ nomine Celsum, iam inde à studijs agnitum Atticis, ascitúmque in conessum uehiculi Tarsum secũ induxit. At hunc uidere properans Antiochiam, Oriẽtis apicem pulchrũ, usus itineribus solitis uenit: urbíq; propinquãs in specie alicuius numinis uotis excipitur, publicas miratus uoces multitudinis magnæ, salutare sidus inluxis-

se Eois partibus adclamantis. Euenerat autem ijsdem diebus annuo cursu completo, Adonia ritu ueteri celebrari amato Veneris, ut fabulæ fingunt, apri dente ferali deleto, quod in adulto flore sectarũ est indicium frugum. & ussum est triste, quòd amplam urbem principũ domicilium introeũte imperatore nũc primum, ululabiles undiq; plãctus & lugubres sonitus audiebãtur. hic patiẽtiæ eius & lenitudinis documentum leue quidẽ apparuit, sed miran dũ. Thalassium quẽdam ex proximo libellorũ insidiatorẽ fratris oderat Galli. quo adorare adesséq; officio inter honoratos prohibito, aduersarij cũ quibus litigabat in foro, postridie turba cõgregata superflua, adito imperatore, Thalassius, clamitabant, inimicus pietatis tuæ nostra uolẽter eripuit. Et ille hac occasione hominem opprimi posse conijciens, Agnosco, respondit, quẽ dicitis offendisse me iusta de causa: & silere uos interim cõsentaneũ est, dũ mihi inimico potiori faciat satis. Mandauitque assidenti præfecto, ne audiretur eorum negotium antequam ipse cum Thalassio rediret in gratiã, quod breui euenit. Ibi hyemans ex sententia, nullis interim uoluptatũ potiebatur illecebris, quibus abundãt Syriæ omnes: uerũ per speciem quietis iudicialibus causis intentus, non minus arduis quàm bellicis distrahebatur multiformibus curis, exquisita docilitate librans, quibus modis suum cuique tribueret: iustisque sententijs & improbi modicis coercerẽtur supplicijs, & innocẽtes fortunis defenderẽtur intactis. Et quãquam in disceptãdo aliquoties erat intempestiuus, quid quisque iurgantium coleret tempore alieno interrogãs: tamen nulla eius diffinitio litis à uero dissonãs reperitur: nec argui unquam potuit ob religionẽ uel quodcũque aliud ab æquitatis recto tramite deuiasse. iudicium enim hoc est optandum & re-

ctum, ubi per uaria negotiorum examina, iustum id est & iniustũ: à quo ille ne aberraret, tanquam scopulos cauebat abruptos. hoc autem ideo assequi potuit, quòd leuitatem agnoscens commotioris ingenij sui, præfectis proximisque permittebat, ut fidenter impetus suos aliorsum tendentes, ad quæ decebat monitu oportuno frænarent: monstrabátque subinde se dolere delictis, & gaudere correctione. Cúmque eum defensores causarum, ut conscium rationis perfectæ, plausibus maximis celebrarent, fertur id dixisse permotus: Gaudebam planéque me efferebam, si ab his laudarer, quos & uituperare posse aduerterem, siquid secus factum sit aut dictum. Sufficiet autem pro multis, quæ clementer egit in libibus cognoscendis, hoc unum ponere, nec abhorrens à proposito, nec absurdum. Inducta in iudiciũ fœmina quædam, cum Palatinum aduersariũ suum è numero protectorum cinctum præter spem conspexisset, hoc factũ insolens tumultuãdo querebatur: & imperator, Prosequere, ait, mulier, siquid te læsam existimas: hic enim sic cinctus est, ut expeditius per lutum incedat: parum nocere tuis partibus potest. & æstimabatur per hæc & similia, ut ipse dicebat assidue, uetus illa Iustitia, quam offensam uitijs hominum Aratus extollit in cælum, imperante eo reuersa ad terras, ni quædam suo ageret non legum arbitrio, erratisque aliquoties obnubilaret gloriarum multiplices cursus. Post multa enim etiã iura quædam correxit in melius, ambagibus circuncisis, indicantia liquide quid iuberent fieri, uel uetarent. Illud autem inclemens obruendũ perenni silẽtio, quòd arcebat docere magistros rhetoricos & grammaticos, ritus Christiani cultores. Iisdem diebus Gaudentius ille notarius, quem opponendum per Africam missum supradiximus à Constantio: Iulianus quinetiam

ex uicario, earundem partium nimius fautor, retracti sub uinculis morte periere pœnali. Tũc & Artemius ex duce Aegypti, Alexãdrinis urgẽtibus atrocium criminum mole, supplicio capitali mulctatus est. Post quẽ Marcelli ex magistro equitum & peditum filius, ut mieftans imperio manus, publica deletus est morte. Romanus quinetiã & Vincentius, scutariorum scholæ primæ secundæque tribuni, agitasse conuicti quædam suis uiribus altiora, acti sunt in exilium. Cúmque tempus intersitisset exiguum, Alexãdrini Artemij comperto interitu, quem uerebãtur ne cum potestate reuersus (id enim minatus est) multos læderet ut offensus, iram in Georgium uertẽrunt episcopum, uipereis, ut ita dixerim, morsibus ab eo sæpius appetiti. Insulio, natus ut ferebatur apud Epiphaniam Ciliciæ oppidum, auctúsque in damna cõplurium, contra utilitatem suam reique communis episcopus Alexandriæ est ordinatus, in ciuitate quæ suoptæ motu & ubi causæ non suppetunt seditionibus crebris agitatur & turbulentis, ut oraculorũ quoque loquitur fides. His efferatis hominum mentibus, Georgius quoque ipse graue accesserat incentiuum, apud patulas aures Cõstantij multos exinde incusans, ut eius recalcatrãtes imperijs, professionísque suæ oblitus, quæ nihil nisi iustum suadet & lene, ad delatorum ausa feralia desiscebat. & inter cætera dicebatur id quoque maligne docuisse Constantium, quòd in urbe prædicta ædificia cuncta solo cohærentia à conditore Alexandro magnitudine impensarum publicarum extructa, emolumentis ærarij proficere debent ex iure. ad hæc mala id quoque addiderat, unde paulo post trusus est in exitium præceps. Reuersus ex comitatu principis, cum transiret per speciosum Genij templum, multitudine stipatus ex more, flexis ad ædem

ipsam luminibus, Quãdiu, inquit, sepulchrum hoc stabit? Quo audito uelut fulmine multi perculsi, metuentésque ne illud quoque tentaret euertere, quicquid poterant, in eius perniciem clãdestinis insidijs concitabant. Ecce autem repente perlato lætabili nuntio indicante extinctum Artemium, plebs omnis elata gaudio insperato uocibus horrẽdis infrendens, Georgiũ petit: raptúmque diuersis mulctandi generibus proterens & conculcans diuaricatis pedibus. Cúmque eo Dracontius monetæ præpositus, & Diodorus quidam ueluti comes iniectis per crura funibus simul exanimati sunt: ille quòd aram in moneta quam regebat recens locatam euertit: alter quòd dum ædificandæ præesset ecclesiæ, cirros puerorum licentius detondebat, id quoque ad deorum cultum existimans pertinere, quo non contenta multitudo immanis, dilaniata cadauera peremptorum camelis imposita uexit ad lacus: ijsdémque subito igne crematis, cineres proiecit in mare, id metuens ut clamabat, ne collectis supremis, ædes illis extruerẽtur ut reliquis, qui deuiare à religione cõpulsi, pertulere cruciabiles pœnas adusque gloriosam mortem intemerata fide progressi, & nũc martyres appellantur. Poterántque miserandi homines ad crudele supplicium ducti, Christianorum adiumento defendi, ni Georgij odio omnes indiscrete flagrassent. Hoc cõperto, imperator ad uindicandum facinus nefandum erectus, iámque expetiturus pœnas à noxijs ultimas, mitigatus est lenientibus proximis: missóq; edicto, acri oratione scelus detestabatur admissum, minatus extrema, si deinde tentatum fuerit aliquid quod iustitia uetet & leges. Inter hæc expeditionem parans in Persas, quam diudum animi robore concperat celso, ad ultionem præteritorum uehementer elatus est, sciens & audiens gentem asperrimam

per sexaginta ferme annos imussisse Oriēti cædum & direptionum monumenta sæuissima, ad internecionem exercitibus nostris sæpe deletis. Vrebatur autem bellandi gemino desiderio: primo, quòd impatiens otij lituos somniabat & prælia: dem quòd in ætatis flore primæuo obiectus efferarum gentiū armis, recentibus etiam tum regum precibus & regalium, qui uinci magis posse quàm supplices manus tendere credebantur, ornamentis illustriū gloriarum inserere Parthici cognomentum ardebat. Quæ maximis molibus festinari cernentes obtrectatores desides & maligni, unius corporis permutatione tot cieri turbas intempestiuas indignum & perniciosum esse strepebāt, studium omne in differendo procinctu ponentes: & dictitabant his præsentibus, quos audita referre ad imperatorem posse rebantur, eum, ni sedatius ageret, immodica rerum secundarum prosperitate, uelut luxuriantes ubertate nimia fruges, bonis suis protinus occasurū. Et hæc diu multúmque agitantes frustra uirum circumlatrabant immobilem occultis iniurijs, ut Pygmæi uel Thiodamas agrestis homo Lydius Herculem. Ille tamen ut maioris præter cæteros spiritus, nihilo lentius magnitudinem expeditionis secum commentans, in præparandis congruis operam nauabat enixam. Hostiarum tamen sanguine plurimo aras crebritate nimia perfundebat, tauros aliquoties immolando centenos, & innumeros uarij pecoris greges, ouésque candidas terra quæsitas & mari: adeo ut indies penè singulos milites carnis distentiore sagina uictitantes multius, potúsque auiditate corrupti, humeris impositi transeuntium, per plateas ex publicis ædibus, ubi uindicandis potius quàm cædendis conuiuijs indulgebant, ad sua diuersoria portarētur, Petulantes ante omnes & Celtæ, quorum

ea tempestate confidentia creuerat ultra modum. Augebantur autem ceremoniarum ritus immodice, cum impensarũ amplitudine antehac inusitata & graui: & quisque, cum impræpeditæ licæret, scientiam uaticinandi professus, iuxta imperitus & docilis sine fine uel præstitutis ordinibus oraculorum permittebatur scitari responsa & extispicia nonnunquam futura pandentia: oscinumque & auguriorum & omnium fides, si reperiri usquam posset, affectata uarietate quærebatur. Hæcque dum ita procedunt more pacis, multorum curiosior Iulianus nouam consilij uiam ingressus est, uenas fatidicas Castalij recludere cogitans fontis: quem obstruxisse Cæsar dicitur Hadrianus mole saxorum ingenti, ueritus ne, ut ipse præcinentibus aquis capessendam Rempublicam comperit, etiam alij similia docerentur: ac statim circumhumata corpora statuit exinde transferri eo ritu, quo Athenienses insulam purgauerant Delon. Eodem tempore die XI Calendarum Nouembrium, amplissimum Daphnæi Apollinis fanum, quod Epiphanes Antiochus rex ille condidit iracundus & sæuus, & simulacrũ in eo Olympiaci Iouis imitamenti æquiparans magnitudinem, subita ui flammarum exustum est. quo tam atroci casu repente consumpto, id adusque imperatorem ira prouexit, ut quæstiones agitari iuberet solito acriores, & maiorem ecclesiam Antiochiæ claudi. Suspicabatur enim id Christianos egisse stimulatos inuidia, quòd idem templum inuiti uidebant ambitioso circundari peristylio. Ferebatur autem licet rumore leuissimo, hac ex causa conflagrasse delubrum: quòd Asclepiades philosophus, cuius in actibus Maxentij meminimus, cum uisendi gratia Iulianu ad id suburbanum uenisset, deæ Cælestis argẽteum breue figmentum

quocunque ibat secum solitus afferre, ante pedes statuit simulacri sublimes, accensisque cereis ex usu cessit: unde medietate noctis emensa, cum nec adesse quisquam potuit nec iuuare uolitantes scintillæ adhæsere materijs uetustissimis, ignésque aridis nutrimentis erecti omne quicquid contingi potuit, licet ardua discretum elsitudine, concremarunt. Eo anno, sidere etiamtum instante brumali, aquarum inæssit inopia metuēda, ut & riui cessarent quidā, & fontes antehac aquarū copiosis pulsibus abundantes: sed in integrum postea restituti sunt. Et quarto nonas Decēbres uergente in uesperam die, reliqua Nicomedia collapsa est terræmotu, itidémq; Nicææ portio non mediocris. Quæ tametsi mæstitiā solicito incuterēt principi, residua tamen non contemnebat urgentia, dum pugnandi tempus ei ueniret optatum. Inter præcipua tamen & seria illud agere superfluū uidebatur, quòd nulla probabili ratione susceptæ popularitatis amore, uilitati studebat uenalium rerum, quæ nonnunquam secus quàm conuenit ordinata inopiam gignere solet & famem. & Antiochiensi ordine id tunc fieri, cum ille iuberet, non posse, aperte monstrante, nusquam à proposito declinabat, Galli similis fratris, licet incruentus. Quocirca in eos deinceps sæuiens, ut obtrectatores & contumaces, uolumen composuit inuectiuum, quod Antiochiense uel Misopogonem appellauit, probra ciuitatis infensa mente dinumerans, addénsq; ueritati complura: post quæ multa in se facete dicta cōperiens, coactus dissimulare pro tempore, ira sufflabatur interna. Ridebatur enim ut Cercops, homo breuis, humeros extentans angustos, & barbam præ se ferens hircinam, grandiáque mændens tanquam Othi frater & Ephialtis, quorum procritatem Homerus in immensum tollit. Idémque uictimarius pro sa-

cricola dicebatur ad crebritatem hostiarum alludentibus multis: & culpabatur hinc opportune, cum ostentationis gratia uehens licenter pro sacerdotibus sacra, stipatúsque mulierculis lætabatur. Et quanquã his paribúsque de causis indignaretur, tacens tamen moiúmque in animi retinens potestate solēnia ælebrabat. Denique præstituto ferarium die Casium montem ascendit nemorosum, & tereti ambitu in sublime porrectum, unde secundis gallicinijs uidetur primi solis exortus. Cúmque Ioui faceret rem diuinam, repente conspexit quendam humi prostratum, supplici uocæ uitam precantem & ueniam. Interrogantíque ei qui esset, responsum est præsidalem esse Theodotum Hierapolitanum: qui profectum à ciuitate sua Constantium inter honoratos deducens, adulando deformiter, tanquam futurum sine dubietate uictorem orabat lachrymas fingens & gemitum, ut Iuliani ad eos mitteret caput, perduellis ingrati, specie illa qua Magnentij circuiulatum meminerat membrum. Quibus auditis, Accepi olim, inquit, hoc dictum relatione multorum: sed abi securus ad lares, exutus omni metu clementia principis, qui ut prudens definiuit inimicorum minuere numerum, augeréque amicorum spōte sua contendit ac libens. Exin sacrorum perfecto ritu digresso, offeruntur rectoris AEgyptij scripta: Apim bouem operosa quæsitum industria, tamẽ post tempus mueniri potuisse firmantis: quod, ut earum regionum existimant incolæ, faustum & ubertatem frugum, diuersáque indicat bona. Super qua repauca conueniet expediri. Inter animalia antiquis obseruationibus consecrata, Mneuis & Apis sunt notiora: Mneuis Soli sacratur, super quo nihil dicitur memorabile, sequens Lunæ. Est enim Apis bos diuersis genitalium notarum figuris expressus, maximéque omnium cornicu-

lantis lunæ specie latere dextro insignis: qui cum post ui uendi spatium præstitutum sacro fontæ immersus è uita abierit (nec enim ultra eum trahere licet ætatem, quàm secreta librorum præscribit autoritas mysticorum) necatur. Io Inachi, bos fœmina inuenta cum notis cœrtis offertur: quo perempto, alter cum publico quæritur luctu: & si omnibus signis consummatis reperiri potuerit, defertur Memphim urbem præstãtem, præsentiáque numinis AEsculapij claram. Cúmque initiante antistitum numero cœntum, inductus in thalamum esse cœperit sacer, coniecturis apertis signa rerum futurarum dicitur demonstrare, & adeuntes quosdam indicijs auerti uidetur obliquis: ut offerentem cibum aliquando Germanicum Cæsarem, sicut lectum est, auersatus, portenderat paulo post euẽtura. Strictim itaque, quoniã tempus uidetur hoc flagitare, res AEgyptiacæ tangantur: quarũ notitiam in actibus Hadriani & Seueri principum digessimus latè, uisa pleraque narrantes. AEgyptiam gentem omniũ uetustissimam, nisi quòd super antiquitate cœrtat cũ Scythis, à Meridiali latere Syrtes maiores, & Phycus promontorium, & Borium, & Garamantes, nationésque uariæ claudunt: quà Orientem è regione prospicit, Elephantinam & Meroen urbes AEthiopum, & Catadupos Rubrúmque pelagus & Scenitas prætenditur Arabas, quos Saracenos nunc appellamus: Septẽtrioni opposita, terrarum situ cohæret immenso, unde exordium Asia Syriarúmque prouinciæ sumunt: à Vespera Issiaco disiungitur mari, quod quidam nominauere Parthenium. Paucá itaque super Nilo (quem AEgyptum Homerus appellat) præstringi conueniet, mox ostendendis alijs, quæ sunt his regionibus admiranda. Origines fontium Nili, ut mihi quidem uideri solet, sicut adhuc factum est, po-

ſtęræ quoque ignorabunt ætates. Verum quoniam fabulantes poetæ, uariantéſque geographi in diuerſa latentem notitiam ſcindunt: opiniones eorum, ueritati confines (ut arbitror) expediam paucis. Affirmant aliqui phyſicorum in ſubiectis Septentrioni ſpatijs, cum hyemes frigidæ cuncta conſtringunt, magnitudines niuium congelaſcere: eáſque poſtea in flagrantis ſideris reſolutas fluxis humoribus nubes efficere grauidas, quæ in Meridianam plagam Etęſiis flantibus pulſæ expreſſéque tępore nimio incrementa ubertim ſuggerere Nilo creduntur. Ex AEthiopicis imbribus, qui abundantes in tractibus illis per æſtus torridos cadere memorantur, exũdationes eius erigi anni temporibus aſſerunt alij præſtitutis: quod utrunque diſſonare uidetur à ueritate. Imbres enim apud AEthiopas, aut non unquam, aut per interualla temporum longa cadere memorantur. Opinio eſt celebrior alia, quòd ſpirantibus prodromis, pérque dies quadraginta & quinque Etęſiarum continuis flatibus repellentibus eius meatum, uelocitate cohibita, ſuperfuſis fluctibus intumeſcit: & reluctantę ſpiritu controuerſo adoleſcens in maius, hinc ui reuerberãtę uentorum, inde urgentę curſu uenarũ perennium, progrediens in ſublime tegit omnia, & humo ſuppreſſa, per ſupina cãporum ſpeciem exhibet maris. Rex autẽ Iuba Punicorum confiſus textu librorum, à montę quodã oriri eũ exponit, qui ſitus in Mauritania deſpectat Oceanum: hiſque indicijs hoc proditum ait, quòd piſces, & herbę & beluę ſimiles per eas paludes gignũtur. AEthiopiæ autẽ partes prętermeãs Nilus nominum diuerſitatę decurſa, quæ eũ orbẽ peragranti nationes indidere cõplures, exundatione ditiſſima ad cataractas, id eſt, prępruptos ſcopulos uenit, è quibus præcipitans ruit potius quàm fluit. Vnde olim accolas uſu

aurium fragore assiduo diminuto, necessitas uertere solũ ad editiora cœgit. exinde lenius means per ostia septem, quorum singula perpetuorum amnium usum & faciem præbent, nullis per AEgyptum aquis externis adiutus dilatatur. Et præter amnes plurimos ex alueo deriuatos autore, cadentésque in suppares eius, septem nauigabiles sunt & undosi, quibus subiecta uocabula ueteres indiderunt: Heracleoticus, Sebenniticus, Bolbiticus, Phatniticus, Mendesius, Taniticus & Pelusiacus. *Oriens autem unde dictum est, propellitur à paludibus adusque cataractas, insulásque efficit plures: quarum aliquæ ita porrectis aquis dicuntur extentæ, ut singulas ægre tertio die relinquat. Inter quas duæ sunt claræ,* Meroe, & Delta *à triquetræ literæ forma hoc uocabulo signatius appellata. Cum autẽ sol per Cãcri sidus cœperit uehi, augescens adusque transitum eius in* Libram, *diebúsque transitum eius in centum subluens minuitur postea, & mitigatis ponderibus aquarũ naubus antea peruius equitabiles campos ostendit. Abunde itaque luxurians ita est noxius, ut infructuosus, si uenerit parcior: gurgitum enim nimietate humectans diutius terras, culturas moratur agrorum: parcitate autem minatur steriles segetes. Eúmque nemo aliquando extolli cubitis altius sexdecim possessor optauit. Et si inciderit moderatius, aliquoties iactæ sementes in liquore pinguis cespitis cum augmento fere septuagesimo renascuntur: solúsque fluminum auras nullas inspirat. exuberat AEgyptus etiam pecudibus multis, inter quas terrestres sunt & aquatiles: aliéque humi & in humoribus uiuunt, unde amphibia nominantur. & in aridis quidem capreoli uescuntur, & bucali & bisturnitia omni deformitate ridicula, alidq; monstra quæ numerare non refert. Inter aquatiles autem be-*

ſtias crocodilus ubique per eos tractus abundat, exitiale quadrupes malum aſſuetum elementis ambobus, lingua carens, maxillam ſuperiorem commouens ſolam, ordine dẽtium pectinato, perniciosis morſibus quicquid tetigerit pertinaciter petens, oua edẽs fœtus anſerinu ſimilia: utque armatus eſt unguibus, ſi haberet etiam pollices, ad euertendas quoque naues ſufficeret uuribus magnis: ad cubitorum enim longitudinem decem interdũ extentus, noctibus quieſcens per undas, diebus humi ueſcitur, confidentia cutis, quam ita ualidam gerit, ut eius tergo cataphracta uix tormentorum ictibus perforentur. & ſæuientes ſemper eædẽ ferae, quaſi pacto fœdere quodam caſtrenſi, per ſeptem ceremonioſos dies mueſcunt ab omni ſæuitia deſaſcentes, quibus ſacerdotes Memphi natales celebrant Nili. Præter eos autem qui fortuita pereunt morte, alij diſrumpuntur ſuffoſſis aluis mollibus certis ferarũ dorſualibus cruſtis, quas delphinis ſimiles nutrit fluuius antedictus: alij exitio intereunt tali. Trochilos auicula breuis, dum eſcarum minutias captat, circa cubantem uolitans blande, genáſque eius irritatius titillãdo peruenit aduſque ipſam uiciniam gutturis. quod factum contuens hydrus ichneumonis genus, oris aditum penetrat alitę praeuia patefactum, & populato uentre, uitalibus dilancinatis erumpit. Audax tamen crocodilus monſtrum fugacibus: ubi audacem ſenſerit, timidiſſimum: & in terra acutius cernens, per quatuor menſes hybernos nullo ueſci dicitur cibo. Hippopotami quoque generantur in illis partibus, ultra animalia cuncta ratione carẽtia ſagaciſſimi, ad ſpeciẽ equorũ ũgulas bifidas, caudáſq; breues: quorum ſolertiae duo oſtendere documẽta ſufficiet. Inter arundines alſas & ſqualentes nimia denſitate haec belua cubilibus poſitis, otiũ perugli ſtudio circunſpectat,

laxatáque copia ad segetes depascendas egreditur. Cúmque iam cœperit redire distenta, auersis uestigijs distinguit tra mites multos, ne unius plani itineris lineas insidiatores se cuti, repertum sine difficultate confodiant. Item cũ auditate nimia extuberato uentre pigrescit, super calamos recens exectos femora conuoluit & crura, ut pedibus uulneratis cruor egestus sagina distentum faciat leuem: & carnes saucias cœno oblinit, quandiu in cicatrices conueniãt plagæ. Has monstruosas antehac raritates in beluis, in ædilitate Scauri uidit Romanus populus primitus, patris illius Scauri, quem defendens Tullius, imperat Sardis ut de fami lia nobili ipsi quoq; cum orbis terrarũ autoritate sentirẽt: & per ætates exinde plures sæpe huc ducti, nunc mueniri nusquam possunt, ut coniectantes regionum mœlæ dicant, insectantis multitudinis tædio ad Blemmyas migrasse cõpulsi. Inter AEgyptias alites, quarum uarietas nullo comprehendi numero potest, ibis sacra est & amabilis & innocua, ideo quòd nidulis suis ad cibum suggrens oua serpentum, efficit ut rarescant mortiferæ pestes absumptæ. oc currũt eædem uolucres pinnatis agminibus anguium, qui ex Arabicis emergunt paludibus uenena malignantes: eósque antequam finibus suis excædant, prælijs superatos aerijs uorant: quas aues per rostra edere fœtus accepimus. Serpentes quoque AEgyptus alit innumeras: ultra omnẽ perniciẽ sæuiẽtes basiliscos, & amphisbenas, & scytalas, & acontias, & dipsadas, & uiperas, aliásque complures: quas omnes magnitudine & decore aspis facile superemines, nunquam sponte sua fluenta egreditur Nili. Multa in illis trachibus pretium est operæ maximum legere, è quibus pauca conueniet explicari. Templa ubique molibus magnis extructa. Pyramides ad miracula septem proiectæ, qua-

rum diuturnas surgendi difficultates scriptor Herodotus doceat, ultra omnem omnino altitudinem, quæ humanis conficiposest, erectæ sunt turres, ab imo latissimæ, in summitates acutissimas desinentes: quæ figura apud geometras ideo sic appellatur, quòd ad ignis speciem, τοῦ πυρὸς ut nos dicimus, extenuatur in conum: quarum magnitudo quoniam in cœlsitudinem nimiam scandens, gracilescit paulatim, umbras quoque mechanica ratione consumit. Sunt & syringes subterranei quidam & flexuosi secessus, quos (ut fertur) periti rituum uetustorum aduentare diluuium præsciij, metuentésque ne ceremoniarum obliteraretur memoria, penitus operosis digestos fodinis per loca diuersa struxerunt: & excisis parietibus uolucrum ferarúmque generá multa sculpserunt, & animaliũ species innumeras multas, quas hieroglyphicas literas appellarunt. Dem Syene, in qua solstitij tempore, quo sol æstiuum cursum excendit, recta omnia ambiẽtes radij excidere ipsius corporibus umbras nõ sinunt. Inde si stipitem quisquam fixerit rectum, uel hominem, aut arborẽ uiderit stantem, circa lineamentorum ipsas extremitates contemplabitur umbras absumi: sicut apud Meroen AEthiopiæ partem æquinoctiali circulo proximam dicitur euenire, ubi per nonaginta dies umbræ nostræ in contrarium cadunt: unde Antiscios eius incolas uocant. Quæ quoniam miracula multa sunt, opusculi nostri propositum excedentia, ad ingenia cœlsa reijciamus, pauca super prouincijs narraturi. Tres prouincias AEgyptus fertur habuisse temporibus priscis, AEgyptum ipsam, & Thebaidam, & Libyam: quibus duas adiecit posteritas, ab AEgypto Augustam nicam, & Pentapolim à Libya sicciore disparatam. Igitur Thebais multas inter urbes clariores alijs Hermopolim habet & Copton, & Antinoon,

quam Hadrianus in honorem Antinoi condidit sui. apud hecatompylos enim Thebas magnorum. In Augustanica Pelusium oppidum est nobile, quod Peleus Achillis pater dicitur condidisse, lustrari deorum monitu iussus in lacu, qui eiusdem ciuitatis alluit mœnia, cum post interfecti fratrem nomine Phocum horrendis furiarum imaginibus raptaretur, & Cassium, ubi Pompeij sepulchrum est Magni, & Ostracine, & Rhinocorura. In Pentapoli Libya Cyrene posita est urbs antiqua, sed deserta, quam Spartanus condidit Battus, & Ptolemais, & Arsinoe eadem quæ Teuchira, & Darnis, & Berenice, quas Hesperidas appellant: in sicciore uero Libya Paretonion, & Cherecla, & Neapolis, mœr municipia pauca & breuia. AEgyptus ipsa, quæ iam inde ut Romano imperio iuncta est, regitur à præfectis, exceptis minoribus multis, Athribi, & Oxyrycho, & Thmui, & Memphi, maximis urbibus nitet. Alexandria enim uertex omniũ est ciuitatum, quam multa nobilitant, & magnificentia conditoris altissimi, & architecti solertia Dinocratis: qui cum ampla mœnia fundaret & pulchra, penuria calcis id momentum parum repertæ, omnes ambitus liniales farina respersit: quod ciuitatem post alimentorum uberi copia circunfluere fortuito mõstrauit indicio. ibi auræ salubriter spirantes, aer tranquillus & clemens: atque ut periculum docuit per uarias collectum ætates, nullo penè die incolentes hanc ciuitatem solem serenum non uident. hoc littus ne fallacibus & insidiosis accessibus affligeret ut antehac nauigantes discriminib. plurimis, excogitauit in portu Cleopatra turrim excelsam, quæ Pharos à loco ipso cognominatur, prælucendi nauibus nocturna suggerens ministeria: cum quondam ex Parthenio pelago uenientes aut Libyco, per pandas oras & ua-

cuas montium nullas speculas uel collium signa cernentes, harenarũ imlisæ glutinosæ mollitiæ frangerentur. Hæc eadem regina heptastadium sicut uix credenda celeritate, ita magnitudine nura construxit, ob causam notam & necessariam. Insula Pharos, ubi Proteæ cum phocarum gregibus diuersatum Homerus fabulatur inflatius, à ciuitatis littore mille passibus disparata, Rhodiorum erat obnoxia uectigali. Quòd cum inde quidam nimium quantum petiturí uenissent, fœmina callida semper in fraudes solenniũ specie feriarũ ijsdem publicanis secum ad suburbana perductis, opus iusserat irrequietis laboribus consummari, & septem diebus totidẽ stadia molibus iactis in mare solo propinquanti terræ sunt uindicatæ. Quò cum uehiculo ingressa, errare ait Rhodios, insularum non continentis portoriũ flagitantes. His accedunt altis sufflata fastigijs templa. Inter quæ eminet Serapiũ, quod licet minuatur exilitate uerborum, atrijs tamen columnarijs amplissimus, & spirantibus signorum figmentis, & reliqua operum multitudine ita est exornatũ, ut post capitoliũ, quo se uenerabilis Roma in æternum attollit, nihil orbis terrarum ambitiosius cernat. In quo bibliothecæ fuerunt inæstimabiles: & loquitur monimentorum ueterum concinens fides, septingẽta uoluminum millia, Ptolemæis regibus uigiljs intẽtis cõposita, bello Alexandrino, dum diripitur ciuitas sub dictatore Cæsare conflagrasse. Canopus inde duodecimo disiũgitur lapide: quem, ut priscæ memoriæ tradunt, Menelai gubernator sepultus ibi cognominauit: hactenus impẽdio locus fanis & diuersorijs lætis extructus, auris & salutari temperamento perflabilis, ita ut extra mundum nostrum morari se quisquam arbitretur in illis tractibus agens, cum sæpe apricò spiritu immurmurantes audierit uẽ-

si.

tos. Sed Alexandria ipsa non sensim, ut aliæ urbes, sed inter initia prima aucta per spatiosos ambitus, interniſque seditionibus diu aspere fatigata, ad ultimum multis post annis Aureliano imperium agente, ciuilibus iurgijs ad certamina internecina prolapsis, diruptisque mœnibus amisit regionum maximam partem, quæ Bruchion appellabatur, diuiturnum præstantium hominũ domicilium. Vnde Aristarchus grammaticæ rei doctrinis excellens, & Herodianus artium minutissimus scisitator, & Saccas Ammonius Plotini magister, alijque plurimi scriptores multorũ in literis nobilium studiorum: inter quos Chalcenterus emicuit Didymus multiplicis scientiæ cœpti memorabilis: qui in illis sex libris, ubi nonnunquam imperfecte Tulliũ reprehendit, sillographos imitatus scriptores maledicos, iudicia doctarum aurium incusat, ut mmania frementem leonem putidulis uocibus uanus catulus longius circunlatrans. Et quanquam ueteres cum his quorum memini, floruere complures, tamen ue nunc quidem in eadem urbe doctrinæ uariæ silent: nam & disciplinarũ magistri quodammodo spirant, & nudatur ibi geometrico radio quicquid reconditum latet, nondúmque apud eos penitus exaruit musica nec harmonia cõticuit, & recalet apud quosdam adhuc licet atros consideratio mundani motus & siderum, doctíque sunt haud numero pauci: super his scientiã callent quæ fatorum uias ostendit. Medicinæ autem, cuius in hac uita nostra nec parca nec sobria, desiderantur adminicula crebra, ita studia augentur indies, ut licet opus ipsum redoleat, pro omni tamen experimẽto sufficiat medico ad commendandam artis autoritatem, si Alexãdriæ se dixerit eruditum. & hæc quidem hactenus. Sed si intelligendi diuini aditionem multiplicem, & præsensionum

originem, mente uegeta quisquam uoluerit replicare, per mundum omnem inueniet mathemata huiusmodi ab AEgypto *circunlata. hîc primum homines longe ante alios ad uaria religionum incunabula(ut dicitur)peruenerunt & initia prima sacrorum cautè tuentur condita scribis arcanis. Hac institutus prudentia* Pythagoras *colens secretius deos, quicquid dixit, aut uoluit, autoritatem esse instituit ratam, & femur suum aureum apud* Olympiã *sæpe mõstrabat, & cum aquila colloquens subinde uisebatur.* Hinc Anaxagoras *lapides è cælo lapsuros, & putealem limũ conrectans, tremores futuros prædixerat terræ.* Et Solon *sententijs adiutus* AEgypti *sacerdotum, latis iusto moderamine legibus,* Romano *quoque iuri maximum addidit firmamentum: ex his fontibus per sublimia gradiens, sermonum amplitudine* Iouis *æmulus, non uisa* AEgypto *militauit sapientia gloriosa.* Homines *autem* AEgyptij *plerique subfusculi sunt & atrati, magisque mœstiores, gracilenti & aridi, ad singulos motus excandescentes, controuersi, & reposcones acerrimi. Erubescit apud eos siquis non inficiando tributa, plurimas in corpore uibices ostendat: & nulla tormentorum uis inueniri adhuc potuit, quæ obduratum ullius pectus latrocinijs inuitum elicere potuit, ut nomen proprium dicat. Id autem notum est, ut annales uetere monstrãt, quòd* AEgyptus *omnis sub amicis erat antea regibus, sed superatis apud Actium bello nauali* Antonio *&* Cleopatra, *prouinciæ nomẽ accepit, ab* Octauiano Augusto *possessa.* Aridam Libyam *supremo* Apionis *regis consecuti sumus arbitrio,* Cyrenas *cum residuis ciuitatibus* Libyæ Pentapoleos Ptolemæi *liberalitate susæpimus. euectus longius ad ordinem remeabo cœptorum.*

HAEC eo anno, ut prætereamus minutias, agebãtur per prouincias. Iulianus uero iãter cõsule ascito in collegio trabeæ Sallustio præfecto per Gallias, quater ipse amplissimum inierat magistratum: & uidebatur nouum adiunctum esse Augusto priuatũ, quod post Diocletianum & Aristobulum nullus meminerat gestum. & licet accidentium uarietatem solicita mente præcipiẽs, multiplicatos expeditionis apparatus flagrãti studio perurgeret, diligẽtiæ tamen ubique diffidẽs, imperij q; sui memoriã magnitudine operũ gestiens propagare, ambitiosum quondam apud Hierosolymam templum, quod post multa & interneciua certamina obsidẽte Vespasiano posteáq; Tito ægre est expugnatum, instaurare sumptibus cogitabat immodicis, negotiúmque maturandum Alypio dederat Antiochensi, qui olim Britannias curauerat pro præfectis. Cũ itaque rei idẽ fortiter instaret Alypius, iuuarétque prouinciæ rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris assultibus erũpentes, fecere locum exustis aliquoties operantibus inaccessum: hócque modo elemento destinatius repellente, cessauit inceptum. Iisdem diebus legatos ad se missos ab Vrbe æterna, clare natos meritisque probabilis uitæ compertos imperator honoribus diuersis affecit: & Apronianum Romæ decreuit esse præfectum, Octauianum proconsulem Africæ, Venusto Vicariam commisit Hispaniæ: Rufinum Arabium comitem Orientis in locum auunculi sui Iuliani recẽs defuncti prouexit. Quibus ut conuenerat ordinatis, terrebatur omine quodã (ut docuit

exitus) præsentissimo. Feliæ enim largitionum comite profluuio sanguinis repente extincto, eũque Iuliano secuto, uulgus publicos contuens titulos, Feliæm Iulianũ Augustũmq; pronuntiabat. Præcesserat aliud sæuum. Nãque Calendis ipsis Ianuariis ascendente gradile Genij templum sacerdotum consortio, quidam è cæteris diuturnior nullo pulsante repente concidi, animámque insperato casu efflauit: quod astantes, mœrtum per imperitiam an adulandi cupiditate, memorabant consulum seniori portendi, nimirũ Sallustio: sed ut apparuit non ætati, sed potestati maiori interitum propinquare monstrabãt. Super his alia quoq; minora signa subinde, quod acciderat, ostendebãt. Inter ipsa enim exordia procinctus Parthici disponẽdi nuntiatum est Constantinopolim terræ pulsu uibratam: quod horũ periti minus lætum esse pronuntiabant aliena peruadere molienti rectori. Ideóque intempestiuo conatu desistere suadebãt: ita demum hæc & similia contemni oportere firmantes, cum irruentibus armis externis lex una sit & perpetua, salutem omni ratione defendere, nihil renitente uiuoris. Iisdem diebus nuntiatum est ei per literas, Romæ super hoc bello libros Sibyllæ consultos, ut iusserat, imperatorem hoc anno discedere à limitibus suis aperto prohibuisse responso. Inter hæc tamen legationes gentium plurimarum auxilia pollicentium, liberaliter suscepta remittebantur, specioſa fiducia principe respondente, nequaquã decere aduentitijs adiumentis rem uindicari Romanã, cuius opibus fouere conueniret amicos & socios, si auxilium eos adegerit necessitas implorare. Solum Arsacem monuerat Armeniæ regem, ut collectis copijs uialidis iubenda opperiretur, quò tenderet, quid deberet urgere, propere cogniturus. Proinde cum primam consultæ rationes copiam

præbuissent, rumore præcurso hostiles occupare properans terras, nondum adulto uere missa per militares numeros expeditionali tessera, cunctos trãsire iussit Euphratẽ. Quo comperto omnes euolant ex hybernis, transmissóque, ut textus docebat scriptorum, dispersi per stationes uarias aduentum principis expectabant. Ipse autem Antiochiam egressurus Heliopolitæn quendam Alexandrum Syriacæ iurisdictioni præfecit, turbulentum & sæuum: dicebátque non illum meruisse, sed Antiochiensibus auaris & contumeliosis huiusmodi iudicem conuenire. Cúmque eũ profecturum deducæret multitudo promiscua, itum fœlicem reditúmque gloriosum exoptans, oránsque ut deinde placabilis esset & lenior, nondũ ira quam ex compellationibus & probris concperat, emollita, loquebatur asperius, se esse eos asserens postea non uisurum. Disposusse enim aiebat, hyemandi gratia per compendiariam uiam consummato procinctu, Tarsum Ciliciæ reuersurum: scripsisséque ad Memorium præsidem, ut in eadem urbe cuncta sibi congrua pararentur: & hoc haud diu postea contigit. Corpus nãq; eius illuc relatum, exequiarum humili pompa in suburbano sepultum est, ut ipse mandarat. Idmq; apricante cælo, tertio Nonas Martias profectus Hierapolim solitis itineribus uenit: ubi cum introiret ciuitatis capacissimæ portas, sinistra porticus subito lapsa, subter tendẽtes quinquaginta milites, exceptis plurimis uulneratis, tignorum tegularúmque pondere magno collisit. Vnde contractis copijs omnibus, Mesopotamiam iam propere signa commouit, ut fama de se nulla præuersa (id enim accuratius obseruarat) improuisus Assyrios occuparet. Denique cum exercitu, & Scytharum auxilijs Euphrate nauali põte trãmisso, uenit ad Batnas municipium Osdroenæ, ibique illætabile

portentum offendit. Cum enim calonum frequens multitudo ad suscipiendum consuetè pabulũ prope acerum palearum stetisset impendio cælsum (hoc enim modo per regiones illas tales species construuntur) rapientibus multis, quassata congeries inclinata est, parique exitio quinquaginta obruit homines, mole maxima ruinarum. Mœstus exinde digressus, uenit cursu propero Carras, antiquum oppidum, Crassorum & Romani exercitus ærũnis insigne: unde duæ ducentes Persidem uiæ regiæ distinguuntur: læua per Adiabenam & Tigridem, dextera per Assyrios & Euphraten. ibi moratus aliquot dies dum necessaria parat, & Lunæ, quæ religiose per eos colitur tractus situ locorũ, fert sacra, dicitur ante aras nullo arbitrorum admisso, occultè paludamentum purpureum propinquo suo tradidisse Procopio, mandasséque arripere fidẽtius principatum, si se interisse didicerit apud Parthos. Hic Iuliani quiescentis animus agitatus in somnis euẽturum triste aliquid præsagiebat. Quocirca & ipse, & uisorũ interpretes præsentia contemplantes, diem secuturũ qui erat quartumdecimum Cal. Apriles obseruari debere pronuntiabãt. uerum ut compertum est postea, eadem nocte Palatini Apollinis templum præfecturam regente Aproniano in Urbe conflagrauit æterna: ubi ne multiplex iuuisset auxiliũ etiam Cumana carmina consumpserat magnitudo flammarum. Póstque ita digesta agmina, & commeatus omnis generis disponendi, procursatorum aduentu anhelantium etiam tum indicatur, equestres hostium turmas uicino limite quodam perrupto auertisse subito prædas. cuius atrocitate mali perculsus ilico, ut antè cogitauerat, triginta millia lectorũ militum eidem commisit Procopio, iũcto ad parilẽ potestatẽ Sebastiano Comite ex duæ AEgypti: ijsdémq;

præcepit, ut intra Tigridem *interim agerent, uigilanter omnia seruaturi, ne quid inopinum ex incauto latere oriretur, qualia multa sæpe dixerat euenisse: mandabátque eis, ut si fieri potius possit, regi sociarentur* Arsaci: *cúmque eo per* Corduenam, *&* Maxoenam Chiliocomo *uberi* Mediæ *tractu, partibúsque alijs præstricto cursu uastatis, apud* Assyrios *adhuc agenti sibi accurrerent necessitatũ articulis adfuturi.* His *ita ordinatis ipse exitu simulato per* Tigrim, *quod iter etiam rebus uarijs de industria iusserat instrui, flexit dextrorsus: & quietu nocte emensa, mane iumentum, quo ueheretur ex usu poposcit: oblatúsque ei equus* Babylonius *nomine ictu torminis consternatus, dum dolorum impatiens uoluitur, auro lapillísque ornamenta distincta conspersit. Quo ostentu lætior clamauit: plaudentibus proximis,* Babylona *humi procidisse ornamentis omnibus spoliatam: & paulisper detentus ut omẽ per hostias litando firmaret,* Dauanam *uenit castra præsidiaria, unde ortus* Belias *fluuius funditur in* Euphraten. *hic corporibus cibo accurate refectis, postridie uentum est ad* Callinisum, *munimentũ robustum, commercandi opimitate gratissimum: ubi diem sextum* Cal. *quo* Romæ *matri deorum pompæ celebrantur annales, & carpentum quo uehitur simulachrum* Almonis *undis ablui perhibetur, sacrorum solẽnitate prisco more completa, somno per otium capto exultans pernoctauit & lætus.* Lucæ *uero sequuta profectus eximde per supercilia riparũ fluualiũ, aquis adolescentibus undiq; conuenis, cum armigera gradiens manu in statione quadam sub pellibus mansit: ubi* Saracenorũ *reguli gentiũ genibus supplices nixi, oblata auri corona, tanquam mundi nationúmq; suarũ domnũ adorarunt, suscepti gratãter, ut ad furta bellorum adpositi, dúmq; hos alloquitur,*

Xerxis illius potẽtissimi regis instar classis aduenit, tribuno Cõstantiano cũ comite Lucilliano ductante, quæ latissimum flumen Euphraten artabat: in qua mille erant onerariæ naues ex diuersa trabe cõtextæ, commeatus abunde ferentes, & tela, & obsidionales machinas: quinquaginta aliæ bellatricæs, totidémque ad compagmandos neæssariæ pontes. Re ipsa admoneor breuiter quantum mediocre potest ingenium hæc instrumentorum genera ignorantibus circunscripta monstrare: & balistæ figura doæbitur prima. Ferrum inter axiculos duos firmum compagnatur & uastum, in modum regulæ maioris extentum: cuius ex uolumine tereti quod in medio ars polita componit, quadratus eminet stylus extensius recto canalis angusti meatu cauatus, & hac multiplici chorda neruorũ tortilium illigatus: eique cochleæ duæ ligneæ coniũguntur aptissime, quarum prope unam adsistit artifex contemplabilis, & subtiliter adponit in temonis cauamine sagittam ligneam spiculo maiore conglutinatam: hócque facto hincinde ualidi iuuenes uersant agiliter rotabilẽ flexum. cum ad extremitatem neruorum acumẽ uenerit summum, percita interno pulsu à balista ex oculis auolat, interdum nimio ardore scintillãs: & euenit sæpius, ut antequam telum cernatur, dolor letale uulnus agnoscat. Scorpionis autem, quem appellant nũc Onagrum, huiusmodi forma est: Dolantur axes duo quernei uel ilicei, curuantúrque mediocriter, ut prominere uideãtur in gibbas: híque in modum serratoriæ machinæ connectuntur, ex utroque latere patẽtius perforati, quos inter per cauernas funes colligantur robusti, compagem ne dissiliat continentes. Ab hac medietate restium ligneus stylus exurgens obliquus, & in modum iugalis temonis erectus, ita neruorum modulis im-

plicatur, ut altius tolli possit, & inclinari: summitatique eius unci ferrei copulantur, è quibus pendet stupea uel ferrea funda: cui ligno fulcimentum prosternitur ingens cilicium paleis confertum minutis ualidis nexibus illigatum, & locatum super congestos cæspites uel lateritios aggeres. Nam muro saxeo huiusmodi moles imposita disiectat quicquid inuenerit subter, concussione uiolenta non pondere. Cum igitur ad concertationem uentum fuerit, lapide rotundo fundæ imposito, quaterni altrinsecus iuuenes repagula quibus incorporati sunt, funes explicantes, retrorsus stylū penes uncinum inclinant: itaque demum sublimis adstans magister, claustrum quod totius operis continet uincula, reserat malleo forti percussum. unde absolutus ictu uolucri stylus, & mollitudine offensus cilicij, saxum contorquet quicquid incurrerit collisurum. Et Tormentum quidē appellatur, quòd ex eo omnis explicatio torquetur: Scorpio autem, quoniam aculeū desuper habet erectum: cui etiam Onagri uocabulū indidit ætas nouella ea re, quòd asini feri cum uenatibus agitantur, ita eminus lapides post terga calcitrando emittunt, ut perforent pectora sequentiū, aut perfractis ossibus capita ipsa displodant. Hinc ad arietē ueniemus. Eligitur abies uel ornus excelsa, cuius summitas duro ferro concluditur & prolixo, arietis efficiens prominulam speciem, quæ forma huic machinamēto uocabulū indidit: & sic suspensa utrum que trāsuersis asseribus & ferratis, quasi ex lāce uinculis trabis alterius continetur: eadmque, quātum mensuræ ratio patitur, multitudo retro repellēs, rursus ad obuia quæque rūpenda protrudit ictibus ualidissimis, instar adsurgentis & cædentis armati. Qua crebritate uelut reciproci fulminis impetu ædificijs scissis in rimas, concidūt structu

ræ laxatæ murorũ. Hoc genere operis, si fuerit exerto uigore discussum, nudato uallo defensoribus solutisque obsidijs ciuitates munitissimæ recludũtur. Pro his arietum machinamentis iã crebritate despectis cõditur machina scriptoribus historicis nota, quam Helepolim Græci cognominant: cuius opera diuturna Demetrius Antigoni filius Rhodo aliisque urbibus oppugnatis Poliorcetes est appellatus. Aedificatur autẽ hoc modo: Testudo cõpaginatur immanis axibus roborata longissimis, ferreisque clauis aptata, & cõtegitur cõrijs bubulis, uirgarumque recẽti textura, atq; limo aspergũtur eius suprema, ut flãmeos detractet & missiles casus. Cõseruntur autẽ eius frontalibus trisulcæ cuspides præacutæ põderibus ferreis graues, qualia nobis pictores ostendũt fulmina uel fictores, ut quicquid petierit aculeis exertis abrũpat. Hãc ita ualidã molem, palis & funibus regens numerosis intrinsecus miles, lãguidiori murorũ parti uiribus admouet concitis: & nisi desuper propugnãtium ualuerint uires, collisis parietibus aditus patefecit ingentes. Malleoli autẽ tẽli genus figurãtur hac specie: Sagitta est cannea inter spiculũ & arundinem multifido ferro coagmentata, quæ in muliebris coli formam, quo nentur lintea stamina, concauatur uentre subtiliter, & plurifariã patens, atque in alueo ipso ignem cum aliquo suscipit alimento. Et sic emissa lẽtius arcu inualido (ictu enim rapidiore extinguitur) si hæserit usquam tenaciter, cremat: aquisq; consperſa acriores excitat æstus incendiorũ, nec remedio ullo quàm super iacto puluere cõsopitur. Hactenus de instrumẽtis muralibus, è quibus pauca sunt dicta. Nũc ad rerum ordinem reuertamur. Adscitis Saracenorum auxilijs, quæ animus obtulere promptissimis, tendens imperator agili gradu Cercusium, primcipio mensis Aprilis in-

greſſus eſt munimentum tutiſſimum, & fabre politum, cuius mœnia Abora, *&* Euphrates *ambiunt flumina, uelut ſpacium inſulare fingentes. quod* Diocletianus *exiguũ antehac & ſuſpectum, muris turribúſque circundedit celſis, cum ipſis barbarorum confinijs interiores limites ordinaret, ne uagarẽtur per* Syriam Perſæ, *ita ut paucis antè annis cum magnis prouinciarum contigerat damnis.* Nanque *cum* Antiochiæ *in alto ſilentio ſcenicis ludis mimus cum uxore immiſſus, è medio ſumpta quædam imitaretur, populo uenuſtate attonito, coniunx* Niſi *ſomnus eſt, inquit, en* Perſæ. *& retortis plebs uniuerſa ceruicibus, exacerbantia in ſe tela declinans ſpargitur paſſim. ita ciuitate incenſa, & obtruncatis pluribus, qui pacis more palabantur effuſius, incenſiſque locis finitimis & uaſtatis, omni ſti præda hoſtes ad ſua remearunt mnoxij,* Mereade *uino exuſto, qui eos ad ſuorum interitum ciuium duxerat inconſultè.* Et *hæc quidem* Gallieni *temporibus euenerunt.* Iulianus *uero dum moratur apud* Cerciſium, *ut per nauale* Aboræ *pontem exercitus & omnes ſequelæ tranſirẽt, litteras triſtes* Salluſtij Galliarum *præfecti ſuſcepit, orantis ſuſpendi expeditionem in* Parthos, *obteſtantiſque ne ita intempeſtiue nondum pace numinum exorata irreuocabile ſubiret exitium: poſthabito tamen ſua ſore cautiſſimo, fidentius ultra tendebat, quoniã nulla uis humana uel uirtus meruiſſe unquam potuit, ut quod præſcripſit fatalis ordo, non fiat.* Statimque *transgreſſus, pontem auelli præcepit, ne qui militum ab agminibus proprijs reuertendi fiducia remaneret.* Pari *ſorte hic quoque omen illætabile uiſum eſt, apparitoris cuiuſdam cadauer extentum carnificis manu deleti: quem præfectus* Salluſtius *præſens ea re ſupplicio capitali dãnauerat, quòd intra præſtitutum diẽ*

alimentorum augmentum exhibere pollicitus, causa impe dientæ frustratus est. Sed miserando homine trucidato po stridie aduenit, ut ille promiserat, alia classis abunde uehens annonam. Profecti exinde Zaitan uenimus locum, qui olea arbor interpretatur. Hic Gordiani imperatoris longe conspicuum uidimus tumulum, cuius actus à pueritia pri ma exercituúmque felicissimos ductus, & insidiosum interitum digessimus tempore competenti. ubi cum pro ingenita pietate consecrato principi parētasset, pergerētque ad Duram desertum oppidum, procul militarem cuneum conspicatus stetit immobilis: eíque dubitanti quid ferrēt, offertur ab eis immanissimi corporis leo, cum aciē peteret multiplici telorum iactu confossus. Quo omne uelut certiore iā spectaculi prosperioris elatus, exultantius incedebat. Sed incerto fato fortunæ aliorsum prorupit euētus. Obitus enim regis portendebatur: sed cuius, erat incertum. Nam & oracula dubia legimus, quæ non nisi casus discreuere postremi: ut fidē uaticinij Delphici, quæ post Halyn flumen trāsmissum maximum regnum disiecturū prædixerat Cræsum, & aliam quæ Athenienſibus ad certandum contra Medos oblique destinauerat mare, sortémque his posteriorem ueram quidem, sed non minus ambiguā: Aio te AEacida Romanos uincere posse. Hetrusci tamen aruspices qui comitabantur, gnari prodigialium rerum, cum illis procinctum hūc sæpe arcentibus non crederetur, prolatis libris ritualibus ostendebant signum hoc esse prohibitoriū, principíque aliena licet iuste inuadenti contrarium. sed calcabantur philosophis refragantibus, quorum reuerenda tunc erat authoritas, errantium subinde, & in parum cognitis perseuerātium diu. etenim ut probabile argumentum ad fidem implendam sciētiæ suæ id prætendebant, quòd &

Maximiano antehac Cæsari cum Narse Persarũ rege iam congressuro, itidem leo, & aper ingens trucidati simul oblati sunt, & superata gente diæssit incolumis: illo minime cõtemplato, quòd aliena petenti portendebatur exitium: & Narses primus Armeniam Romano iuri obnoxiam occuparat. Secuto itidẽ die, qui erat VIII Idus April. sole uergente iam in occasum, ex parua nubecula subito aere crassato usus adimitur lucis: & post minacem tonitruum crebritatem & fulgurum, Iouianus nomine miles cælo tactus cum duobus equis concidit, quos potu satiatos à flumine reducebat. quo uiso harum rerum interpretes accersit: interrogatique, etiam id uetare procinctum fidentius adfirmabant, fulmen consiliarium esse monstrantes: (ita enim appellantur quæ dissuadent aliquid fieri uel suadent) ideóque hoc nimis cauendum, quòd militem cælsi nominis cum bellatorijs iumentis extinxit: & hoc modo contacta loca, nec intueri, nec calcari debere fulgurales pronuntiant libri. Contra philosophi, candorem ignis sacri repente conspecti nihil significare aiebant, sed esse acrioris spiritus cursum ex æthere aliqua uia ad inferiora detrusum: aut si eximde præno scitur aliquid, incrementa claritudinis imperatori portendi gloriosa cœptanti, cum constet flammas suapte natura nullo obstante ad sublimia conuolare. Peracto igitur, ut ante dictum est, ponte, cunctisque transgressis, imperator antiquissimum omnium ratus est militem alloqui, sui rectorisque fiducia properantem intrepide. signo itaque per lituos dato, cum centuriæ omnes & cohortes & manipuli conuenissent, ipse aggere glebali adsistens, coronáque cælsarum circundatus potestatum, talia ore sereno disseruit, fauorabilis studio concordi cunctorum. Contemplans maximis uiribus &

alacritate uos uigere, fortissimi milites, concionari disposui, docturus ratione multiplici, non nunc primitus, ut maledici mussitant, Romanos penetrasse regna Persidis. Nanque, ut Lucullum transeam, uel Pompeium, qui per Albanos, & Massagetas, quos Alanos nunc appellamus, hac quoque natione perrupta uidit Caspios lacus: Ventidium nouimus Antonij legatum strages per hos tractus innumeras edidisse. Sed ut à uetustate discedam, hæc quæ tradidit recens memoria replicabo. Traianus & rursus Seuerus hinc sunt digressi victores & trophæati: redissétque pari splendore iunior Gordianus, cuius monumentum nunc uidimus honoratæ, apud Resainam superato fugatóque rege Persarum, ni factione Philippi præfecti prætorio, scelestè iuuantibus paucis in hoc, ubi sepultus est, loco, uulnere impio cæcidisset. Nec errauere diu manes eius multi, quòd uelut clarente iustitia, omnes qui in eum conspirauere, cruciabilibus interiere supplicijs. & illos quidē uolūtas ad altiora propēsior subire impulit facinora memoranda: nos uero miseranda recens captarum urbium, & multæ cæsorū exercituum umbræ, & damnorū magnitudines, carorúmque amissiones ad hæc quæ proposuimus, hortātur ut solemur socios, ut medeamur præteritis, & honorata huius lateris securitate Rep. quæ de nobis magnificè loquatur posteritas, relinquamus. adero ubique uobis adiumento numinis sempiterni imperator, & antesignanus, & cōturmalis omnibus secundis, ut reor. at si fortuna uersabilis in pugna me usquam fuderit: mihi uero pro Romano orbe memet uouisse sufficiet, ut Curtij, Mutijque tres, & clara prosapia Deciorum. Abolenda nobis natio molestissima, cuius in gladijs nondum nostræ propinquitatis exaruit cruor. Plures absumptæ sunt maioribus

nostris ætates, ut interirent radicitus, quæ uexabant. Deuicta est perplexo & diuturno Martæ Carthago: sed eam dum inclytus timuit superesse uictor, euertit funditus. Numantiam Scipio post multiplices casus obsidionis emensos, Fidenas ne imperio subcrescerent æmulæ Roma subuertit: & Faliscos ita oppressit, & Veios, ut suadere nobis laboret monumentorũ uetærum fides, ut has ciuitates aliquando ualuisse credamus. Hæc ut antiquitatum peritus expo sui: superest ut auiditate rapiendi posthabita, quæ insidiatrix sæpe Romani militis fuit, quisque agmini cohærẽs incedat, cum ad necessitatem congrediendi fuerit uentum. signa propria sequuturus, sciens quòd si remanserit usquam exectis cruribus relinquetur. nihil enim præter dolos, & insidias hostium uereor nimium callidorũ. Ad summam pollicior uniuersis, rebus post hæc prospere mitigatis, absque omni prærogatiua principum, qui quod dixerint uel censuerint pro potestate autoritatis iustum esse existimãt, rationem recte consultorum uel secus, si quis exegerit redditurum. Quocirca erigite nunc quæso, erigite animos uestros multa præsumentes, bona & æquata sorte nobiscum quicquid occurrerit difficile subituri, & cõiectantes æquitati semper solere iungi uictoriam. Conclusa oratione ad hunc gratissimum finem, ductoris gloria præliator miles exultans, spéque in prosperum elatior, sublatis altius scutis, nihil periculosum fore uel arduum clamitabat, sub imperatore plus sibi laboris quàm gregarijs indicente. maximè omniũ id numeri Gallicani fremitu lætiore monstrabant: memores aliquoties eo ductante, pérque ordines discurrente, cadentes uidisse gentes aliquas, alias supplicantes. Res adegit huc prolapsa, ut in excessu celeri situm mõstrare Persidis descriptoribus gentium curiose digestum, è

quibus ægre uera dixere paucissimi. Quòd autē erit paulo prolixior textus, ad scientiam proficiet plenam. Quisquis enim adfectat nimiam breuitatem ubi narrantur incognita, nō quid signatius explicet, sed quid debeat præteriri, scrutatur. Hoc regnum quondam exiguum, multisque antea nominibus appellatum ob causas quas sæpe retulimus, cum apud Babylona Magnum fata rapuissent Alexandrum, in uocabulum Parthi concessit Arsacis obscure geniti, latronum inter adolescentiæ rudimenta ductoris, uerum paulatim in melius mutato proposito, clarorum contextu factorum aucti sublimius. Qui post multa gloriose & fortiter gesta, superato Nicatore Seleuco eiusdem Alexandri successore, cui uictoriarum crebritas hoc indiderat cognomentum, præsidiisque Macedonum pulsis ipse tranquillius agens, temperator obedientium fuit & arbiter lenis. Denique post finitima cuncta, ui, uel æquitatis consideratione, uel metu subacta, ciuitatum & castrorum castellorúmque munimentis oppleta Perside, adsuefactáque timori esse accolis omnibus quos antea formidabat, ipse medium agens cursum ætatis, placida morte decessit. Certatimque summatum & uulgi sententiis, concinentibus astris (ut ipsi existimant) ritus sui consecratione permixtus est omnium primus. Vnde ad id tempus reges eiusdem gentis prætumidi appellari se patiuntur Solis fratres & Lunæ: útque imperatoribus nostris Augusta nuncupatio amabilis est & optata, ita regibus Parthicis abiectis & ignobilibus antea incrementa dignitatum felicibus Arsacis auspiciis accessere uel maxima. quamobrē numinis eum uice uenerantur & colunt, eousque propagatis honoribus, ut ad nostri memoriam non nisi Arsacides sit, quisquam in suscipiendo regno cunctis anteponatur: &

in qualibet ciuili concertatione, quæ quotidie apud eos euenniunt, ut sacrilegum quisque caueat, ne dextera sua Arsacidem arma gestantem feriat uel priuatum. satisque constat hanc gentem regna, populis ui superatis compluribus, dilatasse adusque Propontidem *&* Thracias: *sed altè spirantium diuum superbia, licenter grassantiũ per longinqua, ærũnis maximis imminutam.* Primo per Cyrum, *quẽ* Bosphori *fretum cum multitudine fabulosa trãsgressum, ad internicionẽ deleuit* Tomyris *regina* Scytharum *ultrix acerrima filiorũ.* Deinde *cum* Darius, *postẽque* Xerxes *Græciam elementorum usu mutato aggressi, cunctis penè copijs terra mariqué consumptis, uix ipsi tutum inuenere discessum: ut bella prætereamus* Alexãdrina, *&* testamento *nationẽ omnem in successoris unius iura trãslatam. Quibus peractis trãscursisque temporibus lõgis sub consulibus, & deinceps in potestatem Cæsarum redacta* Rep. *nobiscum eæ nationes subinde dimicarunt, paribúsque momentis interdum, aliquoties superatæ, nonnunquã abiere victrices. Nunc locorũ situm quantum ratio sinit, carptim breuiter absoluam.* Hæ *regiones in amplitudines diffusæ lõgas & latas, ex omni latere insulosum & celebre* Persicum *ambiunt mare: cuius ostia adeo esse perhibentur angusta, ut ex* Harmozonta Carmaniæ *promontorio contra oppositum aliud promontoriũ, quod appellant incolæ* Macæs *sine impedimento cernatur. Quibus angustijs permeatis, cum latitudo patuerit nimis extensa, nauigatio adusque urbem* Teredona *porrigitur, ubi post iacturas multiplices pelago misceturEuphrates: omnisque sinus dimensione littorea in numerum uiginti millium stadiorum, uelut spatio deternato finitur: cuius per oras omnes oppidorũ est densitas & uicorum nauiúmque crebri discursus. Ergo permeatis angu-*

ſtijs antedictis, uenitur ad Armeniæ ſinum, Orienti obiectum: interuallo Cãtichus nomine panditur ſinus Auſtralis: haud procul inde alius quem uocant Chaliten, occiduo obnoxius ſideri. Hunc præſtrictis pluribus inſulis, è quibus paucæ ſunt notæ, Indorum mari iunguntur Oceano, qui feruentem ſolis exortum ſuſcipit omnium primus, ipſe quoque nimium calens. Vtque geographici ſtyli formarunt, hac ſpecie diſtinguitur omnis circuitus antedictus. Ab Arctoo cardine aduſque Caſpias portas Caduſiis conterminat & Scytharũ gentibus multis & Arimaſpis hominibus luſcis & feris: ab occidua plaga contingit Armenios, & Niphatẽ, & in Aſia ſitos Albanos, mare rubrum, & Scenitas Arabas quos Saracenos poſteritas appellauit: Meſopotamiã ſub axe Meridionali deſpectat: Orienti à fronte contrarius, ad Gangen extenditur flumen, quod Indorum interſecans terras, in pelagus eiectatur auſtrale. Sunt autem in omni Perſide hæ regiones maximæ, quas uiatxæ, id eſt magiſtri equitum curant, & reges & ſatrapæ: nã minores plurimas recenſere difficile eſt & ſuperfluum. Aſſyria, Suſiana, Media, Perſis, Parthia, Carmania maior, Hyrcania, Margiana, Bactriani, Sogdiani, Sacæ, Scythia ultra Emodem montem, Serica, Aria, Paropaniſadæ, Drãgiana, Arachoſia, & Gedroſia. Citra omnes propinqua eſt nobilis Aſſyria celebritate & magnitudine, & multiformi feracitate ditiſſima: quæ per populos pagoſque amplos diffuſa quondam & copioſa, ad unum concęſſit uocabulũ, & nunc omnis appellatur Aſſyria: ubi inter baccarũ, uulgariúmque abundantiam frugum bitumen naſcitur, prope lacum nomine Soſingiten, cuius alueo Tigris uoratus, fluéníque ſubterraneus percurſis ſpatijs longis emergit. Hic & naphtha gignitur picea ſpecie glutinoſa, ſimilis ipſa quo-

que bitumini: cui etiam si aucula insederit breuis, præpedito uolatu submersa penitus euanescit. Et cum hoc liquoris ardere cœperit genus, nullum inueniet humana mens præter puluerem extinguendi commentum. In his pagis hiatus quoque conspicatur terræ, unde halitus letalis exurgens quodcunq; animal proxime stetérit, odore graui consumit. Quæ lues oriens à profundo quodam puteo cum os eius excesserit latum, antequam sublimius uagaretur, terras circunsitas inhabitabiles acerbitate fecisset. Cuius simile foramen apud Hierapolim Phrygiæ antehac, ut adserunt aliqui, uidebatur: unde emergens itidem noxius spiritus perseueranti odore quicquid propè uenerat corrupebat, absque spadonibus solis: quod qua causa eueniat, rationibus physicis permittatur. Apud Asbamei quoque Iouis templum in Cappadocia, ubi amplissimus ille philosophus Apollonius traditur natus apud oppidum Tyana, stagno effluens fons cernitur, qui magnitudine aquarũ inflatus seséque resorbens, nunquam extra margines intumescit. Iuxta hunc circuitum Adiabena est Assyria priscis tẽporibus uocitata, longique assuetudine ad hoc translata uocabulum ea re, quòd inter OEnam & Tigridem sita nauigeros fluuios, adiri uado nunquam potuit: transire enim διαβαίνειν dicimus Græci. & ueteres quidem hoc arbitrãtur. Nos autẽ didicimus, quòd in his terris amnes sunt duo perpetui, quos & transiuimus. Diabas & Adiabas, iuncti naualibus pontibus. Ideóque intelligi Adiabenam cognominatam, & ut à fluminibus maximis AEgyptus, Homero autore, & India, & Euphratensis antehac Commagena: itidémque Iberia ex Ibero, nunc Hispania, & à Bæti amne insignis prouincia Bætica. In hac Adiabena Ninus est ciuitas, quæ olim Persidis regna possederat, nomẽ Nini po

tentissimi regis quondã Semiramidis mariti declarans, & Ecbatana, & Arbela, & Gaugamela, ubi Dariũ Alexander post discrimina uaria prælíorum incitato Marte prostrauit. In omni autem Assyria multæ sunt urbes, inter quas Apamia eminet Mesene cognominata, & Teredon, & Apollonia, & Vologessia, hisque similes multæ. splendidissimæ uero & peruulgatæ hæ solæ sunt tres: Babylon, cuius mœnia bitumine Semiramis struxit: arcẽ enim antiquissimus rex cõdidit Belus: & Ctesiphon, quam Vardanes priscis temporibus instituit, postéáque rex Pacorus incolarum uiribus amplificatam & mœnibus, Græco indito nomine Persidis effecit specimen summum: post hanc Seleucia ambitiosum opus Nicanoris Seleuci. qua per duces Veri Cæsaris, ut ante retulimus, expulsata, auulsum sedibus simulacrum Chomei Apollinis, perlatúmque Romam in æde Apollinis palatini deorum antistites collocarunt. Fertur autem, quòd post direptum hoc idem figmentum incensa ciuitate, milites fanum scrutantes inuenere foramen angustum: quo reserato ut pretiosum aliquid inuenirent, ex adyto quodam concluso à Chaldæorum arcanis labes primordialis exiluit, quæ insanabiliũ ui concepta morborũ eiusdẽ Veri & Marci Antonini temporibus ab ipsis Persarum finibus adusque Rhenum & Gallias cuncta contagijs polluebat & mortibus. Hic prope Chaldæorum est regio altrix philosophiæ ueteris, ut memorãt ipsi, apud quos ueridica uaticinandi fides eluxit. Perfluũt autem has easdẽ terras potiores ante alios amnes hi quos prædiximus, & Marsias & flumen regum, & Euphrates cunctis excellens: qui tripartitus nauigabilis per omnes est riuos, insulásque circunfluens, & arua cultorũ industria diligentius rigans, uomeri & gignẽdis arbustis habilia facit. his trachibus

Susiani iũguntur, apud quos non multa sunt oppida. inter alia tamen eminet Susa sæpe domiciliũ regum, & Arsiana, & Sela & Arecha, cætera breuia sunt & obscura. Fluuij uero multi per hæc loca discurrũt, quibus præstantior Oates, & Harax, & Meseus, per arenosas angustias, quæ à rubro prohibẽt Caspium mare æquoream multitudinem inundantes. At in læua Media confinis Hyrcano panditur mari: quam ante regnũ Cyri superioris, & incrementa Persidos, legimus Asiæ regnam totius Assyrijs domitis: quorũ plurimos pagos in Acropatenæ uocabulũ permutatos belli iure possedit, pugnatrix natio, & formidãda post Parthos, quibus uincitur solis, regiones inhabitans ad speciem quadratæ figuræ formatas. harum terrarum incolæ omnes ad latitudinem nimiam extenduntur, eisque maximæ celsitudines imminent montiũ, quos Zagram & Orontẽ & Iasonium uocant. Coroni quoque montis altissimi partẽ habitantes occiduam frumentarijs agris adfluunt & uinarijs, pingui fœcunditate lætissimi, & flumnibus, fontiúmq; uenis liquidis locupletes. sunt apud eos prata uirentia, fœtus equorũ nobilium, quibus (ut scriptores antiqui docent, nósque uidimus) meuntes prælia uiri summa in uehi exultantes solent, quos Neseos appellant. abundant æque ciuitatibus quibus Media, & uicis in modũ oppidorum extructis, & multitudine incolarum. útque absolutæ dicatur, uberrimum est habitaculum regum. In his tractibus magorum agri sunt fertiles: super quorum secta studijsque, quoniã huc incidimus, pauca conueniet expediri. Magian opinionum insignium autor amplissimus Plato, Machagistiam esse uerbo mystico docet, diuinorum incorruptissimum cultum, cui scientiæ seculis priscis multa ex Chaldæorum arcanis Bactrianus addidit Zoroastres: deinde Hystaspes rex

prudentissimus Darij pater, qui cum superioris Indiæ secreta fidentius penetraret, ad nemorosam quandam uenerat solitudinem, cuius tranquillis silentijs præcelsa Bracmanorum ingenia potiuntur: eorúmque monitu rationes mundani motus & siderum, purósque sacrorum ritus quantũ colligere potuit eruditus, ex his quæ didicit, aliqua sensibus magorum infudit: quæ illi cum disciplinis præsentiendi futura per suã quisque progeniem posteris ætatibus tradũt. Ex eo per secula multa ad præsens una eadémque prosapia multitudo creata deorũ cultibus dedicatur. Ferúntque etiã, si iustum est credi, ignem cælitus lapsum apud se sempiternis foculis custodiri, cuius portionẽ exiguam ut faustã præisse quondam Asiaticis regibus dicunt. Huius originis apud ueteres numerus erat exilis, eiúsque mysterijs Persicæ potestates in rebus faciendis diuinis solenniter utebãtur. Erátque piaculũ aras adire, uel hostiã contrectare, antequã magus conceptis precationibus libamenta diffunderet præcursoria. Verũ aucti paulatim in amplitudinẽ gentis solidæ concesserunt & nomẽ: uillásq; inhabitantes nulla murorũ firmitudine cõmunitas, & legibus suis uti permissi, religionis respectu sunt honorati. Ex hoc magorũ semine septem post mortẽ Cambysis regnum iniisse Persidos antiqui memorãt libri, docentes eos Darij factione oppressos imperitandi initiũ equino hinnitu sortiti. In hac regione oleũ conficitur medicum, quo illitum telum si emissum lentius laxiore arcu (nam ictu extinguitur rapido) hæserit usquã, tenaciter cremat: Et si aqua uoluerit abluere quisquam, æstus excitat acriores mœndiorũ. Nec remedio ullo quàm iactu pulueris cõsopitur. Paratur autem hoc modo: Oleum usus communis herba quadã infectum condiũt harũ rerũ periti, ad diuturnitatem seruãtes, & coalescens du-

rant ex materia uenæ naturalis, simulis oleo crassiori: quæ species gignitur apud Persas, quã (ut diximus) naphthã uocabulo appellauere gentili. Per hæc loca ciuitates dispersæ sunt plures, queis omnibus præstant Zombis, & Pathgra, & Gazaca: inter quas opibus & magnitudine mœnium conspicuæ sunt Heraclia, & Arsacia, & Europos, & Cyropolis, & Ecbatana sub Iasonio mõte in terris sitæ Syromedorũ. Amnes has regiones prætereunt multi, quorũ maximi sunt Choaspes, & Gyndes, & Amardus, & Charmdi, & Cambyses, & Cyrus, cui magno & spacioso Cyrus ille superior rex amabilis, abolito uetere id uocabulũ dedit, cum ereptum ire regna Scythica destinaret, quòd & fortis esset, ut ipse ferebatur, & uias sibi, ut ille, impetu ingenti molitus in Caspiũ dilabitur mare. Per tractus Meridianos expansa, post hæc confinia, littoribus proxima Persis habitatur antiqua, minutis frugibus diues & palmite, aquarũm que copia iucundissima. Amnes quippe multi per eã m antedictum fluunt sinum: quorũ maximi sunt Vatrachites, Rogumanis, & Brisoana, atq; Bagrada. Oppida uero mediterranea sunt ampliora. inœrtũ enim qua ratione per oras maritimas nihil condiderũt insigne. Inter quæ Persepolis est clara, & Ardea, & Orobatis, atq; Tragonica. Insulæ uero uisuntur ibi tres tantũ, Tibiana, & Phara, & Alexãdria. His propinquãt Parthi, & Scythæ siti sub Aquilone, colẽtes niuales terras & pruinosas: quorũ regiones Choatres fluuius interscindit cæteris abundãtior. & hæc potiora residuis sunt oppida: Genonia, Charax, Apamia, Artacana, & Hecatõpylos, à cuius finibus per Caspia littora adusq; portarũ angustias stadia quadraginta numerãtur & mulle. seri sunt illic habitatores pagorũ omniũ, atq; pugnaces: eósq; ita cœrtamina iuuãt & bella, ut iudicãtur inter

alios omnes beatus, qui in prælio fuderit animã. exœdẽtes enim è uita morte fortuita, conuitijs insectantur ut degeneres & ignauos. quibus ab Oriẽtali Australíq; plaga Arabes beati conterminant, ideo sic appellati, quòd frugibus iuxta & fœtibus & palmitæ odorúmq; suauitate multiplia sunt locupletes: magnæq; eorum partes Rubrum mare à latere dextero cõtingunt: lacua Persico mari collimitãt: elementi utriusque potiri bonis omnibus assueti. ubi & stationes, & portus tranquilli sunt complures, & emporia densa, & diuersoria regum ambitiosa nimũ & decora, aquarúmque suapte natura calentium saluberrimi fontes, & riuorũ fluminúmque multitudo perspicua, sospitalísque cæli temperies, ut recte spectantibus nihil eis uideatur ad felicitatem deesse supremam. Ac licet abũdet urbibus mediterraneis atque maritimis, campísque copiosis & uallibus, has tamen ciuitates habet eximias, Geapolim, & Nascum, & Baraba, itidémq; Nagara, & Mephram, & Taphron, & Dioscuriada. Insulas autem complures habet per utrũque proximas mare. quas dinumerare nõ refert. Insignior tamen alijs Turgana est, in qua Serapidis maximum esse dicitur templum. Post huius terminos ingentes, Carmania maior uerticibus cælsis erigitur, adusque Indicum pertinẽs mare, fructuarijs arboreisque fœtibus culta, sed obscurior Arabum terris multo & minor, fluminibus tamen ipsa quoque non minus abundans, cespitisque ubere iuxta fœcunda. Amnes autem sunt hic cæteris notiores Sagareus, & Saganis, & Hydriacus. Sunt etiam ciuitates, licet numero paucæ, uictu tamen & cultu perquam copiosæ. Inter quas nitet Carmania omniũ mater, & Ortospana, & Alexandria, & Hermupolis. Interius uero pergenti occurrunt Hyrcani, quos eiusdẽ nominis alluit mare: apud quos gle-

bæ maximæ auro micantes, rauris colēdi cura est leuior: sed uescuntur uenatibus; quorum uarietate immane quantum exuberant. ubi etiam tigridum millia multa cernuntur, feræque bestiæ plures: quæ cuiusmodi solent capi commentis, dudū nos meminimus retulisse. nec ideo tamen stiuam ignorāt, sed seminibus teguntur aliquæ partes, ubi solum est pinguius. nec arbusta desunt in locis habilibus ad plātandum, & marinis mercibus plerique sustentantur. Hic amnes duo peruulgati sunt nominis, Oxus & Maxera, quos urgente media superātes natatu aliquoties tigres, improuisæ finitima populantur. Habent etiam ciuitates inter municipia minora ualidas, duas quidem maritimas, Sogunda & Saramanna: mediterraneas alias, Azmornam & Solen, & his nobiliorem Hyrcanam. Contra hanc gentem sub Aquilone dicuntur Abij uersari genus pijssimum, calcare cuncta mortalia consuetum: quos (ut Homerus fabulosius canit) Iupiter ab Idæis montibus contuetur. Sedes uicinas post Hyrcanos sortiti sunt Margiani, omnes penè collibus altis undique circunsepti, ideo à mari discreti. Et quanquam pleraque sunt ibi deserta aquarū penuria, quædam tamen habent oppida, sed Iasonium, & Antiochia, & Nisea, sunt alijs notiora. Proximos his limites possident Bactriani natio antè hac bellatrix & potentissima, Persisque semper infesta, antequam circunsitos populos omnes ad deditionem gentilitatémque traherent nominis sui, quam rexere ueteribus seculis etiam Arsaci formidabiles reges. Eius pleræque partes, ita ut Margiana, procul à littoribus sunt disparatæ, sed humi gignentium fertiles, & pecus quod illic per cāpestria loca uescitur & montana mēbris magnis cōpactum & ualidis. in dicio sunt cameli à Mithridate exinde perducti, & primitus in obsi-

dione Cyzicena Romanis uisi. gentes ijsdē Bactrianis obediunt plures, quæ arua plana arāt, & ad Italiæ speciem crebris fluminibus inūdantur: è quibus Artamis & Zariaspes antè sibi cōsociati, itidémq; Ochus & Orgomanes iuncti cōuenis aquis, augēt immania Oxi fluenta. Sunt & hic ciuitates quas amnes diuersi perstringūt, his cedētes ut melioribus, Chatra, & Charte, & Aliœdra, & Astacia, & Menapila, & Bactra ipsa, unde regnū & uocabulū nationis est institutū, sub imis montiū pedibus quos appellāt Sogdios. inter quos amnes duo fluūt nauiū capacissimi, Araxates & Dymas qui per iuga uallésq; præcipites in cāpestrē planiciē decurrētes, Oxiā nomine paludē efficiunt lōgè latéque diffusam. Hic inter alia oppida cœlebrātur, Alexandria, & Tribatra, & Drepsa metropolis. His contigui sunt Sacæ natio fera, squalentia incolēs loca, solo pecori fructuosa, ideo nec ciuitatibus culta: cui Ascanimia mons imminet, & Comedus. Præter quorū radices, & uicā quē Lithinon Pyrgon appellāt, iter lōgissimum patet mercatoribus peruium ad Seras subinde cōmeantibus. Circa defectus & crepidines montiū, quos Imauos & Tapurios uocant, Scythæ sunt intra Persicos fines, Asianis conterminī Sarmatis, Alanorúmq; latus tāgentes extremum. Qui uelut agentes quodā secessu cœlitiq; solitudine per interualla dispersi sunt lōgè, assueti uictu uili & pauperrimo. & gētes quidem uariæ hos incolūt tractus, quas nūc recēsere alio properās, superfluū puto. Illud tamē sciendū, inter has nationes penè ob asperitatē nimiā macessas, homines esse quosdā mites & pios, ut Iaxartæ sunt & Galactophagi, quorū meminit uates Homerus in hoc uersu, γαλακτοφάγων ἀβίωντε δικαιοτάτων ἀνθρώπων. Inter flumina uero multa, quæ per has terras, uel potioribus iūgit natura, uel lapsu

pòst trahit in mare, Roemnus cœlebris est, & Iaxartes, & Talicus. Ciuitates autē nō nisi tres solas habere noscūtur, Aspabota, & Cauriana, & Saga. Vltra hæc utriusque Scythiæ loca, contra Orientalem plagam in orbis speciem consertæ cœlsorum aggerum summitates ambiunt Seras, uberrtate regionum & amplitudine circunspectos: ab Occidētali latere Scythis adnexos, à Septētrione & Orientali niuosæ solitudini cohærentes, quà Meridiem spectant adusque Indiā porrectos & Gangem. Appellātur autem ijdem montes, Aria, & Nazautium, & Asmira, & Emodus, & Opurocarra. Hanc itaque planiciem, undique prona decliuitate præruptam, terrásque lato situ distentas, duo famosi nomunis flumina, OEchardes & Banthisis lentiore meatu percurrūt. & dispar est tractuum diuersorum ingeniū: hic patulum, alibi molli deuexitate subductum. ideóque satietate frugum, & pecoribus, & arbustis exuberant. Incolunt autem fœcundissimam glebam uariæ gentes, è quibus Alitrophagi, & Carambusi, & Sizyges, & Chardi Aquilonibus obiecti sunt & pruinis. Exortum uero solis suspiciunt Rabannæ, & Asmiræ, & Essedones omniū splendidissimi: quibus Atharæ ab Occidentali parte cohærēt, & Asparatæ: Betæ uero Australi cœlsitudini mōtium acclinati, urbibus licet non multis, magnis tamen cœlebrantur & opulentis: inter quas maximæ, Asmira, & Essedon, & Asparata, & Pheræ, nitidæ sunt & notissimæ. agunt autem ipsi quietius Seres armorū semper & prœliorum expertes, útque hominibus sedatis & placidis est otiū uoluptabile, nulli finitimorū molesti. cœli apud eos iucūda salubrísq; tēperies, aeris facies mūda, leuiúmq; uētorum cōmodissimus flatus, & abunde sylluæ sublucidæ: à quibus arborū fœtus aquarū aspergnibus crebris, uelut quædam

uellera molliẽtes, ex lanugine & liquore mixtã subtilitatẽ tenerrimã pectunt: nentẽsque subtegmina, conficiunt sericum, ad usus antehac nobilium, nũc etiam infimorum sine ulla discretione proficiens. Ipsi præter alios frugalissimi, pacatioris uitæ cultores, uitantes reliquorũ mortalium cœtus. Cúmque ad cœmenda fila, uel quædam alia fluuiũ transierint aduenæ, nulla sermonum uice propositarũ rerum pretia solis oculis æstimantur. Et ita sunt abstinentes, ut apud se tradentes gignentia, nihil ipsi comparent aduectitium. Ariani uiuunt post Seras, Boreæ obnoxij flatibus: quorum terras amnis uehendis sufficiens nauibus, Arias perfluit nomine, faciens lacum ingentem eodem uocabulo dictitatum. Abundat autem hæc eadem Aria oppidis: inter quæ sunt celebres, Bitaxa, Orbitana, & Sotera, & Nisibis, & Alexandria. unde nauiganti ad Caspiũ mare quingenta stadia numerantur & mille. his locis Paropamissadæ sunt proximi, Indos ab Oriente, Caucasúmque ab Occidentali latere prospectantes, ipsi quoq; montiũ defectibus acclinati: quos residuis omnibus maior Ortogordomaris interluit fluuius à Bactrianis exurgens. Habent autem etiã ciuitates aliquas, quibus clariores sunt, Gazaca, & Naulibis, & Ortospana, unde littorea nauigatio adusque Mediæ fines portis proximos Caspijs stadiorum sunt duo millia ducẽta. Antedictis contigui sunt Drangiani collibus cohærentes, Arabum nomine ideo appellatum, quòd inde exoritur, intérque alia duobus municipijs exultantes Prophthasia, & Ariaspe, opulentis & claris. Post quos ex aduerso Aracosia ustitur, dextrum uergens in latus Indis obiecta: quam ab Indo fluuiorum maximo, unde regiones cognominatæ sunt, amnis multo minor exurgens aquarũ alluit amplitudine, efficátque paludẽ Arachotoserenen ap-

pellatã.hic quoque ciuitates sunt inter alias uiles, Alexandria, & Arbaca, & Choaspa. In penitissima parte Persidos Gedrosia est, dextra terminos cõtingens Indorũ, mœrminores alios Artabio uberior flumine: ubi mõtes deficiunt Barbitani, quorũ ex pedibus imus emergẽtes alij fluuij Indo miscẽtur, amittentes nomina magnitudine potioris. ciuitates autẽ etiam hic sunt. inter ciuitates præter insulas Sedratyra, & Gynæcon limen meliores residuis æstimãtur. Ne igitur oræ maritimæ spatia alluẽtia Persidis extremitates per minutias demonstrantes, à proposito lõgius aberremus, id sufficiet dici: quòd mare prætẽtum à Caspijs montibus per Boreũ latus adusque memoratas angustias nouem milliũ stadiorũ: Australe uero ab ostijs Nili fluminis adusq; principia Carmanorũ, quatuordecim milliũ stadiorũ numero desinitur. Per has nationes dissonas & multiplices, hominum quoque diuersitates sunt ut locorũ. Sed ut generaliter corpora describamus & mores, graciles penè sunt omnes, subnigri uel liuido colore pallẽtes, caprinis oculis torui, & supercilijs in semiorbiũ speciem curuatis iũctisque, non in decoris barbis, capillisq; prolixis hirsuti. omnes tamẽ promiscue, uel inter epulas, festõsque dies gladijs cincti cernuntur. Quẽ Græcorũ ueterũ morẽ abiecisse primos Atheniẽses, Thucydides est autor amplissimus. Effusius pleriq; soliti solui in Venerem, ægréque cõtenti multitudine pellicum, pueriliũ stuprorũ expertes, pro opibus quisque adsciscens matrimonia, plura uel pauca. Vnde apud eos per libidines uarias charitas dispersa torpescit. munditias cõuiuiorũ & luxũ, maximéque potandi auiditatẽ uitãtes, ut luem. Nec apud eos extra regales mẽsas hora est præstituta prãdendi, sed uenter uniciuique uelut solarium est, eóque monente quod meiderit editur. nec quisquam post satietatem

superfluos sibi ingerit cibos. immane quantum restricti & cauti, ut inter hostiles hortos gradientes nonnunquam & uineta nec cupiant aliquid nec contingant, uenenorũ & secretarum artium metu. Super his nec stando mingẽs, nec nec ad requisita naturæ secẽdẽs facile usitur Persa, ita obseruantius hæc aliáque pudẽdá declinat. Adeo autẽ dissoluti sunt, & artuũ laxitate, uagóque incessu iactitantes se, ut effœminatos existimes, cum sint acerrimi bellatores, sed magis artifices quàm fortes, eminúsque terribiles: abũdantes manibus uerbis insanímque loquẽtes & ferũ, magnidici, graues & tetri, minaces iuxta in aduersis rebus & prosperis, callidi, superbi, crudeles, uitæ necísque potestatem & in seruos & in plebeios uindicãtes obscuros. cutes uiuis hominibus detrahũt particulatim uel solidas: nec munistrãti apud eos famulo mẽsęq; adstãti hiscere uel loqui licet uel spuere, ita prostrati pellibus labra omniũ uinciuntur. Leges apud eos impẽdio formudatæ. Inter quas diritate exuperãt latæ cõtra ingratos, & desertores, & abominandæ aliæ per quas ob noxã unius omnis propinquitas perit. Ad iudicãdũ autẽ usu rerũ spectati destinãtur & integri, parũ alienis cõsiliis indigẽtes: unde nostrã cõsuetudinẽ ridẽt, quæ interdũ facũdos, iurísque publici peritissimos post indoctorũ collocat terga. Nam quod supersedere corio damnati ob iniquitatem iudicis iudex alius cogebatur, aut finxit uetustas, aut olim recepta consuetudo cessauit. Militari cultu ac disciplina præludiisque continuis rei castrensis & armaturæ, quam sæpius formauimus, metuendi uel exercitibus maximus, equitatus uirtute confisi, ubi desudat nobilitas omnis & splẽdor. Pedites enim in speciem murmillonum cõtecti, iussa faciũt ut calones. Sequutúrq; semper hæc turba tanquam addicta perenni seruitio, nec stipen-

dijs aliquando fulta nec donis. & gentes plurimas præter eas quas abunde perdomuit, sub iugum hæc natio miserat, ita audax, & ad pulueres Martios erudita, ut in bellis ciuilibus externisq; assiduæ uexaretur. Indumẽtis plerique eorum ita operiuntur lumine colorũ fulgentibus uario, ut licet sinus latéráq; diffuta relinquant flatibus agitari uentorum, inter calceos tamen, & uerticem nihil uideatur mœctũ. armillis uti, monilibúsque aureis, & gemmis, præcipue margaritis, quibus abundant, assuefacti post Indiam uictam, & Cræsum. Res statuit ut super ortu lapidis huius pauca succinctius expliçentur. Apud Indos & Persas margaritæ reperiũtur in testis marinis robustis & candidis, permixtione roris anni tempore præstituto conceptæ. Cupientes enim uelut coitum quendã humoris, ex lunari aspergine capiunt densius osculando. Eximdéque grauidæ edunt minutas binas, aut ternas, uel uniones sic appellatas, quòd eius terræ conchulæ singulas aliquoties pariunt, sed maiores. Idque indicium est ætheria potius deriuatione, quàm sagittis pelagi hos oriri fœtus & uesci, quòd guttæ matutini roris ijsdem infusæ claros efficiũt lapillos & teretes: uespertini uero flexuosos contrà & rutilos, & maculosos interdũ. Minima autem uel magna pro qualitate haustuum figurantur casibus uariatis. Concussæ uero sæpissime metu fulgurum manescunt, aut debilia pariunt, aut certe utijs defluunt abortiuis. Capturas autem difficiles, & periculosas, & amplitudines pretiorũ illa efficit ratio, quòd frequentari sueta littora propter piscantium insidias declinantes (ut quadã conijciunt) circa deuios scopulos, & marinorũ canum receptacula delitescunt. Quod genus gemmæ etiam in Britannicis secessibus maris gigni legíque, licet dignitate dispari, non ignoramus.

AMMIANI MARCELLINI RERVM GESTARVM LIBER XXIIII.

POST exploratam alacritatem exercitus, uno parique ardore impenetrabilem principem superari non posse, usitato clamore testantis, Iulianus summæ rei finem imponendum maturius credēs, extracta quiete nocturna itinerarium sonare lituos iubet: præstructisque omnibus quæ difficultates arduæ belli poscebant, candente iam luce Assyrios fines ingressus, celso præter alios spiritu obequitans ordinibus, æmulatione sui cunctos ad officia fortitudinis mōedebat. utque ductor usu & docilitate firmatus, metuens ne per locorum insolentiam insidijs capere tur occultis, agminibus inædere quadratis exorsus est. Excursatores quidem quingentos & mille sensim præire disposuit, qui cautius gradientes ex utroque latere, itidémque à fronte, nequis repētinus irrueret prospectabant. Ipse uero medios pedites regens, quod erat totius roboris firmamentū, dextra legiones aliquas cum Nevita supercilia fluminis perstringere iussit Euphratis. Cornu uero læuū cum equitum copijs Arintheo tradidit & Ormisdæ ducēdum confertius per plana camporū & mollia. Agmina uero postrema Dagalaiphus cogebat & Victor, ultimúsque omnū Osdruenæ dux Secūdinus. Demde ut hostibus si erupissent usquam uel conspicantibus procul, timorem multitudinis maioris incuteret, laxatis cuneis iumenta dilatauit & homines, ut decimo penè lapide postremu dispararentur à signiferis primis: quod arte mira sæpe fecisse Pyrrhus ille

rex dicitur Epirotes, opportunis in locis castrametandi, armorúmque speciem diffundēdi ex industria, uel attenuandi perquam scientissimus, ut ubi uenisset plures æstimarentur, aut pauci. Sarcinas uero & calones & apparitionem imbellem, impedimentorúmque genus omne inter utrunque latus instituit procedentium ordinum, ne qua ui subita raperētur, ut sæpe contingit, improtecta. Classis autem licet per flumen ferebatur assiduis flexibus tortuosum, nec residere, nec præcurrere sinebatur. Emēso itaque itinere biduī prope ciuitatē uenimus Dorā, desertam marginibus amnis impositam. In quo loco greges ceruorū plures inuenti sunt, quorum alij confixi missilibus, alij ponderibus elisi remorū, ad satietatem omnes pauerunt: pars maxima natatu assueta uelocī, alueo penetrato incolumi cursū euasit ad solitudines notas. Exin itinere dierū quatuor leui peracto, uespera incēdēte cum expeditis mille impositis naubus, Lucullianus comes imperitia principis mittitur Anathan munimentum expugnaturus: quod ut pleraque alia circunluitur fluētis Euphratis: & naubus, ut præceptum est, per opportuna dispersis, obsidebatur insula nebulosa nocte obumbrante impetū clandestinum. Sed postquam uenit lux certa, aquatum quidam egressus, uisis subito hostibus ululabili clamore sublato excitos tumultuosis uocibus propugnatores armauit. Et mox specula quadam altissima explorato situ castrorum, quàm ocyssime duarū præsidio nauium amnem supermeat imperator, ponè sequentibus naugijs multis, quæ obsidionales machinas aduehebāt. Iámque muris propinquans cū non absque discrimnibus multis consideraret esse certandum, sermone cum leni, tum aspero & minaci hortabatur ad deditionē defensores: qui ad colloquiū petito Ormisda, promissis

eius & iuramẽtis illecti, multa sibi de lenitudine Romana spondebant. Denique præ se bouẽ xronatum agentes, quod est apud eos susceptæ pacis indiciũ, descendere suppliciter: & statim omni muniméto inconso, Puseus eius præfectus, dux AEgypti postea, honore tribunatus affectus est. Reliqui uero cum charitatibus suis & supellectile humliore cultu ad Syriacam ciuitatẽ Chalcida trãsmissi sunt. Inter hos miles quidam, cum Maximianus perrupisset quõdam Persicos fines, in his locis æger relictus, prima tum etiã lanugine iuuenis, ut aiebat, uxores sortitus gentis ritu cõplures, cũ numerosa sobole tunc senex incuruus, exultans proditionísque autor ducebatur ad nostra, testibus affirmans, & præsaisse se olim, & prædixisse quòd cœnario iã contiguus sepelietur in solo Romano. Post quæ Saracæni procursatores quosdã partis hostium obtulere lætissimo principi, & iterum ad agenda simulia sunt remissi. Acciderat aliud postridie dirum. uẽtorum enim turbo exortus, pluréſque uertigines concitans, ita confuderat omnia tecta, ut taberna.ula multa considerẽtur, & supini plerique milites sternerẽtur uel proni, spiritu stabilitatẽ uestigij subuertẽtæ: nec minus eodẽ die aliud periculosum euenit. Amne enim repente circa margines euagato, mersæ sunt quædam frumentariæ naues, cataractis auulsis ad diffundendas reprimendásque aquas rigare suetas opere saxeo structis: quod utrũ per insidias an magnitudne acciderit fluẽtorum, sciri non potuit. Post præruptam incẽsámque urbem omnũ primam, & captiuos transmissos, certiore iam spe prouectus exercitus ad fiduciam, elatis uocibus in fauores principis consurgebat, affore sibi etiam deinde cælestem existimans curam: & quia per regiones ignotas de obscuris erat suspectior cura, astus gentis & ludificãdi uarietas timebatur.

Ideo imperator nunc antesignanis, nunc agminibus cogendis insistēs cum expeditis uelitibus, nequid lateret abstrusum, fructecta squalida uallésque scrutabatur, licentiores militū per lōginqua discursus affabilitate natiua prohibendo uel munis: hostiles tamen agros omni frugum genere diuites cum segetibus & tugurijs inflāmari permisit, ita demum cum usui necessaria abunde sibi quisque collegisset: & hoc modo sauciabatur salus hostiū nesciorū. Bellatores enim libenter quæsitis dextris proprijs utebantur, alia uirtutis suæ horrea reperisse existimātes, & læti quòd uiræ quoque subsidijs affluentes, alimenta seruabant quæ naugijs uehebātur. Hic uno grauis quidā temerarius miles, & ad ulteriorem ripam nullo urgente trāsgressus, in conspectu nostro ab hostibus captus, occisus est: quibus tali casu patratis, ad castra peruenimus nomine Thilutha, in medio fluminis sita, locū immenso quodā uerticē tumescentem, & potestate naturæ uelut manu circūseptum humana: cuius ad deditionem incolæ tētati mollius (ut decebat) quoniam asperitas edita uim superabat armorū, intēpestiuam tunc defectionem esse firmabāt. Sed hactenus respōderunt, cum interiora occupauerint protinus gradiētes Romani, se quoque utpotè regnorū sequelas victoribus accessuras. & post hæc prætermeantes ipsa mœnia, naues nostras cum uerecundia quietæ spectabant immobiles. quo transito, cum ad munimentum aliud Achaiachalā nomine uenissemus fluminis circumitione uallatū, arduúmque trāscensu, confutati pari responso discessimus. Alia postridie castra ob muros mualidos derelicta prætereuntur mœnsa. Postera igitur & insequenti die stadijs ducentis emensis, uentum est ad locum Baraxmalcha: unde amne trāsito milliario septimo disparata Diacira inuaditur ciuitas habi-

tatoribus uacua, frumento & salibus nitidis plena, in qua templum alti culminis arci uidimus suppositum: qua mœsa, cæsisq; mulieribus paucis quæ repertæ sunt, traiecto fonte scatente bitumine, Ozogardanam occupauimus oppidum, quod formidine aduenientis exercitus, itidem deseruere cultores, in quo principis Traiani tribunal ostentabatur. Hac quoque exusta, biduo ad refectionem corporum dato, prope extremum noctis quæ secũdum diem secuta est, Surena post regẽ apud Persas promeritæ dignitatis, & Malechus Podosaces nomine Phylarchus Saracenorũ Assanitarum, famosi nominis latro, omni sæuitia per nostros limites diu grassatus, structis Ormusdæ insidijs, quẽ ad speculandum exiturũ mœrtum unde præsenserant, ideo sunt tentamento frustrati, quòd angusta fluminis interluuies & prealta trãsiri uado non potuit. Et primo lucis exordio, cum essent hostes iam in contuitu, uisi tunc primitus, coruſci galeis, & horrẽtes indutibus rigidis, milites in procinctum impetu ueloci tendẽtes, eos inuolauere fortissime. Et quanuis arcus ualidis uiribus flecterentur, & splendor ferri intermicans Romanorũ metum augeret, ira tamẽ acuẽte uirtutẽ clypeorũ dẽsitate contecti, ne possint emittere, coegerunt. Animatus huiusmodi primitijs miles, ad uicum Macepracta peruenit, in quo semiruta murorũ uestigia uidebãtur: qui priscis tẽporibus in spatia lõga protẽtus munire ab externis incursibus Assyriam dicebatur. hinc pars fluminis scinditur largis aquarum agminibus, ducẽs ad tractus Babylonios interiores, usui agris futura, & ciuitatibus circũiectis: alia Naarmalcha nomine, quod fluuius regũ interpretatur, Ctesiphõta prætermeat: cuius in exordio turris in modũ phari celsior surgit. Hanc peditatus omnis pontibus caute digestis transiuit. Equites

uero cum iumentis armati clementiores gurgites fluminis obliquati transiuerunt, alia multitudine subita in petita telorum hostilium: quos egressi auxiliares ad cursuram le uissimi fugientiúmque cœruicibus insistẽtes, lanatu auiũ prostrauerũt. Quo negotio itidem gloriose perfecto, ad ciuitatem Pyrisaboram uentum est amplam & populosam, ambitu insulari circumuallatã cuius obequitãs mœnia imperator & situm, obsidium omni cautela cœptabat, quasi sola formidine oppidanos à propugnandi studio submoturus. quibus per colloquia sæpe tentatis, cum nec promissis quisquam flecteretur nec minis, suscipitur oppugnandi exordium. & armatorum triplici corona circundatis muris, die primo adusque noctis initium missilibus cœrtabatur. tum desensores animo præstantes & uiribus, per propugnacula alicijs undique laxius pansis, quæ telorum impetus cohiberent, obtecti scutis uimine firmissimo textis, & crudorum tergorum densitate uestitis, ualidissime resistebãt, ferrea nimirũ facie omni: quia laminæ singulis membrorum liniamentis cohærenter aptatæ, fido operimento totam hominis speciem contegebant. Et aliquoties Ormisdæ & indigenæ & regalis colloquia petentes obnixe, propinquantem probris atque conuitijs ut male fidũ incessebant & desertorẽ: ac tenta caullatione diei maxima parte exempta, tenebrarum silentio primo multiformes admotæ sunt machinæ, cœptáque altitudo complanari fossarum. quæ uixdum ambigua lucè desensores intente cõtemplati, eo accedẽte quòd angularem turrim ictus fouaut arietis uiolentior, relictis ciuitatis duplicibus muris cõtinentem occupant arcem, asperi montis interrupta planitie superpositam: cuius medietas in sublime consurgens, tereti ambitu Argolici scuti speciem ostẽdebat, nisi quòd à Septentrione

id quod rotunditati deerat, in Euphratis fluēta proiectæ cautes eminentius tuebantur: in qua excellebant minæ murorum, bitumine & coctilibus lateculis fabricatæ, quo ædificij genere nihil tutius esse constat. Iamque ferocior miles peruasa urbe, quam uiderat uacuam, aduersus oppidanos ab arce multimoda tela fundētes acri contentione pugnabat. Cum enim ijdem prohibitores catapultis nostrorū urgerētur atque balistis, ipsi quoque ex edito arcus erigebant, fortiter tēsos: quibus pēda utrinque surgentia cornua ita lētius flectebātur, ut nerui digitorum acti pulsibus uiolētis arūdines ferratas emutterēt, quæ corporibus illisæ cōtrarijs letaliter figebātur. Dimicabatur nihilominus utrobique saxorū manualiū nimbis: & neutrobi inclinato momēto, prælium atrox à lucis ortu ad initiū noctis destinatione magna protractū, pari sorte diremptū est. Proinde die secuto, cū certaretur asperrime, multiq; funderētur altrinsecus, & æquæ uires gesta librarēt, imperator omnes aleæ casus inter mutuas clades experiri festinās, cuneatim stipatus dēsatisq; clypeis ab ictu sagittarū defensus, ueloci saltu comitātibus prōptis prope portā uenit hostilē crasso ferro crustatā. Et licet saxis & glāde cæterisque telis cū periculo salutis premeretur, fodicare tamen paratos ualuarū latera, ut aditum patefacerēt, uocibus increpās crebris, non antè discessit, quàm telorū congerie, quæ superiaciebantur, se iam cerneret obruēdum. euasit cū omnibus tamē, paucis leuius uulneratis, ipse innoxius uerecūdo rubore perfusus. Legerat enim Æmilianum Scipionem, cum historiarum conditore Polybio Megalopolitano Arcade & triginta millibus portam Carthaginis impetu simili subfodisse. sed fides receptæ scriptorū ueterū recens factū defendit. Æmilianus enim testudine lapidea tectam fecerat portā, sub qua

tutus & latens, dum moles saxeas detegunt hostes, urbem nudàtam irrupit. Iulianus uero locum patentem ingressus, obumbrata cæli facie fragmentis mõtium & missilibus, ægre inde repulsus abscessit. His raptim ac tumultuarie agitatis, cum operositas uinearum & aggerum impeditissima cæteris urgentibus cerneretur, machinam quæ cognominatur helepolis, iussit expeditius fabricari: qua ut supra docuimus rex usus Demetrius superatis oppidis pluribus, Poliorcetes appellatus est. Ad hanc molem ingentem, superaturam celsarum turrium minas, prohibitores oculorum acies intentius conferentes, itidémque instantiam obsidentium perpensantes, subito uertuntur ad precés circumfusi per turres ac mœniũ minas: & fidem Romanam pansis manibus protestantes, uitam cum uenia postulabant. Cúmque cessasse opera, & munitores nihil tentare uiderẽt ulterius, quod quietis erat indiciũ certum, copiã sibi dari cõferendi sermonis cũ Ormisda posebant. Hócque impetrato Mamersides præsidiorũ præfectus demissus per funem, ductúsque ad imperatorẽ, ut obsecrauit uitam cum impunitate sibi consortibúsque suis firmiter pacta, redire est permissus. Gestísque nuntiatis, plebs omnis utriusque sexus ad sententiã suam cũctis acceptis pace fœderata, cum religionũ cõsecrationibus fidis patefactis egreditur portis, salutarẽ Geniũ affulsisse sibi clamitãs Cæsarẽ magnũ & lenẽ. Numerata sunt autẽ deditiorũ duo millia, & quingenti: nã cætera multitudo obsidiũ antè suspectãs naũigijs paruis permeato amne decessit. In hac arce armorũ alimẽtorũmque copia reperta est maxima: unde necessarijs sumptis, reliqua cũ loco ipso exussere uictores. Postera die quàm hæc acta erant, perfertur ad imperatorẽ cibos per otium capientem nuntius grauis, Surenam Persicum ducem pro-

cursatorum partis nostræ tres turmas inopinum aggressum paucissimos trucidasse: inter quos strato tribuno unũ rapuisse uexillum. statimque concitus ira immani, cum armigera manu festinatione ipsa tutissimus peruolauit: & grassatoribus fœda consternatione depulsis, residuos duos tribunos sacramento soluit, ut desides & ignauos. decem uero milites ex his qui fugerant, exautoratos capitali addixit supplicio, secutus ueteres leges. Incensa denique urbe, ut memoratum est, constructo tribunali insistens, actis gratijs conuocato exercitu cunctos ad paria facienda demœps hortabatur: & argenteos nummos centenos uiritim pollicitus, cum ea parcitate promussi percitos tumultuare sensisset, ad indignationem plenam grauitatis erectus, En, inquit, Persæ circunfluentes rerum omnium copijs, ditare nos poterit opimitas gentis, si unum spirantibus animis fortiter fecerimus. ex immensis opibus egentissima est tandẽ, creditæ, Romana respublica, per eos, qui ut augerẽt diuitias, docuerunt principes auro quietæ à Barbaris redempta redire. impetitum ærarium est, urbes exinanitæ, populatæ prouinciæ: mihi nec facultates, nec propinquitas generis suppetit, quanuis ortus sim nobilis, præter pectus omni liberum metu: nec pudebit imperatorem cuncta bona in animi cultu ponentem, profiteri paupertatem honestam. Nam & Fabritij familiari re pauperes rexere bella grauissima, gloria locupletes. Hæc nobis cuncta poterunt abundare, si imperterriti, deo méque, quantum humana ratio patitur cauteductante mitius egeritis. sin resistitis ad seditionum reuoluti dedecora pristinarum, pergite. ut imperatorem decet, ego solus confecto tantorum munerum cursu moriar stando, contempturus animam quã mihi febricula eripiet una: aut certe discedam. nec enim ita uixi, ut non possim ali-

quando esse priuatus: præque me fero & lætor ductores spectatissimos esse nobiscum, perfectos bellicarum omni genere doctrinarum. Hac modesta imperatoris oratione, inter secunda & aspera meantæ, miles pro tempore delinitus, assumpta cum meliorum expectatione fiducia, regibilem se fore pollicitus & morigerum, cunctorum aspirantæ consensu, autoritatem eius sublimitatémque cordis extollebat in cælum. quod cum uere atque ex animo dicitur, solet amor ex crepitu leui monstrari. Repetitis post hæc tentoriis, pro copia rei præsentis uictu se recreauit & quiete nocturna. Animabat autem Iulianus exercitum, cum non per charitates, sed per inchoatam negotiorum magnitudinem deieraret assidue, Sic sub iugum mitteret Persas, Ita quassatum recrearet orbē Romanum: ut Traianus fertur aliquoties iurando dicta consuesse firmare, Sic in prouinciarum speciem redactam uideam Daciam, Sic pontibus Istrum & Euphratēn superē. & simulia plurima. Post hæc decursis millibus passuū quatuordecim, ad locum quendā uentum est, arua aquis abundantibus fœcundantem: quo itinere nos ituros Persæ prædocti, sublatis cataractis undas euagari fusius permiserunt. Itaque humo latè stagnante, altero die militi requie data, imperator ipse progressus cō stratis ponticulis multis & utribus, sublicij'sque naubus, itidem consectis palmarum trabibus, exercitum non sine difficultate traduxit. In his regionibus agri sunt plures consiti uineis, uarióque pomorum genere: ubi oriri arbores assuetæ palmarum, per spatia ampla adusque Mesenen & mare pertinent magnum, instar ingentium nemorum. & quaquà mœsserit quisquam, termites & spadica cernit assidua, quorum ex fructu, mellis & uini conficitur abundantia. & maritari palmæ ipsæ dicuntur, faciléque se-

xus posse discerni. additur etiam generare fœminas seminibus illitas marium, ferúntque eas amore mutuo delectari: hócque inde clarere, quòd contra se enixissime micantes, ne turgidis quidẽ flatibus auertuntur. & si ex more fœmina maris non illita fuerit semine, abortus utio fœtus amittit in tempestuosos: & siqua fœmina cuius arboris amore percussa sit ignoretur, unguento ipsius inficitur trũcus, & arbor alia naturaliter odoris dulcedinem concipit, hisque indicijs uelut cœundi quædam proditur fides. qua cibi copia satur exercitus, plures prætergressus est in sulas: & ubi formidabatur inopia, ibi timor saginæ grauis incessit. Sagittariorũ denique hostiliũ impetu latenter tentatus, neque multus, prope locum uenit ubi pars maior Euphratis in riuos diffinditur multifidos. In hoc tractu ciuitas ob muros humiles ab incolis Iudæis deserta iratorũ manu militum conflagrauit. Quibus actis pergebat ulterius imperator, placida ope numinis, ut arbitrabatur, erectior. Cúmq; Maiozamalchã uenisset urbẽ magnam & ualidis circundatã mœnibus, tentorijs fixis prouidit solicite, ne castra repentino equitatus Persici turbarentur accursu: cuius fortitudo in locis patentibus immane quantũ gentibus est formidata. & hoc dispositio, stipatus uelitibus paucis, ipse quoque pedes, ciuitatis situm diligenti inquisitione explorature, in perniciosas præcipitatus insidias, ex ipso uitæ discrimine tandẽ emersit. Nãque per latentem oppidi portam Persæ decem armati digressi, imáque cliuorũ peruadentes poplitibus subsidendo, repentino impetu nostros aggressi sunt. E quibus duo conspectiorem habitu principem gladijs petiere districtis: sed occurrit ictibus erectum latius scutum: quo contectus magna elatáque fiducia unius lateri ferrum infixit: alterum stipatores multiplicatis ictibus

occiderunt. residuis, è quibus uulnerati sunt aliqui, disiectis in fugam, spoliatisque ambobus reducens incolumes socios cum exuuijs remeauit ad castra, omnium lætitia magna suscæptus. Sustulit ab hoste prostrato aureum colli monile Torquatus, fudit confidentissimum Gallum altis propugnatione Valerius postea cognomento Coruinus: hácque gloria posteritati sunt commendati. non inuidemus: accedat hoc quoque monumentis ueteribus facinus pulchrum. Constratis postridie pontibus exercitúque transuecto, & metatis alibi salubrius castris uallo duplici circunductis, quoniam (ut diximus) timebãtur solitudines planæ, oppidi suscæpit obsidiũ: periculosum fore existimans, si gradiens prorsus à tergo relinqueret quos timeret. Hæc dum magno molimine comparantur, Surena hostium dux, iumenta adortus quæ in lucis palmaribus uescebantur, à cohortibus nostris repulsorijs cum paucorum exitio habitus frustra discessit: & duarum incolæ ciuitatum, quas amnes amplexi faciunt insulas, parua sui fiducia trepidi ad Cæsiphontis mœnia se contulerunt: pars per syluarum densa: alij per paludes uicinas alueis arborum cauatarũ inuecti, ad unicum auxilium & potissimum itineris longi quod supererat dilabuntur, ulteriora petituri terrarum. è quibus resistentes aliquos nostri milites trucidabant, ipsi quoque lintribus & cymbis per uaria discurrentes, captiuos alios subim de perducebant. Id enim erat librata ratione dispositum, ut dum copiæ pedestres muros oppugnant, equestres turmæ diuisæ per globos abigendis insisterent prædis. hócque prouiso, nullo prouincialium damno miles uiscéribus hostium pascebatur. Iámque imperator muris duplicibus oppidum, ordine circundatum trino scutorum, spe patrandi inæpti maximis uiribus oppugnabat. Sed ut erat necessa-

rius appetitus, ita effectu res difficillima: nam accessus undique rupibus anfractu cælsiore discessis, flexuosisque excæssibus ob periculum anceps, adeundi copiam denegabat: maxime quoniam turres crebritate & altitudine formidandæ, montem saxeum arcis naturaliter editum æquabant, & proclius planities flumini imminens propugnaculorum firmitate muniebatur. Accedebat his haud leuius malũ, quòd lecta manus & copiosa quæ obsidebatur, nullis ad deditionem illecebris flectebatur, sed tanquam superatura uel deuota cineribus patriæ, resistebat aduersis. Iã ægre retentabatur inferens se proterruus miles, & pugnã uel æquo campo iustóque prælio poscens: cúmque receptui caneretur, assidue animosis hostem urgendi conatibus urebatur. uicit tamen nostrorum concilium contentionem uirium maximam: diuisisque operibus, officia quisque distributa capessit ocyssime. Hinc etenim arduu suggestus erigebantur, inde fossarum altitudines alij complanabant: terrarum latibula concaua oblongis tramitibus alibi struebantur. locabant etiam artifices tormenta muralia, funestos sonitus proruptura. Et cuniculos quidem cum uineis Neuta & Dagulaiphus curabant. meundis autem conflictibus & defendendis ab incendio uel eruptionibus machinis, præerat imperator. Cúmque apparatu omni excindendæ urbis labore multiplici consummato pugna flagitaretur, Victor dux reuersus est adusque Ctesiphonta itineribus exploratis, nulla obstacula nuntians offendisse. Quo efferati gaudio milites omnes, elatique firmioribus animis ad certandum signum opperiebantur armati. Iámque clangore Martio sonantibus tubis strepebant utrimq; partes: & primu Romani hostem undique lanuuis ferreis in modum tenuis plumæ contectum, fidentémque quòd tela

rigentis ferri lapsibus impacta resiliebant, crebris procur sationibus, & minaci murmure laæssebat: nonnunquam compage scutorum, qua uelut testudine mfigurabilium fornicum operiebātur aptissime, assiduis motibus laxius dehiscente. contrà Persæ muris obstinatius adhærentes, quantum facere nitique poterant, claudere & frustrari exitiales impetus conabātur. Verum ubi innumeras crates præ se ferentes oppugnatores iam mœnia perurgerent, cum sagittarijs funditores, alij quinetiam saxa uoluentes ingentia, cum facibus & malleolis eos longius propulsabant: tum aptatæ ligneis sagittis balistæ flexu, stridore torquebantur, creberrima spicula funditantes, & scorpiones, quocunque manus peritæ duxissent, rotundos lapides eumbrabant. Iterum deinde ac sæpe geminatis congressibus, æstus in meridiem crescens, efferuescente uaporatius sole, apparatu operum & studio præliandi intentos cunctos reuocauerat fatigatos aut sudore perfusos. eodem mentis proposito secuto quoque die per uaria certaminum genera controuersæ partes dimicantes instanter, æquis manibus & pari fortuna discedunt. Verum in omni discrimine armatis proximus primæps ciuitatis urgebat excidium: sed in districtis necessitatibus nihil tam leue est, quod non interdũ etiam contra sperata rerum afferat momēta magnarum. Cum enim ita ut sæpe discessuræ partes leuius concertarent, abusiuo incusso ariete, qui paulo antè erat admotus, sternitur residuis omnibus altior turris latere cochili firmissime structa, cuius ruina muri contiguum latus secum immani fragore protraxit. ibi cum uarietate casuum obsidentium labor, obsessorúmque industria, uicissim facinoribus spectosis inclaruit. Nihil enim asperum, ira & dolore succensa militi uidebatur, nihil munitoribus erat pro

salute currentibus metuendum aut dirum. Nam cum anceps pugna diutius feruens, sanguine utrimque multis cædibus fuso diei finisset occasu, tandem fatigationi consulitur. Dúmque hæc lucæ agerentur ac palam, nuntiatur imperatori perugili cura distento, legionarios milites quibus cuniculorum erant fodmæ mandatæ, cauatis tramitibus subterraneis, sublicij'sque suspēsis ima penetrasse fundamētorum, iam, si ipse disposuerit, euasuros. Cum itaque noctis plerunque proæssisset, æneatorum occentu signo dato progrediendi, ad pugnam & ad arma concursum est: & consulto murorum muaduntur utrimque frontes, ut dum propulsaturi pericula defensores ultro citróque discurrunt, nec proxima fodientis audiretur ferri tinnitus, nec quodam mtrimsecus obsistente, cunicularioruṁ subita manus emergat. Quibus ita ut corruenerat ordinatis, & occupatis prohibitoribus, patefactisq; latebris, euolat ex superius deuectorum numero miles, post quē Magnus tribunus & Iouianus notarius: quos audax multitudo secuta, his prius confossis quos in æde, per quam in lucem prodierant, inuenerunt, suspensis gradibus procedentes obtruncarunt ūigiles omnes, ex usu moris gentici iustitiā felicitatémque regis sui canoris uocibus extollentes. AEstimabatur Mars ipse, si miscēri hominibus numina maiestatis iura permittunt, affuisse castra Lucanorū inuadenti Luscino. hócque ideo creditum est, quòd in congressu flagrāti scalas uehens usus formidādæ uastitatis armatus, postridie cum recēseretur exercitus, præcipuo studio quæsitus reperiri non potuit: cum se ultro offerret, si miles fuisset, memorabilis conscius facti. sed ut tunc qui esset pulchri facinoris autor, penitus est ignoratum, ita nunc enituerunt hi qui fecere fortissime, obsidionalibus coronis donati, & pro concione laudati ue

terum more. Tandem nudata reseratis aditibus multis, lapsura inuaditur ciuitas: & sine sexus discrimine uel ætatis, quod impetus reperit, potestas iratorum absumpsit. alij exitij imminentis timore, cum hinc ignis, inde mucrones urgerent, ultimum flentes è muris acti sua sponte præcipites, membrisque omnibus infirmati, mortæ funestiorem uitam paulisper dum cæderentur egerunt. Extractus autem est uiuus cum satellitibus L X X X *Nabdates præsidiorum magister, quem oblatum sibi cum alijs seruari iussit intactum serenus imperator & clemens. Diuisa itaque perpensis meritis & laboribus præda, ipse ut erat paruo contentus, mutum puerum oblatum sibi suscepit, gesticularium, multa quæ callebat nutibus uenustissimis explicantem, & tribus aureis nummis partæ uictoriæ præmium iucundum ut existimabat & gratum. Ex uirginibus autem quæ speciosæ sunt captæ, ut in Perside, ubi fœminarum pulchritudo excellit, nec contrectare aliquam uoluit, nec uidere, Alexandrum imitatus & Africanum, qui hæc declinabant, ne frangerentur cupiditate, qui se uiuctos à laboribus ubique præstiterunt. Inter hæc certamina nostræ partis architectus, cuius nomen non suppetit, post machinam scorpionis forte assistens, reuerberato lapide quem artifex titubanter aptauerat fundæ, obliso pectore sauciatus profudit animam, dissecta compage membrorum adeo ut ne signa quidem totius corporis noscerẽtur. Exim profecto Imperatori index nuntiauerat certus, circa muros subuersi oppidi fallaces foueas & obscuras, quales in tractibus illis sunt plurimæ, subsedisse manum insidiatricem latenter, ut improuiso inde adorta agminis nostri terga feriret extrema: confestimque ad extrahendã eam missi sunt compertæ fortitudinis pedites. qui cum neque peruadere so*

ramium aditus, nec amãdatos intus prolicere possent ad decernendum, collectam stipulam & sarmenta specuũ faucibus aggesserunt. unde fumus angustius penetrans, ideóque spissior, quosdam uitalibus obstructis necauit: alios ignium afflatus immixtus prodire in perniciem cœgit abruptam. & ita omnibus incendio ferróque consumptis, ad signa repedauit ocyus miles. Hoc *modo ciuitas ampla & populosa, uirtute roboris excisa* Romani *in puluerem concidit & ruinas. Post quæ tam gloriosa transitis pontibus multorũ ãmniũ concursu cõtinuatis, ad munimẽta gemina uenimus, ædificijs cauatis extructa: ubi* Victorem *comitem exercitus præuũ, à transitu fluminis regis filius progressus à* Cteſiphonte *cum optimatibus & multitudine armata prohibere conatus, cæteruis sequentiũ militum uisis abscessit. Pergentes itaque protinus ad lucos uenimus, agrósque pube uariorum seminum lætos: ubi reperta regia* Romano *more ædificata, quoniam id placuerat, mansit intacta. Erat enim in hac eadem regione extentum spatium & rotundum, loricæ ambitu circunclausum, destinatas regijs uoluptatibus continens feras, æruicibus iubatis leones, armísque hispidos apros, & ursos (ut sunt* Persica*) ultra omnem rabiem sæuientes, & alia lecta immania corpora bestiarum, quas omnes diffractis portarum obijcibus, equites nostri uenatorijs lanceis & missilium multitudine confoderunt. Quo loco pingui situ & cultu, qui* bus Coche *quam* Seleuciam *nominant haud longius disparatur: ubi uallatis opere tumultuario castris, & exercitu omni per aquarũ & pabuli opportuna biduo recreato, antegressus cũ procursatoribus principes, & ciuitatẽ desertam collustrãs, sacro principe quondam excisam, in qua perpetuus fons stagnum ingens eiectat, in* Tigridem *defluens, corpora indit*

suffixa patibulis multa necessariorum eius quē prodidisse ciuitatem Pyrisaboram retulimus suprā. hic & Nabdates unus exustus est, quem extractum cum L X X X latebris expugnatæ docui ciuitatis: eo quòd inter exordia obsidij cœpti clàm pollicitus prodere, dimicauit acerrime, adeptúsque ueniam insperatam, ad id proruperat insolentiæ, ut Ormisdā lacēraret omnibus probris. Ita aliquantum progressi, tristi percellimur facto. dū enim tres procursatorum cohortes expeditæ cum cuneo Persico decertarent, quem patefactis subito portis profuderat ciuitas, proruptores alij ex contraria flumnis ripa iumenta nos sequentia cum pabulatoribus paucis licenter palantibus interciplunt & obtruncant. unde profectus imperator iratus & frendens, iámque regionibus Ctesiphontis propinquans, celsum castellum offendit & munitissimum: ad quod explorandum ausus accedere, obscurior ut ipse rebatur, cum paucis obequitans muros, paulóque audius intra iactum telorum repertus, latere non potuit: statimque diuersorum missilium nube exagitatus oppetisset tormento murali, ni uulnerato armigero qui lateri eius hærebat, ipse scutorum densitate contectus, euitato magno discrimine discessisset. Qua causa concitus immane muniumentum disposuit obsidere, prohibitoribus ad resistendum intentis: quòd loco fidebant prope modum inaccesso, quódque rex cum ambitiosis copijs passibus citis mœdens propediem affore credebatur. Iámque uineis & residuis omnibus quæ poscebat obsidium paratis, uigilia secunda præcipiti, cum nox casu tunc lunari splēdore nitens, his qui propugnaculis insistebant aperte cuncta monstraret, repente in unum pondus coacta multitudo, patefactis subito portis erupit: cohortēmque nec opinantem adorta nostrorum cecidit complures, inter quos etiam

tribunus peremptus, periculum propulsare conatus. Quæ dum ita aguntur, pari modo, ut antea, Persæ ex aduersa fluminis ripa partem adorti nostrorum, interfectis quibusdam, uiuos cepere nonnullos. & timore simul, quia uenisse in maiorem numerum copiæ putabantur hostiles, egere tunc nostri segnius. sed ubi animis in audaciam restitutis, armisque raptis inter tumultum, exercitus cantu concitus buccinarum, minaci murmure festinaret, eruptores perterriti reuertерūt intacti: & imperator ira graui permotus, reliquos ex ea cohorte qui abiecte sustinuerant impetum grassatorum, ad pedestrem compegit militiam, quæ onerosior est, dignitatibus immunitis flagrās post hæc ad eruendum castellū, ubi periclitatus est, operā conuertit & curam, nusquam ab antesignanis ipse digrediens, ut inter primos dimicans militi ad fortiter faciendū esset exemplo, spectator probatórque gestorū. quo inter discrimina uertices diu multúmque uersato, uarietate munitionum atque telorum, & conspiratione pugnatorum, idem castellum incenditur captum. Póstque consideratis asperitatibus antegestarum rerum & impendentium, requieuit exercitus labore nimio quassatus, multis uictui congruis affatim distributis. uallum tamen sudibus densis & fossarum altitudine cautius deinde struebatur, cum à uicina iam Ctesiphonte repentini excursus, & alia formidarentur occulta. Ventum est hinc ad fossile flumen Naarmalcha nomine, quod amnis regum interpretatur, tunc aridum. Id antehac Traianus, posteáque Seuerus egesto solo fodiri in modum canalis amplissimi, studio curauerat summo, ut aquis illuc ab Euphrate transfusis, naues ad Tigridem commigrarent: tutissimúmque ad omnia uisum est eadē loca purgari, quæ quondam similia Persæ timentes, mole saxorum

obruere multorum: hácque ualle purgata, auulsis cataractis undarum multitudine classis secura stadijs XXX depulsa, in alueum eiecta est Tigridis: & contextis illico pontibus, transgressus exercitus iter Cochen uersus promouit. Vtque lassitudini succederet quies opportuna, in agro consedimus opulento, arbustis & uitibus, & cupressorum uiriditate lætissimo: cuius in medio diuersorium opacum est & amœnum, gentiles picturas per omnes ædium partes ostendens, regis bestias uenatione multiplici trucidãtis. nec enim apud eos pingitur uel fingitur aliud, præter uarias cædes & bella. Proinde cunctis ex sentẽtia terminatis, Augustus altius iam contra difficultates omnes incedens, tantúmque à fortuna sperans nondum afflicta, ut propius temeritatem multa crebro auderet, ualidiores naues ex his quæ alimenta portabãt & machinas, deoneratas octogenis impleuit armatis: retentóque secum classis robore firmiore, quam in tres diuiserat partes, unam cum Victore Comite quietæ prima noctis emitti disposuit, ut flumine raptim transmisso ripæ occuparentur hostiles. quod cum acri metu territi duces concordi precatu fieri prohibere tentarẽt, neque destinationem flecterent principis, sublato uexillo, ut iussum est, euolant è conspectu quinque subito naues: & cũ ripas iã aduentarẽt, facibus & omni materia qua alitur ignis, petitæ assiduis iactibus, cum militibus iam conflagrassent, ni ueloci frigore pectoris excitus imperator, signum sibi datum nostros, quòd margines iam tenerent, ut mandatum est erexisse proclamans, classem omnem properare citis remigijs adegisset. Quo facto & naues incolumes sunt receptæ, & residuus miles cum à saxis & uarietate telorũ ex edito uexaretur, post concertationem acerrimam, præaltas ripas & arduas supergressus stabat im-

mobilis. Et miratur historia Rhodanum *arma & loricam retinente* Sertorio *transnatatum, cum eo momento turbati quidam milites, uertique ne remanerent post signum erectũ, scutis, quæ patula sunt & incurua, proni firmius adhærentes, eáque licet imperitè regendo, per uoraginosum amnem uelocitatem comitati sint nauiũ. Contra hæc Persæ obiecerũt instructas cataphractorum equitum turmas, sic confertas, ut laminis aptati corporum flexus splendore præstringerent occursantes obtutus, operimentis scorteis equorum multitudine omni defensa: quorum in subsidijs locati manipuli peditum contecti scutis oblongis & curuis, quæ texta uimine & corijs crudis gestant, densius se commouebant. Post hos elephanti gradientium collium specie, motúque immanium corporum propinquantibus exitium intentabant, documentis præteritis formidati. Hinc imperator cæteruis peditum firmis medium inter acies spatium secundum* Homericam *dispositionem præstituit, ne locati priores, cedentésque deformiter cunctos auerterent secum, aut postsignani ponè omnes reiecti centurias, nullo renitente licentius uerterent tergo, ipse cum leuis armaturæ auxilijs per prima postremáque discurrens. Ergo ubi uicissim contiguas esse cernerent partes, cristatis galeis coruscí* Romani, *ulbrantésque clypeos uelut pedis anapæsti præcinentibus modulis lenius procedebant: & præpilatis missilibus per procursatores principijs pugnæ tentatis, excita undique humus rapido turbine portabatur. Et cum undique solito more conclamaretur, uirorúmque alacritatem sonantia classica iuuarent, hastis & mucronibus strictis, hincinde cominus pugnabatur: sagittarum periculo mules erat immanis, quantum interiora festinatius occupabat. Inter quæ* Iulianus *pulsos fulcire subsidijs, incitaréque tar*

dantes, quasi conturmalis strenuus properabat & rector. laxata itaque acies prima Persarum, leni & inconcito gradu calefactis armis retrorsus gradiens, propinquā urbem petebat: quā sequebatur miles itidem fessus in campis torridis adusq; diei finem à lucis ortu decernens: eiusque occipitijs pertinacius hærens, omnem cum Tigrane & Surena & Narse potissimis ducibus adusque Ctesiphontis muros egit præcipitem, auersorū feriens suras & tergā. perrupissetque ciuitatis aditus lapsorū agmnibus mixtus, ni dux Victor nomine manibus erectis prohibuisset & uocibus, ipse humerum sagitta præstrictus, & timens ne intra mœnium ambitus rapidus miles inconsultē repertus, nullósq; inueniens exitus multitudinis pondere circumueniretur. Sonent Hectoreas poetæ ueteres pugnas, fortitudinē Thessali ducis extollant, longæ loquātur ætates Sophanem & Aminiā & Callimachū & Cynegirū, Medicorū in Græcia culmina illa bellorū, non minus illo die quorundam ex nostris inclaruisse uirtutem omniū confessione monstratur. Post timorē depositum, calcatāsque ruinas hostiliū corporum, iusto sanguine miles etiam tum cruentus ad imperatoris tentoria congregatus, laudes ei perhibebat & gratias, quòd ubique ignoratus dux esset an miles magis, tum rē ita prospere gesserat, ut cæsis Persarum plus minusue duobus millibus & quingentis, LXX caderent soli nostrorum, qui appellans plerosque nominatim, quos stabili mente aliquid clarum fecisse ipse arbiter prospexit, naualibus coronis donauit, ciuicis & castrēsibus. Abunde ratus post hæc prosperitates similes aduentare, cōplures hostias Marti parabat ultori: & ex tauris pulcherrimis decem ad hoc perductis, nondū aris admoti uoluntate sua nouē procubuere tristissimi. decimus uero qui diffractis uinculis lapsus, ægre

reductus est, mactatus ominosa signa monstrauit. Quibus uisis exclamauit indignatus acriter Iulianus Iouémq; testatus est, nulla iã Marti sacra facturum: nec resecrauit, celeri mortæ præreptus. Digesto itaq; consilio cum primatibus super Cæsiphõtis obsidio, itum est in uoluntatẽ quorũdam, facinus audax & importunum esse noscentiũ id aggredi: quòd & ciuitas situ ipso inexpugnabili defendebatur, & cum metuenda multitudine protinus rex affore credebatur. Vicit sententia melior, cuius utilitate primæps solertissimus adprobata, Armtheũ cum manu peditum expedita ad populandas regiones circũsitas misit, armentis lætus & frugibus, hostes pari persecuturũ industria, quos dispalatos nuper densi tramites & latebræ texere notissimæ.

Sed ille auidæ semper ad ulteriora cupiditatis, paruhabitis uetantiũ dictis & increpitis optimatibus, quòd ob inertiã otiỹque desiderium amitti suaderẽt propè iam parta regna Persidis: flumine læua relicto, infaustis ductoribus præuijs mediterraneas uias arripere cito proposuit gradu, & tanquã funesta facæ Bellonæ subiectis ignibus exuri cũctas iusserat naues, præter minores duodecim, quas profuturas pãgendis pontibus disposuit uehi carpentis: idq; putabat utiliter ordinasse, ne relicta classis usu hostibus foret, aut certe, ut ab expeditionis primordio factum est, armatorum ferè uiginti millia in trahendis occuparentur ijsdem naubus & regendis. deinde cum metuens sibi quisq; mussaret, monstrarétque perspicua ueritas, quòd repulsus forsitã ariditate uel altitudine montium ad aquas redire non poterit miles, tortique perfugæ apertè fateretur se fefellisse, cõcursu maximo extingui iussæ sunt flammæ. Et quoniam ignis auctus immanitèr pleraque consumpsit, duodecim tantummodo naues potuerunt intactæ seruari, quæ ut pos-

ſint cuſtodiri diſcretæ ſunt. Hoc caſu claſſe, *cum non oporteret, abolita,* Iulianus *conſociato fretus exercitu, cum armatorũ nulli per diuerſa diſtringerentur, numero potior ad interiora tendebat, alimenta affatim opulentis ſuggerentibus locis. Quo cognito, hoſtes ut media nos cruciarent, herbas cum adultis ſegetibus incenderunt: & conflagratione procedere uetiti, ſtatiuis caſtris dum flammæ ſeneſcerent utebamur: inſultantéſque nobis longius* Perſæ, *nunc de induſtria ſe diffundebant, aliquoties confertius reſiſtentes: ut procul conſpicãtibus uiderentur aduenisse iam regis auxilia, ideóque eos æſtimaremus erupiſſe ad audaces excurſus, & inſolita tentamenta. Mœrebat tamen ob hæc imperator & miles, quòd nec contabulandi pontis erat facultas amiſſis nauibus temere, nec occurri poterat hoſtis aduentitij motibus, quem adeſſe coruſcans nitor indicabat armorum, arte pro ſingulis membris inflexus. Hiſque accedebat aliud haud exiguum malũ: adminicula quæ præſtolabamur cum* Arſacæ *& noſtris ducibus, apparebant ob cauſas impedita prædictas. Has ob res ut ſolaretur anxios milites princeps, captiuos graciles ſuaptè natura, ut omnes penè ſunt* Perſæ, *& macie ~~iam~~ confectos iuſſit in medium duci: noſtróſque reſpiciens,* En, *~~inquit~~, quos* Martia *iſta pectora uiros exiſtimãt, deformes illuuie capellas & tetras, útque crebri docuerunt euentus, antequã manus cõferant, abiectis armis uertentes ſemet in fugam. Quibus dictis, remotiſque captiuis, ſuper rerũ ſumma conſultabatur. & multis ultro citróq; dictitatis, cum reuerti debere per loca quæ uenimus, plebs uociferaretur imprudens, reſiſtebat intentius princeps, multis cum eo nequaquã fieri poſſe monſtrãtibus, per effuſam planitiem pabulo abſumpto & frugibus, uiorúmque reliquijs exuſtorũ inopia ſqualentibus ul-*

tima: quòdque liquentibus iam brumæ pruinis omne immaduerat solum, & raptis riparum terminis aucti imborruere torrentes. Ergo etiam ad difficultatem accedente negotij, quòd per eas terras uapore sideris calescentes, muscarum & culicum multitudine referta sunt omnia, earúmque uolatu dies & astrorum noctu micantium facies obumbratur: cum nihil humani proficerent sensus, diu fluctuantes & dubij, extructis aris cæsisque hostijs consulta numinum sciscitabamur: utrum nos per Assyriam reuerti censerent, an præter radices montium lenius gradientes, Chiliocomum prope Corduenam sitam ex improuiso uastare: quorum neutrum extis inspectis confore dicebatur. sedit tamen sententia, ut omni spe meliorum succisa Corduenam arriperemus: & XVI Calend. Iul. promotis iam signis, progresso iam lucis exordio, fumus uel uis quædam turbinata pulueris apparebat: ut opinari daretur asinorũ esse greges agrestium, quorum multitudo in tractibus est illis innumera: ideo simul incedens, ut constipatione densa feroces leonum frustraretur assultus. quidam arbitrabantur Sacænæ duces aduentare, iam nostris rumoribus percitos, quòd imperator Ctesiphonta magnis uiribus oppugnaret: nonnulli Persas nouis motibus incubuisse firmabant. Ideo inter hæc ita ambigua, nequid aduersum accideret reuocatibus agmina classicis, in ualle graminea prope riuum, multiplicato scutorũ ordine in orbiculatam figuram metatis tutius quieuimus castris. nec enim adusque uesperam aere concreto discerni potuit, quidnam esset quod his squalidius uidebatur.

T hanc quidem noctem nullo siderũ fulgore splendentẽ, ut solet, in arctis rebus & dubijs exegimus, nec sedere quoquam ausso, nec flectere in quietem lumina præ timore. Vbi uero primum dies inclaruit, radiãtes loricæ niueis limbis circundatæ, ferrei & coruscí thoraces lõge prospecti, adesse regis cõpias indicabãt. Hócque uiso acensum properãtem cõgredi militem dirimente fluuio brem prohibuit imperator: & non procul à uallo ipso inter excursatores nostros & Persicos prælio acri conserto, Machameus cecidit, ductor unius agminis nostri: cui propugnaturus Maurus frater, dux postea Phœnices, cum germani trucidasset interfectorem, obuium quenque perterrens, infirmatus & ipse humerum telo, pallescentem morte propinqua Machameum extrahere pugna uiribus ualuit magnis: & cum fatiscerent uix toleranda æstuum magnitudine crebrisque congressibus partes, ad ultimum hostiles turmæ graui sunt repulsa discussæ. Hinc recedẽtibus nobis longius, Saraceni nostrorum metu peditum repedare cõpulsi, paulo postea innexi Persarum multitudine ocyus irruebant Romana impedimenta rapturi. uerum uiso imperatore ad alas subsidiarias reuerterũt. Qua ex regione profecti ad Hucumbram nomine uillam peruenimus: ubi per biduum omnibus ad usum congruis, & sacietate quæsita frumenti, ultra spem recreati discessimus: & consestim absque his quæ tempus uehi permisit, reliqua flammis exusta sunt. Postridie exercitu sedatius procedente, extremos qui eo die forte cogendorũ agminum of-

ficia sustinebant, nec opinantes Persæ adorti, negotio leui interfecissent, ni proximus equitatus noster hoc ocyus intellecto, per patulas ualles latè diffusus, tãtam molẽ discriminis uulneratis qui superuenerãt repulisset. In hac cecidit pugna Adaces nobilis satrapa, legatus quõdam ad Cõstantium principẽ missus, ac benigne susceptus: cuius exuuijs interfector Iuliano oblatis, remuneratus est ut decebat. Eodem die Tertiacorum equestris numerus à legionibus mouisatus est, quòd cum ipsæ hostium aduersas irrumperent acies, illi paulatim dilapsi, alacritatẽ penè totius nuntiissent exercitus. Vnde ad indignationem iustam imperator erectus, ademptis signis hastisque diffractis, omnes eos qui fugisse arguebantur, inter impedimenta & sarcinas & captiuos agere iter imposuit, ductore eorum qui solus fortiter decertarat aliæ turmæ apposito, cuius tribunus Iupiter prælium deseruisse cõuincebatur. Abiecti sunt autem sacramento etiam alij quatuor ob flagitium simile uexillationum tribuni. hoc enim correctionis moderamine leniori impendentiũ considerationẽ difficultatum contentus est imperator. Progressi itaque stadia LXX attenuata rerum omniũ copia, herbis, frumentisq; crematis, ex flammis ipsis raptas fruges & pabula, ut quisque uehere potuit, conseruauit. Hoc etiam loco relicto, cum ad tractum Maranga appellatũ omnis uenisset exercitus, prope lucis confinia immensa Persarũ apparuit multitudo, cum Merene equestris magistro militiæ, filijsq; regis duobus, & optimatibus plurimis. Erant autem omnes caterua ferratæ, ita per singula membra densis laminis tectæ, ut iuncturæ rigentes compagibus artuum conuenirent: humanorúmq; multiuum simulacra ita capitibus diligenter aptata, ut imbracteatis corporibus solidis, ibi tantũ incidentia uela possint hærere

quà per cauernas minutas, & orbibus oculorum affixas parcius uisitur, uel supremitates narium angusti spiritus emittuntur: quorum pars contis dimicatura stabat immobilis, ut retinaculis æreis fixam existimares: iuxtáque sagittarij, cuius artis fiducia ab incunabulis ipsis gens præualuit maxima, tendebãt diuaricatis brachijs flexiles arcus, ut nerui mammas præstringerẽt dextera, spicula sinistris manibus cohærerent: summáque peritia digitorum pulsibus argutum sonantes arundines euolabant, uulnera perniciosa portantes. Post hos elephantorum fulgentium formidandam speciem & truculentos hiatus uix mentes pauidæ perferebant. Ad quorum stridorem odorémque & insuetum aspectum magis equi terrebãtur: quibus insidentes magistri, manubriatos cultros dexteris manibus illigatos gestabant, acceptæ apud Nisibin memores cladis: & si ferociens animal uires exuperasset regentis, ne reuersum per suos, ut tunc acciderat, collisam sterneret plebem, uertebrã, quæ caput à ceruice disterminat, ictu maximo terebrabant. exploratum est enim aliquando ab Hasdrubale Annibalis fratre, ita citius uitã huiusmodi adimi belluarum. Quibus non sine magno terrore perspectis, stipatus armatarum cohortium globis cum primatibus fidentissimus imperator, ut flagitabat maior uis, ita atrocior, lunari acie, sinuatisque lateribus occursuros hosti manipulos instruebat. Et ne sagittariorum procursus nostrorum cuneos disiectaret, illatis concitatius signis, spiculorum impetum fregit: datóque ad decernendum solenniter signo, densati Romani pedites consertas hostium frontes nisu protruserunt acerrimo. & feruente certaminum mole, clypeorum sonitus & uirorum & morũmque lugubre sibilantiũ fragor, nihil perpetiẽs iam remissum, campos cruore & cor-

porum strage contexit: effusius cadentibus Persis, quibus sæpe languidis in conflictu artius pes pede collatus graui-ter obsistebat, pugnare fortiter eminus consuetis: & si inclinatas suorum copias senserint, cedēdo in modum imbrium ponè uersus directis sagittis hostes à persequendi fiducia deterrere. Pulsis igitur pondere magnarum uirium Parthis, miles solis cursu flammeo diu lassatus, signo in receptum dato, tentoria repetit, ad audenda demceps maiora sublatus. In hoc prælio Persarū maior, ut dictum est, apparuit strages, nostrorum admodum leuis. eminuit tamen inter uarios certaminum casus ueterani mors uiri pugnacis, qui legionem Ziannorum regebat. Postque triduo indutijs destinato, dum suo quisque uulneri medetur uel proximi, commeatibus nos destitutos media cruciabat iam non ferenda: & quoniam frugibus exustis & pabulis homines in discrimen ultimum uenerant & iumenta, ex eo cibo quem animalia tribunorū uehebant, plebi penitus indigenti pars distributa est magna. Et imperatori cui non cupediæ ciborum ex regio more, sed sub columellis taberna cuiuli parcius cœnaturo, pultis portio parabatur exigua, etiā munifici fastidienda gregario, quicquid ad ministeria parabatur, per cōtubernia sui securus egessit. Ipse autem ad solicitam suspensámque quietem paulisper protractus, cum somno (ut solebat) depulso, ad æmulationem Cæsaris Iulij quædam sub pellibus scribentis, obscuræ noctis altitudine sentētijs cuiusdā philosophi tæneretur: uidit squalidius, ut cōfessus est proximis, speciem illi Genij publici, quam cum ad Augustum surgeret culmen, conspexit in Gallijs, uelata cum cornu copia per aulæa tristius discedētem. & quanquam ad momentum hæsit stupore defixus, omni tamen superior metu, uentura decretis cælestibus commendabat:

Relictóq; humi strato cubili, adulta iam excitus nocte, numinibus per sacra depulsoria supplicans, flagrantissimam facem cadenti similem uisam, aeris parte sulcata euanuisse existimauit: horroréque perfusus est, ne ita aperte minax Martis apparuerit sidus. Erat autē nitor igneus iste, quē διαλάμπουτα nos appellamus, nec cadēs unquā, nec terram cōtingens. Corpora enim qui credit cælitus posse labi, profanus merito iudicatur, & demens. Fit autem hic habitus modis compluribus, è quibus sufficiet pauca monstrare. Scintillas quidam putant ab æthereo candētes uigore, parúmque porrectius tendere sufficientes extingui, uel certe radiorum flammas iniectas nubibus densis acri scintillare contractu: aut cum lumen aliquod cohæserit nubi. Id enim in stellæ speciem figuratum, decurrit quidem dum uiribus ignium sustentatur: amplitudine uero spatiorum exinanitum in æstum soluitur corpus, ad substantiam migrans cuius attritu incaluit nimio. Confestim itaque ante lucis primitias Hetrusci aruspices accersiti, consulti quid astri species portenderet noua, uitandum esse cautissime responderunt, nequid tunc tentaretur: ex Tarquitianis libris in titulo de rebus diuinis, id relatum esse demonstrātes, quòd facē in cælo usa commutti prælium, uel simile quicquam non oportebit. quo etiam id inter multa alia spernente, orabāt aruspices saltem aliquot horis profectionem differri. ne hoc quidem sunt adepti, imperatore omni uaticinandi sententiæ reluctante: sed exorto iam die, promota sunt castra. hinc nos egressos, Persæ cum sæpe afflicti peditum stabilem pugnam horrerent, structis insidijs, occulte comitabantur, alternsecus uiantes à cælsis collibus explorando: ut id suspicans miles adusque perpetuum diem nec uallum erigeret, nec sudibus se communiret. dúmque te-

gentur firmiter latera, & exercitus pro locorum situ quadratis quidem sed laxis incedit agminibus, inuasa subito terga ponè uersus arma cogentiũ principi indicatur, etiam tum inermi ad speculanda anteriora progresso. qua concitus clade, oblitus loricæ scuto inter tumultũ abrepto properans ultimis ferre suppetias, reuocatur alio motu, qui etiam antesignanos, unde decesserat, paria petiti nuntiabat. Quæ dũ sine respectu periculi sui redintegrare festinat, ex alia parte cataphractorum Parthicus globus centurias adoritur medias: ac sinistro cornu inclinato acriter superfusus, fœtorem stridorémque elephantorum impatienter tolerantibus nostris, contis & multiplicatis missilibus decernebat. uerum principe uolitante inter prima discrimina prælorum, exiluit nostra sucinctior armatura, auersorúmq; Persarum & beluarum suffragines concidebat & dorsa. Quos cum Iulianus cauendi immemor diffluxisse trepidos, elatis uociferãdo manibus aperte demonstrãs, irãsque sequentiũ excitãs audẽter effunderet semet in pugnã, clamabant hinc inde candidati quos discecerat terror, ut fugiẽtium molẽ tanquam ruinam male cõpositi culminis declinaret: & incertum subita equestris hasta cute brachij eius præstricta, costis perfossis hæsit in ima iecoris fibra. Quam dum auellere dextera manu conatur, acuto utrinque ferro digitorum neruos sensit excisos: & prouolutus iumento, præsentiúmque uelocì concursu relatus in castra, medicinæ ministerijs fouebatur. móxq; ubi leuito paulisper dolore timere desijt, magno spiritu contra exitum certans, arma poscebat & equum: ut remisso prælio suorum fiduciam repararet, ac uideretur sui securus alienæ salutis solicitudine uehementer astrinxi: eo uigore, licet in negotio dispari, quo Epaminondas ille dux

inclytus letaliter apud Mantineam *saucius & reuersus ex acie conquirebat solicitè scutum. quod cum uidisset propius, lætior ui ~~uulneris interijt~~: & qui animam intrepidus amittebat, iacturam clypei formidauit. Sed cum uires parum sufficerent uoluntati, sanguinísque profluuio uexaretur, mansit immobilis: ideo spe demœps uiuendi absumpta, quòd percontando Phrygiam appellari locum ubi ceciderat, comperit. Hic enim obiturum se præscripta audierat sorte.* Reducto *ad tentoria principe, incredibile dictu est, quanto ardore miles ad uindictam ira & dolore feruentior inuolabat, hastas ad scuta concrepans, etiam mori si tulisset fors, obstinatus. Et quanuis offundebatur oculis altitudo pulueris, & æstus calescẽs officeret alacritati mẽbrorũ: tamen uelut exautoratus, amisso ductore sine parsimonia ruebat in ferrum. Contrà animosius* Persæ *sagittarum uolantium crebritate conspectum sui rapiebant, oppositis elephantis: qui tardius gradientes magnitudine corporum eristarúmque horrore pauorem iumentis mutiebant & uiris. Concursus itaque armatorum & cadentium gemitus, equorum flatus, tinnitus ferri procul audiebatur, quandiu satietate uulnerũ partibus fessis, nox diremit certamina iam tenebrosa. Quinquaginta tum* Persarũ *optimates & satrapæ cum plebe maxima ceciderunt, inter has turbas* Merena *&* Nohodare *potissimis ducibus interfectis. Obstupescat magniloquentia uetustatis diuersis in locis prælia* X X Marcelli: Siciniũ Dentatum *adijciat ornatum militarium multitudine coronarum: miretur super his* Sergium, *~~qui uicies & ter uulneratus est in uarijs pugnis, ut fertur, cuius posteritatis ultimus~~* Catilina *claras gloriarum adoreas sempiternis ~~maculis obum~~brauit. Deformabat tamen tristitia lætiores euentus. Dum enim*

hæc post discessum ducis ubique aguntur, exercitus cornu dextro defatigato, & Anatalio interfecto, qui tunc erat officiorum magister, Sallustius præfectus actus in exitium præceps, & opera sui apparitoris ereptus, Phosphorio amisso consiliario qui ei aderat, casu euasit & fuga: quidámque milites per multa discrimina occupato castelli uicini præsidio, post diẽ denique tertium iungi exercitui potuerunt. Quæ dum ita aguntur, Iulianus in tabernaculo iacens circunstantes alloquutus est demissos & tristes: Aduenit ô socij nunc abeundi tempus è uita, impendio tempestiuum, quam reposcẽti naturæ ut debitor bonæ fidei reditturus exultо: non, ut quidã opinantur, adflictus & mœrens, philosophorum sententia generali perdoctus, quãtum corpore sit beatior animus, & contemplans quoties conditio melior à deteriore secernitur, lætandũ esse potius quàm dolendum: illud quoque aduertens, quòd etiam dij cælestes quibusdam pijssimis mortem tanquam summum præmium persoluerunt. Munus autem id mihi delatum optime scio, ne difficultatib. succumberem arduis, néue me proijciam unquam aut prosternam, expertus quòd dolores omnes ut insultant ignauis, ita persistentibus cedunt. nec me gestorum pœnitet, aut grauis flagitij recordatio stringit, uel cum in umbra & angulis emendarer, uel post principatum susceptum, tanquam à cognatione cælitum defluentem, immaculatum (ut existimo) conseruaui, & ciuilia moderatius regens, & examinatis rationibus bella inferens: tametsi prosperitas simul utilitásque consultorum non ubique concordent, quoniam cœptorum euentus superæ sibi uindicant potestates. Reputans autem iusti esse finem imperij, obedientium commodum & salutem, ad trãquilliora semper ut nostis propensior fui, licentiã omnem actibus

meis exterminans, rerũ corruptricem & morum: gaudénsque adeo, sciens quòd ubicunque uelut imperiosa parẽs cõsideratis periculis obiecit Resp. sæti fundatus, turbines calcare fortuitorum assuefactus. nec fateri pudebit, interiturũ me ferro dudũ didici, fide fatidica præcinente. Ideóq; sempiternum ueneror numen, quòd non clandestinis insidijs, nec longa morborum asperitate, uel delicatorum fine decẽdo, sed in medio cursu florentium gloriarum hunc merui clarum è medio digressum. A Equo enim iudicio iuxtà timidus est & ignauus, qui ~~cum non oportet~~, mori desiderat: & qui refugiat, cum sit opportunum. Hactenus loqui uigore uirium labente, sufficiat. Super ~~imperatore~~ uero creando ~~cautè reticeo, ne per impudentiam~~ dignum præteream: aut nominatũ quem habilem reor, antepositò forsitan alio, in discrimen ultimam trudã: ut alumnus autem Reip. frugi, ~~opto bonũ post me reperiri~~ rectorem. Post hæc placide dicta, familiares opes iunctioribus uelut supremo distribuẽs studio, Anatoliũ quæsiuit officiorũ magistrum: quẽ cum beatum fuisse Sallustius respõdisset præfectus, intellexit occisum: acritérque amici casum ingemuit, qui ela te antè contempserat suum. & flentes inter hæc omnes qui aderant, autoritate etiã tum integra increpabat, humile esse cælo sideribúsq; ~~cõcitatum lugeri~~ principẽ dicẽs. Quibus ideo iã silentibus, ipse cum Maximo & Prisco philosophis super animorũ sublimitate perplexius disputans, hiante latius suffossi lateris uulnere, & spiritũ tumore cohibente uenarũ, epota gelida aqua, quam petijt medio noctis horrere, uita facilius est absolutus, anno ætatis altero & triæsimo: natus apud Cõstantinopolim, à pueritia usque parentis obitu destitutus Constantij, quem post fratris Cõstantini excæssum inter cõplures alios turba consumpsit

imperij successorum, & Basilina matre, iam inde à maioribus nobili: uir profecto heroicis connumerãdus ingenijs, claritudine rerũ & coalita maiestate conspicuus. Cũ enim sint, ut sapientes definiũt, uirtutes quatuor præcipuæ, Tẽperantia, Prudentia, Iustitia, Fortitudo, eisque accidẽtes extrinsecus aliæ, scientia rei nulitaris, felicitas atq; liberalitas, intento studio coluit omnes ut singulas. Et primum ita inuiolata castitate enituit, ut post amissam coniugem, nihil unquam Venereum attingeret: illud aduertens quod apud Platonem legitur, Sophoclem tragœdiarum scriptorem ætate grandæuum interrogatum ecquid adhuc fœminis miscæretur, negantem id adiecisse, quòd gauderet harum rerum amorem, ut rabiosum quendam effugisse dominum & crudelem. Item ut hoc propositum ualidius confirmaret, recolebat sæpe dictum lyrici Bachilidis, quem legebat iucunde, id asserentis, quòd ut egregius pictor uultum speciosum effingit, ita pudicitia cælius consurgentem uitam exornat. quam labem in adulto robore iuuentutis ita caute uitauit, ut ne suspicione quidẽ tenus libidinis ullius, uel secretioris uitæ ministris incusaretur, ut sæpe contingit. Hoc autem temperãtiæ genus immanis iuuit parsimonia ciborum & somni, quibus domi foríque tenacius utebatur. nanque in pace eius mensarum tenuitas erat recte nosẽtibus admiranda, uelut ad palliũ mox reuersuri. per uarios autem procinctus stans interdũ more militiæ cibũ breuem uilémq; sumere uisebatur. ubi uero exigua dormiẽdi quietæ recreasset corpus laboribus induratum, expergefactus explorabat per semetipsum uigiliarum uices & stationum, post hæc seria ad arces confugiẽs doctrinarũ, & si nocturna lumina inter quæ lucubrabat, potuissent uocem ulla testari, profecto ostenderant, inter hunc & quosdam

principes multum interesse, quem norant uoluptatibus ne ad necessitatem quidē indulsisse naturæ. Dein prudentiæ eius indicia fuere uel plurima, è quibus explicari sufficiet pauca. armatæ rei scientissimus, & ciuilitati admodū studens, tantum sibi adrogans quantū à contemptu & insolentia distare existimabat, uirtute senior quàm ætatæ, studiosus cognitionum omnium, & indeclinabilis aliquoties iudex, censor moribus regendis acerrimus, placidus opum contemptor, mortalia cuncta despiciēs, postremo id prædicabat, Turpe esse sapienti, cū habeat animum captare laudes ex corpore. Quibus autem iustitiæ inclaruit bonis, multa significant: primo, quòd erat pro rerum omnium distinctione sine crudelitate terribilis: deinde quòd paucorum discrimine uitia cohibebat: tum autem quòd minabatur ferro potius quàm utebatur. postremo, ut multa præteream, constat eum in apertos aliquos inimicos insidiatores suos ita consurrexisse mitissime, ut pœnarum asperitatem genuina lenitudine castigaret. Fortitudinem certaminū crebritas usúsque bellorum ostendit, & patiētia frigorum immaniū & feruoris quoque. Corporis munus à milite, ab imperatore uero animi poscitur. ipse trucem hostem ictu confecit, audacter congressus: ac nostros cedentes obiecto pectore suo aliquoties cohibuit solus: regnáq; furentiū Germanorū excindens, & in puluere uaporato Persidis, augebat fiduciā militis dimicans inter primos. Castrensiū negotiorū scientiam plura declarant & nota, ciuitatum oppugnationes & castellorum, inter ipsos discriminum uertices acies figura multiformi compositæ, salubriter & caute castrametata, prætenturæ stationésque agrariæ totis rationibus ordinatæ. Autoritas adeo ualuit, ut dilectus artissime dū timetur, ac si periculorū socius & laborū, & inter

concertationes acerrimas animaduerti iuberet in desides, & Cæsar adhuc sine stipendio regeret militem feris oppositum gentibus, ut dudum est dictum, alloquutúsque tumẽtes armatos discessurũ ad uitam minaretur priuatam, ni tumultuari desisterẽt. Deniq; id pro multis nosse sufficiet: exhortatum eũ supplici concione militem Gallicanum pruinis adsuetum & Rheno, peragratis spatijs regionum extẽtis, per tepentẽ Assyriã adusque cõfinia traxisse Medorũ. Felicitas ita eminuit, ut ipsis quodammodo cœruicibus fortunæ aliquandiu bonæ gubernatricis euectus, victoriosis cursibus difficultates superaret immensas. Et postquam ex occidua plaga digressus est, quoad fuit in terris, quieuere nationes immobiles, acsi quodã caducco lenientẽ mundano. Liberalitatis eius testimonia plurima sunt & uerissima: inter quæ indicta sunt tributorũ admodũ leuia coronariũ indultum, remissa debita multa diuturnitate congesta, æquata fisci iurgia cũ priuatis, uectigalia ciuitatibus restituta cum fundis, absque his quos uelut iure uendidere præteritæ potestates. Quódque nunquã augendæ pecuniæ cupidus fuit, quam cautius apud domunos seruari existimabat, id aliquoties prædicans: Alexandrũ Magnum, ubi haberet thesauros interrogatum, apud amicos beneuole respõdisse. Digestis bonis quæ scire potuimus, nunc ad explicãda eius uitia ueniamus, licet dicta sunt carptim. Lentioris ingenij: uerum hoc instituto rectissimo temperabat, emẽdari se cum deuiaret à fruge bona permittens. Linguæ fusioris & admodũ raro silentis: præsagiorum scisitationi ni mæ dedius, ut æquiparare uideretur in hac parte principem Hadrianum: superstitiosus magis quàm sacrorũ legitimus obseruator, innumeras sine parsimonia pecudes mactans, ut æstimaretur, si reuertisset de Parthis, boues iã

defuturos: Marci illius similis Cæsaris, in quem id accepimus dictum, οἱ λευκοὶ βόες μάρκῳ τῷ καίσαρι, ἂν συνικήσῃ ἡμᾶς ἀπωλόμεθα. Vulgi plausibus lætus, laudũ etiã ex minimis rebus intẽperãs, & potiore popularitatis cupiditate cum indignis laqui sæpe adfectans. Veruntamen cum hæc essent, æstimari poterat, ut ipse diebat, uetus illa Iustitia quam offensam uitijs hominum Aratus extollit in cælũ, eo imperante redisse rursus ad terras, ni quædã ad arbitriũ agens interdum ostenderet se dissimilem sui. nanque & iura condidit nõ molesta, absolute quædã iubentia fieri uel arcentia, præter pauca. Interquæ erat inclemens, quòd docere uetuit magistros rhetoricos & grammaticos Christianos, ne transirent à numinum cultu. Illud quoque itidem parum ferendum, quòd municipalium ordinum cœtibus patiebatur iniuste quosdam adnecti, uel peregrinos, uel ab his consortijs priuilegijs aut origine longe discretos. Figura talis utique membrorum: mediocris erat staturæ, capillis tanquam pexisset mollibus, hirsuta barba in acutum desinente uestitus, uenustate oculorum micantium flagrans, qui mentis eius angustias indicabant, superalijs decoris, & naso rectissimo, ore paulo maiore, labro inferiore diuiso, opima & incurua ceruice, humeris uastis & latis, ab ipso capite usq; ad unguiũ summitates liniamentorũ recta compage, unde uiribus ualebat & cursu. Et quoniam eum obtrectatores nouos bellorum tumultus ad perniciẽ rei communis insimulant concitasse, sciant docente ueritate perspicue, non Iulianum, sed Constantium ardores Parthicos succendisse, cum Metrodori mendacijs audius acquiescit (ut dudum retulimus plenè) uindictæ siti ad indignationem excitum: ubi nostri capti militares aliquoties numeri, urbes excisæ, rapta munimenta uel diruta,

prouinciæ grauibus impensis exhaustæ, & ad effectum tendentibus minis cuncta petebantur à Persis adusque Bithynos & littora Propontidis. at in Gallijs bellorum tenore glisente, diffusis per nostra Germanis, iámq; Alpibus ad uastandam Italiam perrumpendis, nihil multa & nefanda perpessis hominibus præter lachrymas supererat & terrores: ubi & præteritorum recordatio erat acerba, & expectatio tristior impendentium. Quæ omnia iuuenis iste ad occiduam plagam specie Cæsaris missus, regésque pro mancipijs agitans ignobilibus, cuncta penè mira dictu celeritate correxit. Itaque ut Orientem pari studio recrearet, adortus est Persas, triumphum exinde relaturus & cognomentum, si consilijs eius & factis illustribus decreta cælestia congruissent. Et cum sciamus experimento adeo quosdam ruere improuidos, ut bella interdum uicti, & naufragi repetant maria, & ad difficultates redeãt quibus succubuere sæpissime, sunt qui reprehendant paria repetisse principem ubique uictrem? Nec fuit post hæc lamentis aut fletibus locus. Corpore enim curato pro copia rerum & temporis, ut ubi olim ipse statuerat conderetur: principio Iuuis sequutæ, quæ erat quintum Calend. Iulias, hostibus ex omni latere circumfusis, collecti duces exercitus, aduocatisque legionum principijs & turmarum, super creando principe consultabant. Discessíque studijs turbulentis Arintheus & Victor, & è palatio Constantij residui de parte sua quendam habilem scrutabantur: contra Neuita & Dagalaiphus procerésque Gallorum, uirum talem ex commilitio suo quæritabant. quæ dũ ambigunturnulla uariante sententia, ituri est ~~voluntate omniũ~~ in Sallustium ~~eóque causante morbos~~ & senectutem honoratam, aliquis miles aduertens destinatius reluctante, Et

quid agretis ait, si id bellũ uobis commisisset absens, ut sæpe factum est, imperator? nónne posthabitis cæteris militẽ instantibus ærumnis eriperetis? id nunc agite: & si Mesopotamiam uidere licuerit, utriusque exercitus consociata suffragia legitimum principẽ declarabũt. Inter has exiguas ad tantam rem moras, nondum pẽsatis sententijs, stimulãtibus paucis, ut in rebus extremis est factum sæpe, Iouianus eligitur ~~imperator~~: domesticorum ordinis primus, paternis meritis mediocriter commendabilis. Erat enim Varroniani notissimi Comitis filius, haud dudũ post depositum militiæ munus ad trãquilliora uitæ digressi. Et cõfestim indumẽtis circundatus principalibus, subitóq; productus è tabernaculo per agmina iam discurrebat proficisci parantia. & quoniam acies adusq; lapidem quartum porrigebatur, antesignani clamare quosdam Iouianum audientes Augustum, eadem multo magis sonabant: gentilitate enim propè periti nomunis, quod una litera discernebat Iulianum recreatum arbitrati sunt deduci magnis fauoribus ut solebat. uerum cum incuruus ille usus & longior aduentaret, suspicati quod acciderat, in lachrymas effusi sunt omnes atq; luctum. quòd si grauis quidam æquitatis præuaricator in ultimo rerũ spiritu factũ criminatur improuide, nauticos idẽ iustius incusabit, amisso perito nauigãdi magistro, sæuiẽtibus flabris & mari, quòd clauos regendæ nauis cuilibet periculi socio cõmiserũt. His ita cæco quodam iudicio fortunæ peractis, Iouianorum signifer quos Varronianus rexerat, dudum cum nouo dissidens principe, etiam tum priuato, ut patris eius obtrectator immoderatus, periculũ ex inimico metuens iam cõmunia supergresso, discessit ad Persas: ac data dicendi copia quæ sciret, docet Saporem iam propinquantem, extincto quẽ uerebatur,

turbine concitato calonum ad umbrã imperij Iouianum adhuc protectorẽ adscitum, inertem quendam & mollem. Hoc ille audito, quod semper trepidis uotis expetebat, & inopina prosperitate elatus, multitudine ex regio equitatu adiuncta his qui dimicauere nobiscum, celeri disposuit gradu agminis nostri inuadi tergo. Postremúmque dum ultro citróque ordinãtur hostiæ pro Iouiano, extis inspectis pronuntiatum est, eum omnia perditurũ, si intra uallum remãsisset, ut cogitabat: superiorẽ uero fore, profectum. proinde egredi cœptantes adoriuntur nos elephantis præuijs Persæ: ad quorum fremitum accessúmque terribilem equis inter initia turbatis & uiris, Iouiani & Herauliani occisis beluis paucis, cataphractis equitibus acriter restiterũt. Deinde legiones Iouiorum atque Victorum laborantibus suis ferentes auxilium, elephantes duos strauerunt cum hostium plebe non parua. & in læuo prælio uiri periere fortissimi, Iulianus & Macrobius & Maximus legionum tribuni, quæ tunc primas exercitus obtinebant. hisque sepultis ut rerum angustiæ permiserunt, prope confinia noctis, cum ad castellum Sumere nomine citis passibus tenderemus, iacens Anatolij corpus est inuentum, quod tumultuaria opera terræ mandatum est. hic & milites sexaginta cum palatinis recepimus, quos in munimentum Vaccatum confugisse retulimus. Sequuto inde die pro captu locorum aperta in ualle castra ponuntur, uelut murali ambitu circunclausa, præter unum exitum eundémque patentem, undique in modum mucronum præacutis sudibus fixis. Hóque uso, è saltibus nos hostes diuersitate telorum, ac uerbis turpibus incessebant, ut perfidos & lectissimi principis peremptores: audierant enim ipsis quoque referentibus transfugis, rumore iactato incerto, Iulia-

tum telo cecidisse Romano. *Ausi denique inter hæc equitum cunei porta perrupta prætoria prope ipsum tabernaculum principis aduenire, occisis multis suorum & uulneratis, ui repulsi sunt magna.* Egressi exinde, *proxima nocte* Charcham *occupauimus, locum ideo tutum, quòd riparum aggeribus humana manu destructis, ne* Saraceni *deinceps* Assyriam *persultarent, nostrorum agmina nullus ut antè uexabat.* Cúmque his Calen. Iulijs *stadijs triginta confectis, ciuitatem nomine* Duram *aduentaremus, fatigatis iumentis, uectores eorum nouissimi pedibus incedentes, à* Saracena *multitudine circunspecti protinus interissent, ni expeditiores turmæ nostrorum opem laborantibus attulissent.* Hos *autem* Saracenos *ideo patiebamur infestos, quòd salaria muneráque plurima* Iuliano *ad similitudinem præteriti temporis accipere uetiti, questique apud eum, solũ audierant,* Imperatorem ~~bellicosum & uigilantem~~ *ferrum habere nõ aurum.* In *hoc loco* Persarum *obstinatione tritum est quadriduum. nam progredientes nos sequebantur crebris lacessitionibus retrahentes: cum staremus ut pugnaturi, gradum sensim referentes moris diuturnis excruciabant.* Iámque (*ut solent* ~~extrema metuentibus~~ *etiam ficta placere*) *fama circunlata, fines haud procul limitum esse nostrorum, exercitus uociferans immodeste, dari sibi copiam transeundi* Tigridis *flagitabat. Quibus oppositus cum rectoribus imperator, tumentémque iam* Canis *exortu sideris amnem ostendens, ne se periculosis committerent gurgitibus exorabat: nandi imperitos esse complures adserens, simúlque adijciens, hostiles manus hincinde margines superfusi fluminis occupasse. Sed cũ hæc sæpe congeminando refragaretur inæssum, mulésque conclamás magno contentionis fragore minaretur extrema, edicit imperator ut*

sistatur agmen, & assueti nare Galli amnem primi omniũ penetrarent: ut ijs magnitudine fluentorũ abreptis, residuorum pertinacia frangeretur: aut si id perfecissent innocui, transitus fidentior tentaretur. Electique *sunt ad id negotium habiles, qui maxima præ cæteris flumina transmeare in regionibus genuinis à prima pueritia sunt instituti: & cum latendi copiam nocturna quies daret, tanquam è transenna simul emissi, spe citius ripas occupauere contrarias:* Persarúmque *conculcatis pluribus & truncatis, quos loca seruare dispositos, securitas placido uinxerat somno, efficacis audaciæ signum elatis manibus contortisque spiculis ostendebant. hoc longe conspecto, ardens ad transitum miles ea mora tantummodo tenebatur, quòd utribus è cæsorum animaliũ corijs coagmentare pōtem architecti promittebant. Quæ dum nauis conatibus agitantur, rex* Sapor *& procul absens, & cum propè uenisset: exploratorũ perfugarúmq; ueris uocibus docebatur, fortia facta nostrorũ, fœdas suorũ strages, & elephãtes quot nunquã rex antè meminerat interfectos. exercitúmque* Romanum *continuis laboribus induratũ, post casum gloriosi pectoris non saluti suæ ut memorabat consulere sed uindictæ, difficultatemque rerum instantiũ aut victoria summa, aut morte memorabili finiturum. Ob quæ reputabat multa & formidanda: diffusum abunde militem per prouinciales leui tessera colligi posse expertus, & sciens populum suum post amissam maximam plebem ultimis terroribus deformatum, simul comperiens in* Mesopotamia *relictum haud multo minorem exercitum. quæ super omnia hebetarunt eius anxiam mentem, uno parique natatu quingenti uiri transgressi tumidum flumen incolumes, custodibúsque confossis reliquos consortes suos ad similem fiduciam con-*

citantes. Hæc inter cum neque pontes compaginari paterentur undæ torrẽtes, & absumptis omnibus quæ mandi poterant utilibus, exacto miserabiliter biduo, furebat media iráque percitus mules, ferro properans quàm fame ignauissimo genere mortis absumi. Erat tamen pro nobis æternũ dei cælestis numen: & Persæ præter sperata prio res super fundanda pace oratores Surenam & optimatem aliũ mittunt, animos ipsi quoque despondẽtes, quos omnibus penè prælijs pars Romana superior grauius quassabat indies. conditiones autem ferebant difficiles & perplexas, fingentes humanorum respectu reliquias exercitus redire sinere clementissimum regem, quæ iubet si impleuerit cum primatibus Cæsar. Cõtra hos cũ Sallustio præfecto mittitur Arimtheus: & dũ deliberatur examinatius quid fieri deberet, dies quatuor sunt euoluti media cruciabiles, & omni supplicio tristiores. Quo temporis spatio antequã hi mitterẽtur si abusus princeps, paulatim terris hostilibus excessisset, profecto uenisset ad presidia Corduenæ, & uberis regionis & nostræ, ex eo loco in quo hæc agebãtur centesimo lapide disparatæ. Petebat autem rex obstinatius, ut ipse aiebat, sua dudum à Maximiano erepta, ut docebat autem negotium, pro redẽptione nostra, quinque regiones Transtigritanas: Arzanenam & Moxoenam & Zabdicenam, itidémq; Rehimenam, & Corduenã cum castellis quindecim, & Nisibim, & Singarã, & Castra Maurorum munimentum perquàm opportunum. & cum pugnari decies expediret, ne horum quicquam dederetur, adulatorũ globus instabat timido principi, Procopij metuẽdum subserens nomen: eúmque adfirmans, nisi rediret, cognito Iuliani meritu cum intacto milite, quem regebat, nouas res nullo renitente facile moliturum. Hac perniciosa

uerborum ille assiduitate nimia succensus, sine contatione tradidit omnia quæ petebantur, difficile hoc adeptus ut Nisibis & Singara sine molis transirent in iura Persarum, à muniméti uero alienandis reuerti ad nostra præsidia Romana permitterentur. Quibus exitiale aliud accessit & impium, ne post hæc ita composita Arsaci poscenti contra Persas ferretur auxilium amico nobis semper & fido: quod ratione gemina cogitatum est: ut puniretur homo, qui Chiliocomum mandato uastauerat principis, & ut remaneret occasio per quam subinde liænter inuideretur Armenia. unde postea contigit ut uiuus caperetur idē Arsaces, & Armeniæ maximum latus Medis conterminans, & Artaxata, inter dissensiones & turbamenta raperent Parthi. Quo ignobili decreto firmato, ne quid committeretur per inducias contrarium pactis, obsidatus specie uiri celebres altrinsecus dantur, Neuita, & Victor ex parte nostrorum, & Mellobaudes, insignium numerorum tribuni: ex parte uero diuersa Bineses è numero nobiliū optimatum, tésque alij satrapæ non obscuri. Fœderata ita pacē annorum triginta, eádque iurisiurandi religionibus consecrata, reuersi itineribus alijs, quoniam loca contigua flumini ut confragosa uitabātur & aspera, potus inopia premebamur & cibi. Et pax specie humanitatis indulta, in perniciem est uersa multorum: qui fame adusque spiritum lacerati postremum, ideóque latenter progressi, aut imperitia nandi gurgite fluminis absorbebantur: aut si undarum ui superata uenirent ad ripas, à Saracenis, uel Persis, quos (ut diximus) paulò ante exturbauere Germani, cædebantur ut pecora, uel longius amandati sunt uenundādi. Vbi uero transeundi amnis aperte signum dedere buccinæ concrepantes, immane quo quantóque ardore teme-

re rapiendo momenta periculorum, semet quisque reliquis omnibus anteponens uitare multa & terribilia festinabat: & pars cratibus temere textis iumēta retinētes hinc inde natantia, alij superſidentes utribus, quidam diuersa in necessitatis abrupto uersantes, undarum occursantium fluctus obliquis meatibus penetrabant. Imperator ipse breuibus lembis, quos post exustam classem docuimus remansisse, cum paucis transuectus, eadem nauigia ultro citróque discurrere statuit, dum omnes conueheremur. Tādémque uniuersi præter mersos ad ulteriores uenimus margines, fauore superi numinis, discrimine per difficiles casus extracti. Dum nos pendentium ærumnarum opprimit timor, compertum est procursatorum indicio, Persas pontem iugere procul è nostro conspectu, ut post firmatam pacem & fœdera sopitis belli turbinibus, incuriosius gradientes ægros, & animalia peterent diu defatigata. uerū cum se proditos aduertissent, à conatu nefario desiterunt. Hac etiam suspicione iam liberi, properantēsque itineribus magnis prope Hatram uenimus, uetus oppidum in media solitudine positum, olimque desertum, quod eruendum adorti temporibus uarijs Traianus & Seuerus principes bellicosi cum exercitibus penè deleti sunt, ut in eorum actibus has quoq; digessimus partes. unde cognito per porrectam planiciem adusque lapidem septuagesimum in regionibus aridis nec aquam inueniri posse præter salsam & fœtidam, nec ad uictum aliquid nisi abrotanum & absinthium & dracontion alidque herbarum genera tristissima, uasa quæ portabantur, aquis impleta sunt dulcibus: & mactatis camelis iumentisque alijs alimēta quæsita sunt licet noxia. Et uia sex dierum emensa, cum ne gramina quidem inuenirentur solatia necessitatis extre-

mæ, dux Mesopotamiæ Cassianus, & tribunus Mauricius pridem ob hoc missus, ad Vr nomine Persicum uenere castellum, cibos ferētes ex his quos relictus cum Procopio & Sebastiano exercitus parcius uictitans conseruarat. Hinc Procopius alter notarius, & Memorius militaris tribunus, ad tractus Illyricos mittuntur & Galliarū, nuntiaturi Iuliani mortē, & Iouianum post eius obitum ad culmen Augustum euectum. quibus mandauerat princeps, ut Lucillianum socerum suum post depositum militiæ munus digressum ad otium, morantémque eo tempore apud Sirmū, oblatis magisterij equitum & peditum codicillis, quos ijsdem tradiderat, properare Mediolanum urgerent, res firmaturum ancipites: & quod magis metuebatur, si casus quidam noui exurgerent opponendum. Quibus secretiores addiderat literas, Lucillianum itidē monens, ut quosdam lectos exploratæ industriæ fideíque ducæret secum, adminiculis eorum usurus, pro incidentium captu negotiorum. prudentique consilio Malarichū ex familiaribus negotijs agentem etiam tum in Italia, missis insignibus Iouino iussit succedere armorum magistro per Gallias, gemina utilitate præspeculata: ut dux meriti cælestioris ideóque suspectus abiret è medio, & homo inferioris spei ad sublimiora prouectus autoris sui nutantem adhuc statum studio fundaret ingenti. Iussum est autem ad implenda hæc perrecturis extollere seriem gestorū in melius, & rumores quaquà irēt breues diffundere, concinētes procinctū Parthicum exitu prospero terminatum: additisque festinando itineri noctibus, prouinciarum militiéque rectoribus insinuare noui principis scripta, omniúmque sententijs occultius scisciatis remeare uelociter cum responsis, ut comperto quid in longinquis agatur, principatus roborandi

matura consilia quærantur & cauta: hos tabellarios fama prægrediens, index tristium casuum uelocissime per prouincias uolitabat: & gentes maximéque omnium Nisibenos acerbo dolore perculsit, cum urbē sapori deditam cōm perissent: cuius iram metuebant & simultates, recolentes quæ assidue pertulerit funera eam sæpius oppugnare conatus. Constabat enim orbem Eoum in ditionem potuisse transire Persidis, nisi hæc ciuitas habili situ & mœnium magnitudine restitisset. miseri tamen licet maiore uenturi pauore constringerētur, spe tamen sustentari potuerunt exigua: hac scilicet, quòd uel suopte motu, uel exoratus eorum precibus imperator eodem statu retinebit urbem, Orientis firmissimum claustrum. Dum gestorum seriem ubique rumores diffunditant uarij, in exercitu absumptis commeatibus paucis; quos adductos prædiximus, in corpora sua necessitas erat humana uertenda, ni iumentorum caro cæsorum aliquatenus perdurasset: unde effectum est ut arma pleraque proijcerētur. Adeo enim atroci tabumus fame, ut si usquā modius unus farinæ fuisset repertus (quod raro contigerat) aureis decem mutaretur ut minus. Profecti exinde Thisalphata uenimus, ubi Sebastianus atq; Procopius cum tribunis principibúsque militum sibi ad tuendam Mesopotamiam commissorum, ut poscebat solennitas, occurrerunt, & sequebātur benigne suscepti. Post quæ itinere festinato Nisibi cupide uisa, extra urbem statiua castra posuit princeps: rogatúsque enixe precante multiplici plebe ut ingressus palatium more succederet principum, pertinaciter reluctatus est, erubescens agente se intra muros, urbem inexpugnabilem iratis hostibus tradi. Ibi tunc uespera tenebrante, raptus à cœna Iouianus, primus mternotarios omnes, quem obsidione ciuitatis Maio Zamalchæ

per cuniculum docuimus euasisse cum alijs, ductúsque deuium ad locum, & præceps actus in puteum sicum, obrutus est saxorum multitudine superiecta: hanc profecto ob causam, quòd Iuliano perempto ipse quoque nominatus à paucis ut imperio dignus, nec post creatum Iouianum egit modeste: sed susurrãs super negotio quædam audiebatur, inuitabátque ad conuiuia subinde militares. Postridie Bineses unus ex Persis, quẽ inter alios excellere diximus, mandata regis complere festinans, promissa flagitabat instanter: & principe permittente Romano ciuitatem ingressus, gentis suæ signum ab arce extulit, commigrationem è patria ciuibus nuntians luctuosam. & uertere solum extemplo omnes præcepti, manus tendentes orabant, ne imponeretur sibi necessitas abscedendi, ad defendendos penates se solos sufficere sine alimentis publicis affirmantes & milite, satis confisi affuturam iustitiam pro genitali sede dimicaturis, ut experti sunt sæpe. Et sic quidem supplicitер ordo & populus precabatur, sed uentis loquebatur incassum, imperatore, ut fingebat alia metuẽs, periurij piacula declinãte. Tum Sabinus fortuna & genere inter municipes clarus, ore uolubili replicabat, Cõstantium immani crudescente bellorum materia superatum à Persis interdum, deductúmque postremo per fugam cum paucis ad Hibitam stationem intutã, panis frusto uixisse precario ab anu quadam agresti porrecto, nihil tamen ad diem perdidisse supremum: Et Iouianum inter exordia principatus prouinciarum muro cessisse, cuius obijce iam inde à uetustate innoxiæ permanserunt. Cúmque nihil promoueretur, iurisiurandi religionem principe destinatius prætendente: cum oblatam ei coronam aliquandiu recusans coactus denique suscepisset, Siluanus quidã causarũ defensor con-

fidentius exclamauit, Ita, inquit, imperator à ciuitatibus residuus coroneris. Quo uerbo exasperatus, intra triduum omnes iussit exœdere mœnibus, detestantes rerum præsentium statum. Appositis itaque compulsoribus, mortem, si qui distulerint egredi, minitãtibus, mœnia permixta sunt lamentis & luctu: & per omnia ciuitatis membra una uox cunctorum erat gementium, cum laceraret crines matrona exul fugandã laribus in quibus nata erat & educata, orbatáque mater liberis uel coniuge uiduata procul ab eorum manibus pelleretur: & turba flebilis postes penatum amplexa uel limina lachrymabat. exim uariæ complentur uiæ, quà quisque poterat dilabentium: properando enim multi furabantur opes proprias quas uebi posse credebant, contẽpta reliqua supellectili pretiosa & multa: hanc enim relinquebant penuria iumentorũ. Tu hoc loco Fortuna orbis Romani merito incusaris, quæ difflantibus procellis Remp. excussa regimẽta perito rei gerẽdæ ductori cõsummãdo iuueni porrexisti: quem nullis anteactæ uitæ insignibus in huiusmodi negotijs cognitum, nec uituperari est æquum nec laudari. Illud tamẽ ad medullas usque bonorum peruenit: quòd dum extimescit æmulum potestatis, dũmque in animo Gallias & Illyricũ uersat, quosdam sæpe sublimiora cœptasse, famam aduentus sui præuenire festinans, indignum imperio facinus amictu periurij fugiendi commisit, Nisi bi perdita: quæ iam inde à Mithridatici regni temporibus, ne Oriens à Persis occuparetur, uiribus restitit maximis. Nunquam enim ab urbis ortu inueniri potest, annalibus replicatis, ut arbitror, terrarum partes ullas nostrarum ab imperatore uel Cos. hosti concessas: & ne ob recepta quidem quæ direpta sunt, uerũ ob amplificata regna triũphales glorias fuisse delatas. Vnde

P. Scipioni ob recuperatas Hispanias, Fuluio Capua post diuturna certamina superata, & Opimio post diuersos exitus prælioru, Fregellanis tuc interneciuis hostibus ad deditionem compulsis, triuphi sunt denegati. Id etiam memoriæ nos ueteres docet: in extremis casibus icta cum ductore fœdera, postquã partes uerbis iurauere cõceptis, repetitione bellorum ilico dissoluta: ut temporibus priscis apud Furcas Caudinas sub iugũ legionibus missis in Sãnio, & per Albinum in Numidia scelesta pace cogitata, & autore turpiter pactionis festinatæ Mancino dedito Numantinis. Proinde extractis ciuibus, & urbe tradita, missóque tribuno Cõ, tantio, qui munimẽta præsidiaria cum regionibus Persicis optimatibus assignaret, cũ Iuliani supremis Procopius mittitur, ea, ut superstes ille mandarat, humaturus in suburbio Tarsensi. qui ad exequendum profectus, cõfestim corpore sepulto discessit, nec inueniri usquam potuit studio quæsitus ingenti, nisi quòd multo postea apud Cõstantinopolim uisus est subito purpuratus. His hoc modo peractis discursisque itineribus, Antiochiam uenimus, ubi per continuos dies uelut offenso numine multa uisebantur & dira: quorum euentus fore luctificos, gnari rerum prodigialium præcinebant. nam & Maximiani statua Cæsaris locata in uestibulo regiæ, amisit repente sphæram æream formatam in speciem poliquam gestabat: & cum horrendo stridore sonuerunt in consistorio trabes: & uisa sunt interdiu sidera cometarum, super quorũ natura ratiocinantes physici uariant. Quidam enim eos hoc nomine ideo existimant appellari, quòd per torros ignes sparguntur crines, in unum stellis multiplicibus congregatis. Alij eos arbitrantur ex halitu siccior terrarum ignescere, paulatim in sublimiora surgentes. Quidam currentes radios solis

dēsiore nube obiecta digredi ad inferiora prohibitos, splendore infuso corpori crasso, lucē uelut stellis distinctam mortali conspectu monstrare. sedit quorundam opinioni, hanc speciē tunc apparere, cum tracta solito ælsius nubes æternorum igniū uicinitate collucēat: uel certe stellas esse quasdam cæteris similes, quarum ortus obitúsque quibus sint temporibus præstituti, humanis mentibus ignorari. Plura *alia de cometis ~~apud peritos mundanæ~~ rationis sunt lecta: quæ digerere ~~nunc~~ uetat aliorsum oratio properam.* Moratum paulisper Antiochiæ principem, curarúmque diuersis ponderibus afflictum, exeundi mira cupiditas agitabat. proinde nec iumento parcens, nec militi, flagranti hyeme inde profectus, signis, ut dictum est, uetantibus plurimis, Tarsum urbem Cilicum nobilem introiit, cuius originem docuimus suprá. Exindéque egredi nimium properans, exornari sepulchrum statuit Iuliani, in pomœrio situm itineris, quod ad Tauri montis angustias ducit: cuius suprema & cineres, si qui tunc iustē cōsuleret, non Cydnus uidere deberet, quanuis gratissimus amnis & liquidus: sed ad perpetuādam gloriam rectē factorum præterlaberetur Tiberis intersecans Vrbem æternam, Diuorúmq; ueterum monumenta perstringens. Deinde Tarso profectus extentis itineribus, uenit oppidū Cappadociæ Tyana: ubi ei reuersi Procopius notarius & Memoridus tribunus occurrūt, gestorúmque aperiunt textum, hinc ut ordo posebat exorsi: quòd Lucillianus Mediolanum ingressus cum Seniaucho & Valētiniano tribunis, quos duxerat secum, cognito quòd Malarichus recusauit suscipere magisterium, effuso cursu petierat Remos: & tanquam in alto gētis silentio, extra calcem, ut dicitur, procurrebat: & intempestiue parum etiam tum firmatis omnibus ex Acturio ratio-*

cinijs scrutandis incubuit. qui fraudum conscius & noxarum ad militaria signa confugit: finxitque Iuliano superstite in res nouas quendam medium surrexisse, cuius fallacijs turbo militaris acerrime concitus Lucillianum & Seniauchum occidit. Valentinianum enim paulo postea principem, trepidum & quò confugeret ambigentem, Primitiuus hospes tutius amandarat. His itaque tristibus lætum aliud addebatur, missos à Iouino milites aduentare, quos Capita scholarum ordo castrensis appellat, nuntiãtes æquo animo Iouiani imperium amplecti exercitum Gallicanum. Quibus compertis, Valentiniano qui cum his redierat regenda scutariorum secũda committitur schola, & Vitalianus consortio domesticorum iungitur, Herulorum è numero miles, qui multo postea auctus Comitis dignitate male rem per Illyricum gessit. confestimque mittitur in Gallias Arintheus, ferens literas ad Iouinum, ut constanter ageret suum obtinens locum: eique mandatum est, ut animaduerteretur in concitorem tumultus, autoresque seditionis ad comitatum uincti trãsmitterẽtur. Post quæ ut uidebatur expedire disposita, apud Aspuna Galatiæ municipium breue, Gallicani milites uisi principi, ingressique consistorium post audita gratanter quæ pertulerant, munerati redire iubentur ad signa. Et cum introisset Ancyram imperator, paratis ad pompam pro tempore necessitatibus, consulatum inijt adhibito in societatẽ trabeæ Varroniano filio suo admodum parulo: cuius uagitus pertinaciter reluctans ne in curuli sella ueheretur ex more, id quod mox accidit portẽdebat. Hinc quoque Iouianum celeri gradu præscriptus uitæ finiendæ dies exegit. cum enim uenisset Dadastanam, qui locus Bithyniam distinguit & Galatas, exanimatus inuentus est noctu: super cuius

obitu dubitationes emersere cõplures. fertur enim recẽti calcæ cubiculi illiti ferre odorem noxium nequiuisse, uel extuberato capitis perisse succensione prunarum immensa, aut certe ex colluuione ciborum auida eruditatæ distẽtus. Decessit autem anno tricesimo ætatis & tertio. Cúmque huic & AEmuliano Scipioni uitæ exitus simulis euenisset, super neutrius mortis quæstionem cõperimus agitatam. Incedebat autem motu corporis graui, uultu lætissimo, oculis cæsijs, uasta procritate & ardua, adeo ut diu nullum indumentum regium ad mensuram eius aptum inuenirentur: & æmulari malebat Constantium, agens seria quædam aliquoties post meridiem: iocarique palàm cum proximis assuetus. Christianæ legis idem studiosus, & nonnũquam ~~honorificus, mediocriter~~ eruditus, magísque beneuolus, & perpensius, ut apparebat ex paucis quos promouerat, iudices electurus: edax tamen & uino Venerique indulgens, quæ uitia imperiali uerecundia forsitan correxisset. Dicebatur autem Varronianus pater eius monitu cuiusdam somnij dudum præsciisse quod euenit: idque duobus amicis commisisse fidissimis, illo adiecto, quòd ipsi quoque deferretur trabea consularis. sed impetrato uno, adipisci non potuit aliud. audita enim filij cælsiore fortuna, antequã eum uideret, fatali præuẽtus est mortẽ. Et quia huic nomini amplissimum magistratũ portendi, per quietem prædictum est seni, Varronianus nepos eius infans etiam tum cum Iouiano patre declaratus est, ut supra retulimus, consul.

AMMIANI MARCELLINI RERVM GESTARVM LIBER XXVI.

ICTIS impensiore cura rerũ ordinibus adusque memoriæ cõsinia propioris, cõuenerat iã referre à notioribus pedẽ, ut & pericula declinẽtur ueritatis sæpe cõtigua, & examinatores contexẽdi operis deinde
D nõ perferamus intẽpestiuos, strepẽtes ut læsos, si prætéritum sit quod locutus est imperator in cœna, uel omissum quã ob causam gregarij milites cœrciti sunt apud signa: & quòd nõ decuerat in descriptione multiplici regionum super exiguis silere castellis: quódque cunctorũ nomina qui ad Vrbani prætoris officiũ conuenere non sunt expressa: & similia plurima præceptis historiæ dissonantia, discurrere per negotiorũ cælsitudines assuetæ, non humiliũ minutias indagare causarũ: quas si scitari uoluerit quispiã, indiuidua corpuscula uolitãtia per inane, atomos, ut nos appellamus, numerari posse sperabit. hæc quidam ueterũ formidãtes, cognitiones actuũ uariorũ stilis uberibus explicatas non edidere superstites, ut in quadam ad Corneliũ Nepotem epistola Tullius quoque testis reuerendus affirmat. Proinde inscitia uulgari cõtẽpta, ad residua narrãda pergamus. Hac uolubiliũ casuũ diritate exitu luctuoso finita obituq;, interuallato breui tẽpore, principis corpore curato defuncti, missóque Cõstantinopolim ut inter Augustorũ reliquias conderetur, progresso Niceam uersus exercitu, quæ in Bithynia mater est urbium, potestatum ciuiliũ militiæque rectores magnitudine curarum adstricti communium,

intérque eos quidam spe uana sufflati, moderatorem quæritabant diu exploratũ & grauem: & rumore tenus obscuris paucorum susurris nomen perstringebatur Equitij, *scholæ primæ scutariorum etiam tum tribuni. qui cum potiorũ autoritate displicuisset, ut asper & subagrestis, translata est suffragatio leuis in* Ianuarium Iouiani *affinem, curantem summitatem necessitatum castrensium per* Illyricum. *quo itidem spreto, quia procul iacebat, ut aptus ad id quod quærebatur atque conueniens,* Valẽtinianus *nulla discordante sententia numinis aspiratione cælestis electus est, agẽs scholã scutariorũ secundã, relictúsque apud* Ancyrã, *postea sequuturus ut ordinatũ est.* Et *quia nullo renitẽte hoc è* Rep. *uidebatur, missis qui eũ uenire ocyus admonerẽt, diebus decẽ nullus imperij tenuit gubernacula: quod tunc euenisse, extis* Romæ *inspectis aruspex dixerat* Marcus. *Inter hæc tamen, nequid nouaretur cõtrarium placitis, náue armatorũ mobilitas sæpe uersabilis præsentiũ quẽdam inclinaret arbitrum, attẽte prouidebat* Equitius *& cũ eo* Leo, *adhuc sub* Dagalaipho *magistro equitũ rationes numerorũ militariũ tractans, exitialis postea magister officiorũ, exercitus uniuersi iudicium quantũ facere nitique poterant, ut* Pãnonij *fautoréſq; principis designati formãtes. qui cũ uenisset accitus, implẽdíq; negotij præsagus, ut subodorari dabatur uel somniorum assiduitate, nec uideri die secũdo, nec prodire in medium uoluit, bissextum mutans* Februarij *mensis tunc illucescens, quod aliquoties rei* Romanæ *fuisse cognorat infaustum: cuius notitiã certã designabo. Spatiũ anni uertentis id esse periti mundani motus & siderũ definiunt ueteres, inter quos* Menon *&* Euctemon *&* Hipparchus *&* Archimedes *excellunt, cum sol perenni rerum sublimium lege polo percurso signifero*

quem Zodiacum sermo Græcus appellat, trecentis & sexagintaquinque diebus emensis & noctibus ad eundē redierit cardinem: ut uerbo tenus, si à secunda particula elatus Arietis, ad eam dimēsione redierit terminata. Sed anni mœruallū uerissimum memoratis diebus & horis sex adusque meridiem concluditur plenum: anníque sequentis erit post horam sextam initium, porrectum ad uesperam. Tertius à prima uigilia sumens exordium, ad horam noctis extenditur sextam. Quartus à media noctis usque ad claram trahitur lucem. Ne igitur hæc computatio uariantibus annorum principijs, & quodam post horam sextam diei, alio post sextam excurso nocturnam, sciētiam omnem squalida diuisione confundat, & autumnalis mensis mueniatur quandoque uernalis, placuit senas illas horas, quæ quadriennio uiginti colliguntur atque quatuor, in unius diei noctisque adiectæ transire mensuram. Hócque altè considerato, eruditis concinentibus multis effectum est, ut ad unum distinctúmque exitum conuersio cursus anni reuoluta, nec uaga sit, nec incerta, nullóque errore deinceps obumbrata ratio cælestis appareat, & menses tempora retineāt præstituta. Hæc nondum extentis fusius regnis diu ignorauere Romani, pérque secula multa obscuris difficultatibus implicati, tunc magis errorum profunda caligine fluctuabant, cum in sacerdotes potestatem transtulissent intercalandi: qui libenter gratificantes publicanorum uel litigantium commodis, ad arbitrium suum detrahebant tempora uel augebant. hócque excepto emerserunt alia plurima quæ fallebāt, quorum meminisse nunc superuacuum puto. Quibus abolitis, Octauianus Augustus Græcos sequutus, hanc inconstantiam correcta turbatione composuit, spatijs duodecim mensium & sex horarum magna delibera-

tione collectis: pérque duodecim siderum domicilia sol discurrens motibus sempiternis, anni totius interualla concludit. quam rationem bissexti probatam, etiam uictura cũ seculis Roma *adiumento numinis diuini fundauit. Proinde pergamus ad reliqua. Elapso die parum apto ad inchoandam rerum magnitudinem, ut quidam existimant, propinquantæ iam uespera, monitu præfecti* Sallustij *sub exitij denuntiatione, statutum est prompta consensione cunctorum, ne potioris quisquam autoritatis, uel suspectus altiora conari, procederet postridie mane. cúmque multorum tædio, quos uotorum inanitas cruciabat, tandem finita nocte lux aduenisset, in unum quæsito milite omni, progressus* Valentinianus *in campũ, permussúsque tribunal ascendere cælsius structum, comitiorum specie & uoluntate præsentium secundissima, ut uir serius rector pronuntiatur imperij. mox principali habitu circundatus & corona,* Augustúsque *nuncupatus cum laudibus amplis, quas nouitatis potuit excogitare dulcedo, præmeditata dicere iã parabat. Eóque ut expeditius loqueretur brachium exertantæ, obmurmuratio grauis exoritur, concrepantibus centurijs & manipulis, cohortiúmque omniũ plebe, urgentium destinatæ confestim imperatorem alterũ declarari. Quod licet nonnulli existimarunt paucis corruptis ad gratiam fieri despectorum, ex eo tamen id frustra creditum uidebatur, quòd non emercati, sed consoni totius multitudinis paria uolentis, clamores audiebantur, documento recenti fragilitatem pertimescentis sublimium fortunarum. Deinde ex susurris immaniter strepentis exercitus cieri tumultus uiolẽtior apparebat, & confidentia militis erumpentis interdum ad perniciosa facinora timebatur. Quod* Valẽtinianus *magis præ cunctis ne fieret extimescens, elata prospere dextera*

ut princeps fiducia plenus, ausus increpare quosdam ut seditiosos & pertinaces, cogitata nullis interpellantibus absoluebat: Exulto prouinciarũ fortissimi defensores, & præ me fero, sempérque laturus sum, nec speranti nec adpetenti moderamina orbis Ro. mihi ut potissimo omnium, uestras detulisse uirtutes. Quod erat igitur in manu positum uestra, nondum electo imperij formatore, utiliter & gloriose complestis, adscito in honorum uerticem eo, quem ab meunte adolescentia ad hanc usque ætatis maturitatem splendide integréque uixisse experiundo cognostis. Proinde pacatis auribus accipite quæso simplicioribus uerbis, quod conducere arbitror in commune. Adhiberi oportere in omnes casus socia potestate collegam, contẽplatione poscente multiplici, nec ambigo, nec repugno, curarum aceruos & mutationes uarias accidentium ipse quoque ut homo formidans. sed studendum est concordiæ uiribus totis, per quam res quoque minime conualescunt. quod interpretabitur facile, si patientia uestra cum æquitate consentiens, id mihi quod mearum est partium, concesserit libens. Dabit enim (ut spero) fortuna consiliorũ adiutrix bonorum, quantum efficere & consequi possum, diligenter scrutanti temperamentum. Vt enim sapientes definiunt, non modo in imperio, ubi pericula maxima sunt & creberrima, uerumetiam in priuatis quotidianisque rationibus, alienum ad amicitiam cum iudicauerit, quisquam prudens adiungere sibi debebit, non cum adiunxerit, iudicare. Hæc cum lætiorũ spe pollicor: uos firmitatem factorum retinentes & fidem, dum hyberna patitur quies, animorũ reparate uigorem atque membrorum, ob nancupationem augustam debita protinus accepturi. Finita oratione, quam autoritas ereexerat mopina, flexit imperator in suam sententiam uni-

uersos: consiliij que eius uiam sequuti, qui paulo antè flagrantissimis uocibus aliud postulabant, circunseptum aquilis & uexillis, agminibusque diuersorum ordinum ambitiose stipatum, iámque terribilem duxerunt in regiam. Dum hæc in Oriente uolubiles fatorum explicant sortes, Apronianus regens Vrbem æternam iudex mteger & seuerus, inter curarum præcipua quibus hæc præfectura sæpe solicitatur, id primum opera curabat enixa, ut uenefícos, qui tunc rarescebant, captos, póstque agitatas quæstiones nocuisse quibusdam aperte confutatos, indicatis conscijs morte mulctaret, atque ita paucorum discrimine reliquos si qui latérent, formidine parium exturbaret. Hæc egisse ideo efficaciter fertur, quòd Iuliani promotus arbitrio agẽtis etiam tum per Syrias, in itinere unum amiserat oculũ: suspicatúsq; artibus se nefarijs adpetitum, iusto quidem sed imusitato dolore, hæc & alia magna quæritabat industria. unde quibusdam atrox usus est, in amphitheatrali curriculo undatim cœuntæ aliquoties plebe causas dispiciens criminum maximorum. Denique post huiusmodi uindicata complura, Hilarium aurigam conuictum atque confessum, uixdum pubescentem filium suum uenefico tradidisse docendum secretiora quædam legibus interdicta, ut nullo conscio admuniculis iuuaretur internis, capitali animaduersione damnauit. Qui laxius retinente carnificæ, subito lapsus confugit ad ritus Christiani sacrarium, extractúsque exinde iliico abscissa ceruicæ consumptus est. Verũ hæc similiáque tum etiã ut coercenda mox cauebantur, & nulli uel admodum pauci in his uersati flagitijs uigori publico insultarunt: sed tempore sequuto, longæua impunitas nutriuit immania, usque eo grassante licentia, ut imitatus Hilarium quidã senator, seruúmque suum modo non per

syngraphā arcanis piacularibus inducendum, commisisse doctori malarum artium confutatus, supplicium redimeret opima mercede, ut crebrior fama uulgarat. Isque ipse hoc genere quo iactatum est absolutus, cum uitæ pudere deberet & culpæ, non abolendæ mauuit maculæ, sed tanquam inter multos probrosos solus uacuus ab omni delicto, equo phalerato insidens discurrensque per siliçes, multa post se unicus trahit agmina seruulorum, per nouum quoddam insigne curiosius spectari adfectans: ut Dulliū accepimus uetterem post gloriosa illa nauali rei certamina id sibi sumpsisse, ut tibicine lenius præcinente rediret ad sua post cœnam. Sub hoc tamen Aproniano ita iugiter copia necessariorum exuberauit, ut nulla saltem leuia murmura super inopia uictui congruentium orirentur, quod assidue Romæ contingit. At in Bithynia Valentinianus primœps (ut prædiximus) declaratus, dato in perendinum diem signo proficiscendi, conuocatis primoribus, quasi tota consilia tanquam sibi placentia sequuturus, percontabatur quemnam ad imperij consortium oporteret adsumi: silentibusque cunctis, Dagalaiphus tunc equestris militiæ rector respondit fidentius: Si tuos, inquit, amas imperator optime, habes fratrem: si Remp. quære quem uestigas. Quo dicto asperatus ille, sed tacitus & occultans quæ cogitabat, Nicomediam itineribus citis ingressus Calen. Martijs, Valentem fratrem stabulo suo cum tribunatus dignitate præfecit. Indéque cum uenisset Cōstantinopolim, multa secum ipse diuoluens, & magnitudini urgenti negotiorū iam sese parare considerans, nihil morandum ratus Calen. Aprilis productum eundem Valentem in suburbanum uniuersorum sententijs concinentibus (nec enim audebat quisquā refragari) Augustum pronuntiauit: decoréque imperatorij

cultus ornatum, & tempora diademate redimitum, in eodem uehiculo secum reduxit, participem quidē legitimum potestatis, sed in modum apparitoris morigerum, ut progrediens aperiet textus. quibus ita nullo interturbante perfectis, constricti rapidis febribus imperatores ambo diu, spe uiuēdi firmata, ut erant inquirendis rebus gnauiores quā componendis, suspectas morborum causas inuestigandas acerrime Vrsatio officiorum magistro Dalmatæ crudo & Iuuentio Sisciano quæstori tunc commiserunt: ut loquebatur pertinax rumor, mundiā cientes Iuliani memoriæ principis, amicíque eius, tanquam clandestinis præstigijs læsi. sed hoc euanuit facile, ne uerbo quidem tenus insidiarum indicio ullo reperto. Hoc tempore, uelut per uniuersum orbem Romanum bellicum canentibus buccinis, excitæ gentes sæuissimæ limites sibi proximos persultabant. Gallias Rhetiásque simul Alemanni populabātur, Sarmatæ Pannonias & Quadi: Picti, Saxones & Scoti & Attacotti Britannos ærumnis uexauere continuis: Austoriani Mauricéque aliæ gentes Africam solito acrius incursabant, Thracias diripiebant prædatorij globi Gothorum: Persarum rex manus Armenijs iniectabat, eos in suam ditionem ex integro uocare ui nimia properans, sed iniuste: causando quòd post Iouiani excessum, cum quo fœdus firmarat & pacem, nihil obstare debebat quo minus ea recuperaret, quæ ante ad maiores suos pertinuisse monstrabat. Acta igitur tranquillius hyeme, concordissimi principes unus uncupatione prælatus, alter honore specie tenus adiunctus, percursis Thracijs Nessum aduenerunt: ubi in suburbio, quod appellatum Mediana à ciuitate tertio lapide disparatur, quasi mox separandi partiti sunt Comites. & Valētiniano quidē, cuius arbitrio res gerebatur, Iouiu-

nus euenit dudũ promotus à Iuliano per Gallias magister armorũ, & Dagalaiphus, quem militiæ rectorem prouexerat Iouianus: in Orientẽ uero sequuturus Valentem, ordinatus est Victor, ipse quoque iudicio principis antedicti prouectus, cui iunctus est Arintheus. Lupicinus enim pridem à Iouiano pari modo promotus magister equitum, partes tuebatur Eoas. tũc & Equitius Illyriciano præponitur exercitui, nondum magister, sed Comes: & Serenianus olim sacramento digressus recinctus est ut Pannonius, sociatúsque Valenti domesticorum præfuit scholæ. Quibus ita digestis, & militares partiti numeri: & post hæc cum ambo fratres Sirmium introissent diuiso palatio, ut potiori placuerat, Valentinianus Mediolanum, Constantinopolim Valens discessit. & Orientem quidem regebat potestate præfecti Sallustius. Italiam uero cum Africa & Illyrico Mamertinus, & Gallias prouincias Germanus. agentes igitur in memoratis urbibus principes, sumpserunt primitus trabeas consulares, omnísque hic annus dispendijs grauibus rem Romanam afflixit. Alemanni enim perrupere Germaniæ limites, hac ex causa solito infestius moti, cum legatis eorum missis ad Comitatum, certa & præstituta ex more munera præberi deberẽt, minora & uiliora sunt attributa: quæ illi suscepta furenter agentes, ut indignissima proiecere: tractatíque asperius ab Vrsatio tunc magistro officiorum iracundo quodam & sæuo, regressi factúmque exaggerentes, ut contumeliose despectas, gentes immanissimas concitarunt. Et circa id tempus, aut non multo posterius in Oriente Procopius in res surrexerat nouas. quæ prope Calen. Nouembris uenturo Valentiniano Parisios

eodémque nuntiata sunt die. & Alemannis quidem occursurum Dagalaiphum pergere mature præcepit:

qui uastatis propinquioribus locis longius discesserant incruenti. super appetitu uero Procopij antequam adolesceret reprimendo, curis diduebatur ambiguis, ea potissimum ratione solicitus, quòd ignorabat utrum Valente superstite an extincto memoratum imperium adfectarat. Equitius enim relatione Antonij tribuni accepta, regentis in Dacia mediterranea militem, qui nihil præter negotium ipsum auditum obscure significabat, ipse quoque nondum liquida fide comperta, simplicibus uerbis principem gestorum conscium fecit. His cognitis Valentinianus eodem Equitio aucto magisterij dignitate, repedare ad Illyricum festinabat, ne persultatis Thracijs perduellis iam formidatus inuaderet hostili excursu Pannonias. Documento enim recenti impendio terrebatur, reputans paulo antea Iulianum cõtempto imperatore bellorum ciuilium ubique uictore, nec speratum antè nec expectatum ab urbe in urbem incredibili uelocitate transisse. Verum ardens ad redeundũ eius impetus molliebatur consilijs proximorum, suadẽtium & orantium ne interneciua minantibus barbaris exponeret Gallias, néue hac causatione prouincias desereret egentes adminiculis eius: ijsque legationes urbium accessere nobilium, precantes ne in rebus duris & dubijs impropugnatas eas relinqueret, quas præsens eripere poterit discriminibus maximis, metu ambitiosi nominis sui Germanis incusso. tandem denique utilitate rei perpensius cogitata, in multorum sententias flexus, replicabat aliquoties hostem suum fratrísque solius esse Procopium, Alemannos uero totius orbis Romani: statuitque nusquam interim extra confinia moueri Gallorum, adusque Remos progressus. solicitúsque super Africa, ne repentè perrumperetur, Vulterium postea Cos. tum notarium ad eandem tuendam ire dispo-

suit, & Masaucionem domesticum protectorem ea consideratione, quòd ibi sub patre Cretione Comitæ quondam educatus, suspecta nouerat loca: hisque scutarium adiuxit Gaudentium olim sibi cognitum & fidelem. Quia igitur uno eodémque tempore utrobique turbines exarsere mœstissimi, cōpetenti loco singula digeremus, nunc partē in Orientē gestorum, deinde bella barbarica narraturi: quoniam pleraque & Occidentali, & in Eoo orbe ijsdem mensibus sunt actitata, ne dum ex loco subinde saltuatim redire festinamus in locum, omnia confundentes, squaliditate maxima rerum ordinem implicemus. Insigni genere Procopius in Cilicia natus & educatus, ea consideratione, qua propinquitate Iulianum postea principem contingebat, à primo gradu eluxit: & ut uita moribúsq; castigatior, licet occultus erat & taciturnus, notarius diu perspicaciter militans & tribunus, iámque summatibus proximus, post Constantij obitum in rerum conuersione uelut imperatoris cognatus altius anhelabat, admixtus consortio Comitum: & apparebat eum, si unquam potuisset, fore quietis publicæ turbatorem. Hunc Iulianus Persidem ingrediens, consociato pari potestatis iure Sebastiano, in Mesopotamia cū manu militum reliquerat ualida: mandarátque, ut susurrauit obscurior fama (nemo enim dicti author extitit uerus) pro cognitorum ageret textu: & si subsidia rei Romanæ languisse sensisset, imperatorem ipse se prouideret ocyus muncupari. Qui miuncta ciuliter agens & caute, Iuliani letaliter uulnerati funus, & ad regenda communia comperit Iouianū euectum: falsóque rumore dispersо, inter obeuntis anhelitus animæ ~~eundem~~ Iulianum mandasse, placere sibi Procopio clauos summæ rei gerendæ committi, ueritus ne hac ex causa indemnatus occideretur, è medio se

cõspectu disseruit, maxime post Iouiani territus necem notariorum omnium primi: quem Iuliano peremptoueluti dignum imperio paucis militibus nominatum, nouáq; exinde cœptare suspectum, cruciabiliter didicerat interfectum. & quia se quæri industria didicerat magna, uitans grauioris mundiæ põdus ad abdita longuíſque remota discessit. cúmq; à Iouiano exploratius indagari latibula sua sentiret, & formæ uitæ iã fuisset pertæsum: quippe à cælsiore statu deiectus ad inferiora, etiã edendi penuria in locis squalẽtibus strimgebatur, hominúmq; egebat colloquijs: postremæ necessitatis impulsu, deuijs itineribus ad Chalcedonium agrum peruenit. ubi quoniam illud firmius uisum est receptaculum, apud fidissimum amicorum delitescebat, Strategũ quendam ex palatino militæ senatorem, Constantinopolim, quantum fieri poterat, clanculo sæpe intermeans (ut indicio eiusdem Strategij patuit) postquam sæpius in factionis conscios est inquisitum. Ritu itaque solertissimi cuiusdam speculatoris, ignotus uultu ob squalorem & maciem rumusculos colligebat tunc crebrescentes, ut sunt acerba semper instantia, incusantium multorum Valentem, quasi cupiditate aliena rapiendi succensum. cuius diritati adiectum erat incentiuum exitiale socer Petronius, ex præposito Martensium militum promotus repentino saltu patricius, animo deformis & habitu. qui ad mutandos sine discretione cunctos immaniter flagrãs, innocentes pariter & sontes post exquisita tormenta quadruplicibus nexibus uinciebat, debita iam inde à temporibus principis Aureliani perscrutans, & impendio mœrẽs, si quenquam absoluisset indemnem. cuius morũ intolerantiæ hæc quoque pernicies accedebat, quòd cum ditaretur luctibus alienis, erat inexorabilis & crudelis, & in rapi-

do corde rudissimus, nec reddendæ, nec accipiendæ rationis unquam capax: inuisior Cleandro, quem agentem sub imperatore Commodo præfecturã sublata uecordia diuersas legimus uexasse fortunas: & onerosior Plautiano, qui præfectus itidem sub Seuero ultra mortale tumens, cuncta confuderat, ni gladio perisset ultore. Hæc lachrymosa quæ incitante Petronio sub Valente clausere multas paupertinas & nobiles domos, impendẽtiúmque spes atrocior, prouincialium & militum paria gementium sensibus imis hærebant: & uotis licet obscuris & tacitis, permutatio status præsentis ope numinis summi concordi gemitu poscebatur. Quæ Procopius latenter accipiens, arbitratúsque ubi felicius acciderit fatum, negotio leui ad apicem summæ potestatis assumi: subsidebat ut prædatrix bestia, uiso quod capi poterat protinus eruptura. cui hæc quæ maturabat ardenti fors hanc materiam dedit impendio tempestiuam. consumpta hyeme, festinans ad Syriã Valens iam fines Bithynorũ ingressus, docetur relationibus ducũ, gentem Gotthorũ ea tẽpestate intactam, eandémque sæuissime conspirantem in unum ad peruadenda parari collimitia Thraciarum. Hócque cognito, ut impræpedito ipse pergeret quò tẽdebat, sufficiens equitũ adiumentum & peditum mitti iussit ad loca, in quibus barbarici timebantur excursus. Dimoto itaque longius principe, Procopius ærumnis diuturnis attritus, uel atrocem mortem clementiorẽ ratus malis quibus afflictabatur, aleam periculorum omnium iecit abruptæ: extremáque iam perpeti nequaquam timens, præeunte perdita ratione, facinus adoritur audacissimum. Diuitenses Tungritanósque iuniores ad procinctum urgentem per Thracias inter alios celerare dispositos, & Constantinopoli moraturos solenniter biduum, per quosdam

ex ijsdem numeris notos solicitare properans, quia cum omnibus loqui periculosum erat & arduum, fidem paucorum elegit: qui pellecti per spem præmiorum ingentiũ sub consecratione iurisiurandi, promisere se quæ uellet, cuncta facturos, fauorem quoque polliciti conturmaliũ, inter quos ipsi potiorem locum obtinebant in suadẽdo, stipendijs excellentes & meritis. utque condictum, & ubi excandunt radijs dies, idem Procopius diductus in cogitationes uarias, Anastasianas balneas petit, à sorore Constantini cognominatas, ubi locata nouerat signa: doctiúsque per arcanorum conscios, omnes in eius studium consensisse societate coitanocturna, fide salutis data libenter admissus, constipatione uendibilium multitum cum honore quidem, sed in modum tenebatur obsessi: qui ut prætoriani quondam post Pertinacis necem licitantem imperij præmia Iulianum susceperant, ipsi quoque Procopium infausti dominatus exordia molientem, attenti ad omne compẽdium defenderunt. Stetit itaque subtabidus, excitum putares ab inferis, nusquam reperto paludamento, tunica auro distincta ut regius minister indutus, à calce in pubem in pædagogiani pueri speciem purpureis opertus tegminibus pedũ: hastatúsque purpureum itidem pãnulum læua manu gestabat, ut in theatrali scena simulacrum quoddam insigne per aulæũ uel mimicam cauillationem subito putares emersum. Ad hoc igitur dehonestamentum honorum omnium ludibriose sublatus, & ancillari adulatione beneficij alloquutus autores, opésque pollicitus amplas & dignitates ob principatus primitias, proessit in publicum multitudine stipatus armorũ: signísque sublatis erectius ire pergebat, circunclausus horrendo fragore scutorum lugubre concrepantium: quæ metuentes ne à ælsioribus tectis saxis uel tegularum

fragmentis conflictarentur, densius ipsis galearum cristis aptabant. Huic timidius mœdenti, nec resistebat populus, nec fauebat: accendebatur tamen insita plerisque vulgarium nouitatis repentina iucunditate, ea re potius incitante, quòd Petronium, ut prædiximus, diuitias uolenter augentem, omnes eadem mente detestabantur, qui sepulta iãdudum negotia & redituas nebulas debitorum in diuersos ordines excitabat. Cum itaque tribunal idem ascendisset Procopius, & cunctis stupore defixis timeretur silentiũ triste, proclituorem uiam ad mortem (ut sperabat) existimans aduenisse, per artus tremore diffuso implicatior ad loquendum diu tacitus stetit: pauca tamen interrupta & moribunda uoce dicere iam exorsus, quibus sturpis propinquitatem imperatoriæ prætendebat, leni paucorum susurro pretio illectorum, deinde tumultuarijs succlamationibus plebis imperator appellatus, inconditè petit curiam raptim: ubi nullo clarissimorum, sed ignobili paucitate muenta, palatium pessimo pede festinatis passibus introijt. Mirantur quidam profectò irrisione digna principia mœuitè cœpta & temere, ad ingemiscendas erupisse reip. clades, ignari forsitan exemplorum id accidisse primitus arbitrantes. sic Adramytenus Andriscus de genere quidam infimæ sortis, adusque pseudo Philippi nomen euectus, bellis Macedonicis tertium addidit graue. sic Antiochiæ Macrino imperatore agente ab Emesa Heliogabalus exiuit Antoninus. ita inopino impetu Maximini Alexander cũ Mammea matre confossus est. in Africa superior Gordianus in imperium raptus, aduentantium periculorum angoribus implicatus, uitam laqueo spiritu intercluso profudit. Igitur cupediarum uilium mercatores, & qui intra regiã apparebant aut parêre desierãt, quiq.

cœtu militarium nexi ad pacatiora iam uitæ discesserant, ad insoliti casus ambigua partim inuiti, alij uolentes adscisebantur: nonnulli omnia tutiora præsentibus rati, à ciuitate occultè dilapsi imperatoris castra petiuere itineribus festinatis. Hos omnes Sophronius uiuacissimo cursu prægressus, tunc notarius, præfectus postea Cõstantinopoleos, Valentem à Cæsarea Cappadocum iam profecturũ, ut uaporatis æstibus Ciliciæ iã lenitis ad Antiochiæ percurreret sedes, textu narrato gestorum, spe dubia ut in talibus percitum & stupentem, auertit Galatiam, res adhuc trepidas arrepturũ. Qui dum itineribus properat magnis, attentissima cura Procopius indies agitabat noctes, subditiuos quosdam ostentans, qui astutia confidenti, partim ab Oriente, alij è Gallijs se uenisse, & Valentinianum obisse fingentes, cũcta patere nouo & fauorabili principi memorabant. Et quia res nouæ petulanter arreptæ celeritate muniri solent interdum, nequid formidandum omitteretur: confestim Nebridius in locum Sallustij præfectus prætorio factione Petronij recens promotus, & Cæsarius Cõstantinopolitanæ urbis præfectus, in uincula compinguntur: & iubetur ciuitatem curare solita potestate Phronemius, essèque magister officiorum Euphrasius, ambo Galli institutis bonarum artium spectatissimi: & administratio negotiorum castrensium Gomoario & Agiloni reuocatis in sacramentum committitur inconsulte, ut docuit rerum exitus proditor. Quia igitur Iulius Comes per Thracias copijs militaribus præsidens oppressurus rebelles, si comperisset, conata, ex propinquis stationibus timebatur: cõmentum excogitatum est ualidum. & quasi iussu Valentis seria super Barbaricis motibus tractaturus, Nebridij literis adhuc clausi uolenter expressis, accitus Cõstantinopo-

lim, strictius tenebatur. hácque callida fraude bellatrices Thraciæ gentes sine cruore acquisitæ, adminicula ausis tumultuarijs maxima comparárunt. Post quæ ita euẽtu lætiore completa, Araxius exambita regia prætorio præfectus accessit, uelut Agilone genero suffragante: alijque plures ad aulæ uarios actus & administrandas prouincias sunt admissi: quidam inuiti, alij ultro semet offerẽtes cum præmijs. utique in cœrtaminibus intestinis usu uenire contingit: emergebant ex uulgari fœcũ nõnulli desperatione consilijsque ductantibus cæcis: cõtráque quidam ortis splendide à cũlminibus summis adusque mortes & exilia cõruebant. Vbi per hæc & simulia factio firmitẽr uidebatur esse composita, restabat ut abundans cogeretur militum manus: & impetratum est facile, id quod in publicis turbamentis aliquoties ausa ingentia uel iustis exorsa primordijs impediuit. Trãseuntes ad expeditionem per Thracias concitatæ equitum peditúmque turmæ, blandéque acceptæ & liberaliter cum essent, omnésque in unum sitæ, iámque exercitus species appareret: promissis uberrimis inhiantes sub execrationibus diris in uerba iurauere Procopij, hanc polliciti pertinaciam, quòd eum suis animis defensabunt. Inuẽta est enim occasio ad alliciendos eos perquam opportuna: quòd Constantij filiam paruulam, cuius recordatio colebatur, sinu ipse circumferens, necessitudinem prætendebat & Iuliani. Adeptúsque est aliud tempori congruũ: quòd Faustina matre puellæ casu præsente quodam, acceperat habitus insignia principalis. Adiungit his aliud ueloci licẽtia maturãdi: & electi qudã stoliditate præcipites ad capessendum Illyriam missi sunt, nullo præter petulãtiam adiumento confisi, aureos scilicet nummos effigiatos in uultum noui principis, aliáque ad illecebras aptantes.

quos correptos Equitius per eas regiones militum rector, extinxit genere diuerso pœnarũ. pariáque demde metuẽs, obstruxit tres aditus angustissimos, per quos prouinciæ tẽtantur Arctoæ: unum per ripensem Daciam, alterum per Sucos notissimum, tertium per Macedonas, quem appellãt Acontisma. Hácque cautela uana persuasione rapiẽdi Illyrici destitutus, usurpator indebitæ potestatis magna perdidit instrumenta bellorum. Dum hæc ita aguntur, atrocitate nuntij Valens perculsus, iámque reuertens per Gallogræciam, auditis apud Constantinopolim gestis, diffidenter incedebat & trepide: ac repentino pauore uias prouidendi turbante, eousque desponderat animum, ut augustos amictus abijcere tanquam grauem sarcinam cogitaret: fecissétque profecto, ni uetantibus proximis detractus à deformi proposito, firmatúsque meliorum sententijs agmina duo præcedere iussisset, quibus nomina sunt Iouij atque Victores, castra perduellium irrupturos. His iam propinquãtibus ipse Procopius à Nicæa regressus, quò nuper aduenerat, cum Diuitẽsibus desertorúmque plebe promiscua, quam dierum ferè sex spatio congregarat, Mygdum adceleruit: qui locus Sangario adluitur flumine. ubi cum legiones iam pugnaturæ congrederentur, inter reciprocantes missilia, quasi procursatione hostem lacessens, solus prorupit in medium. & secundioris ductu fortunæ, ex contraria acie uelut agnitum quendam Vitalianum (quem si norat, ambigitur) Latine salutæ data blãde produxit. eúmq; porrecta dextra suauiatus, omnibus hincinde attonitis: En, inquit, cana Romanorum exercituum fides, & religionibus firmis iuramenta constricta. Placet fortissimi uiri, pro ignotis tot suorum consurrexisse mucrones: útque Pannonius degener, labefactans cuncta & proterens, imperio,

quod ne uotis quidem concipere ausus est unquam, potiatur, ingemiscere nos uestris nostrisque uulneribus. quin potius sequimini culminis summi prosapiam, non ut rapiat aliena, sed in integrum maiestatis auitæ restituatur, arma iustissima commouentem. Hac sermonis placiditate molliti omnes, qui acriter uenerãt pugnaturi, signorum apicibus aquilisque summissis, desciuere libentes ad eum: & pro terrifico fremitu, quem barbari dicunt barritum, nuncupatum imperatorem stipatum quidem consentientes in unũ reduxerunt ad castra, testati more militiæ Iouẽ, inuictum Procopium fore. Huic perduellium prosperitati lætior accessit. Rumitalca enim tribunus in societatẽ Procopianorum adscitus, & suscepta cura palatij, digesto mature consilio permixtóque cum militibus, mari ad Drepanum antea, nunc Helenopolim uenit, exindéque Nicæam spe celerius occupauit. ad quam obsidendam cum huiusmodi pugnarum peritis Vadomario misso ex duce & rege Alemannorum, Valens Nicomediam pergit. Exinde profectus, oppugnationi Chalcedonis magnis uiribus insistebat: cuius è muris probra in eum iaciebantur, & iniuriose compellabatur ut Sabaiarius. Est autem Sabaia ex hordeo uel frumẽto in liquorem conuersus pauperinus in Illyrico potus. Fessus denique inopia commeatuum, & obstinatione in ea defensorum, discedere iam parabat: cum inter hæc clausi apud Nicæam, patefactis subito portis egressi, munitorũ magna parte prostrata, ductore fidentissimo Rumitalca properabant ardentes, circumuenturi Valentem à tergo nondũ à Chalcedonos suburbano digressum. & patrassent conata, ni rumore quodam præuerso, imminens exitiũ ille perdoctus, instantem uestigijs hostem per Sunonensem lacum & fluminis Galli sinuosos anfractus propere discedendo

frustra sequentem lusisset: & hoc casu Bithynia *quoq; in* Procopij *ditionem redacta est. unde cum* Ancyram Valens *citis itineribus reuertisset, comperissétq;* Lupicinum *ad* Orientem *cum cateruis aduentare non cõtemnendis, spe prosperorũ erectior,* Arintheũ *lectissimum ducem occursurũ hostibus misit. qui ubi* Dadastanam *tetigit, in qua statione perisse diximus* Iouianum, Hyperechiũ *sibi oppositũ repente uidit cũ copijs, antehac recte gastrensis apparitorẽ, id est, uentris ministrum & gutturis: cui ut amico,* Procopius *auxilia ductanda commusit.* Et dedignatus hominem *superare certamine despicabilem, autoritatis & celsi fiducia corporis, ipsis hostibus iussit suum uincire rectorem. atque ita turmarum antesignanus umbratilis comprensus suorum manibus. quæ dum hoc modo procedunt,* Venustus *quidem largitionum apparitor sub* Valente, *multo ante* Nicomediam *missus, ut aurum susceptum stipendij nomine militibus per* Orientem *diffusis uiritim tribueret: hac tristitia cognita, alienum periuidens tempus,* Cyzicum *cum his quæ susceperat, se citius contulit: ubi forte* Seuerianus *repertus domesticorũ tunc* Comes *missus ad thesauros tuendos, urbem inexuperabili mœnium ambitu monumentis quoque ueteribus cognitam, fretus tumultuario præsidio custodiebat: ad quam expugnandam* Procopius, *ut possessa* Bithynia *sibi etiam* Hellespontum *iungeret, ualidam destinauerat manum.* Morabantur *autem effectum sagittis & glandibus cæterisque iaculis obsidentium sæpe globi confixi, & propugnatorum solertia claustrum per catenam ferream ualde robustam ori portus insertam. quæ, ne rostratæ irruerẽt naues hostiles, erat altrinsecus colligata. hanc post uarios militum labores & ducũ, fatigatorum acerrimis prælijs,* Aliso *quidã tribunus absci*

dit, exercitijs bellorum prudens, hoc modo: Coniunctis tribus nauigijs, testudinem hac specie superstruxit. densatis cohærentes supra capita scutis, primi transtris instabāt armati, alij post hos semet curuantes humilius, tertijs gradatim inclinatis summisse, ita ut nouissimi suffraginib. insidentes, formam ædificij fornicati monstrarent. quod machinæ genus cōtra murales pugnas ideo figuratur hac specie, ut missilium ictus atque saxorum per decursus cadētes labiles instar imbrium euanescant. itáque coniectu telorum Aliso paulisper defensus, ingēti corporis robore, supposito stipite eandem catenam fortius bipenni confindēs ita confregit, ut disiecta patefaceret aditum latum: hócque exitu ciuitas hostili impetu patuit improtecta. qua causa extincto postea proteruiæ totius autore, cum in factionis participes sæuiretur, hic idem tribunus contemplatione fauoris clari uitam cum militia retinens, diu post in Isauria oppetijt uastatoria manu confossus. Hoc Marte Cyzico reserata Procopius ad eā propere festinauit: ueniáque uniuersis qui repugnauere donatis, Serenianum solum mictis uinculis iussit duci Niceam seruandum artissime. Statimque Hormisdæ maturo iuueni Hormisdæ regalis illius filio potestatem proconsulis detulit, & ciuilia more ueterum & bella recturo, qui agens pro moribus lenius, à militibus quos per deuia Phrygiæ miserat Valēs subito corripiendus incursu, tanto uigore euasit, ut ascensa naui nusquam ad casus pateret ancipites, sequentémque ac penè captam uxorem sagittarum nube diffusa defensam auerteret secum, matronam opulentam & nobilē, cuius uerecundia & destinatio gloriosa abruptis postea discriminibus, maritū exemit. Ea victoria ultra hominis Procopi sese efferēs, & ignorans quòd quiuis beatus uersa rota for

tunæ ante uesperũ potest esse miserrimus, Arbitionis *domum, cui antea tanquam eadem sibi sentiẽtis parcebat ut propriæ, iussit exinaniri ob illos casus inæstimabiles plenam: ideo indignatus, quòd uenire ad eum accitus aliquoties distulit, causatus incommoda senectutis & morbi. Et licet hac ex causa præsumptor momentum pertimescæret graue, tamen cum obsistente nullo se in* Orientales *prouincias effundere libẽti cunctorum assensione iam licentius posset, auidas nouitatem quandam usere, tædio asperioris imperij, quo tunc tenebantur, erga alliciendas quasdã ciuitates* Asiæ, *legendósque eruendi peritos auri, ut sibi profuturos prælijs quæ magna expectabat & crebra, segnius commoratus in modum acuti mucronis obtusus est: ut quõdam* Pescennius Niger *ad subueniendum spei rerũ extremæ à populo* Romano *sæpe accitus, dum diu contatur in* Syrias *irruere, superatus in sinu* Issico (*qui est in* Cilicia *ubi* Dariũ Alexander *fudit*) *fugatúsque in suburbano quodam* Antiochiæ *gregarij manu militis interijt.* Hæc *adulta hyeme* Valentiniano *&* Valente Coss. *agebantur.* Trãslato *uero in* Gratianum *adhuc priuatum &* Dagalaiphum *amplissimo magistratu, aperto iam uere suscitatis uiribus,* Valens *iuncto sibi* Lupicino *cum robustis auxilijs* Pessimunta *signa propere tulit,* Phrygiæ *quondam, nunc* Galatiæ *oppidum. quo præsidijs ocyus communito, nequid inopinum per eos emergeret tractus, præter radices* Olympi *montis excelsi tramutésque fragosos ire tendebat ad* Lyciam, *oscitantem* Gomoarium *adgressurus. cui pertinaci conspiratione multorũ hac maxima consideratione resistebatur, quòd hostis eius, ut antè relatum est,* Constantij *filiam parulã cum matre* Faustina *& in agminibus & cum propinquæ acies starent, lectica circumferens secum, ut pro imperiali*

germine, cui se quoque iunctum addebat, pugnarent audẽtius, iras militum accendebat: Sicut aliquando dimicaturi Macedones cum Illyrijs, regem adhuc infantem in cunis locauere post aciem, cuius metu ne traheretur captiuus, aduersos fortius oppresserunt. Contra has calliditatis argutias sagaci opitulatione nutanti negotio consulunt imperator: & Arbitionem ex consule agentem iandudum in otio ad se uenire hortatus est, ut Constantiani ducis uerecundia truces animi lenirentur. neque secus euenit. nam cum omnibus prouectior natu & dignitate sublimior canicie reuerendam ostenderet, multis ad perfidiã inclinatis, publicum grassatorem Procopium, milites uero sequutos eius errorem, filios & laborum participes prisinorum appellans orabat, ut se ac si parentem magis sequerentur felicissimis ductibus cognitum, quàm profligato morem gererẽt nebuloni desistuendo iam & casuro. Quibus cognitis Gomoarius cum elusis hostibus unde uenerat, redire posset innoxius, ad castra imperatoris opportunitate interualli proximi captiui colore transiuit, uelut accursu multitudinis uisæ subito circunseptus. Qua successus alacritate, Valens castra promouit ad Phrygiã: & prope Nacoliam collatis manibus, partiũ dux in Ancipiti Aglorem excursu prodidit repẽtino: eúmque secuti cõplures iam pila quatientes & gladios, ad imperatorẽ transeunt cũ uexillis sauta peruersa gestantes, quod defectionis signum est apertissimũ. Hoc præter spem omniũ uiso, Procopius salutis intercluso suffragio, uersus in pedes circuniectorũ nemorũ secreta & montiũ petebat, Florẽtio sequẽte, & Barchalba tribuno, quẽ per sæuissima bella iam inde à Constantij tẽporibus notum, necessitas in crimen traxerat non uolũtas. Maiore itaque noctis parte consumpta, cum à uespertino

ortu luna prælucens in diem metum augeret, undique facultate euadendi exempta, consiliorum mops Procopius, ut in arduis necessitatibus solet, cum fortuna expostulabat luctuosa & graui: mersusq; multiformibus curis subito à comitib⁹ suis arctius uinctus, relato iã die ductus ad castra, Imperatori offertur reticens atq; defixus: statimq; abscisa ceruice discordiarũ ciuiliũ glisscentes turbines sepeliuit, ad ueteris Perpennæ exemplũ: qui post Sertorium inter epulas obtruncatum dominatione paulisper potitus, è frutetis sub quibus latebat extractus, oblatusque Põpeio, eius iussu est interfectus. pariq; indignationis impetu Florẽtius & Barchalba, qui eũ duxerunt, confestim non pensata ratione sunt interfecti. nam si principem legitimum prodidissent, uel ipsa Iustitia iure cæsos pronuntiaret: si rebellẽ, & oppugnatorẽ internæ quietis, ut ferebatur, amplas eis memorabilis facti oportuerat deferri mercedes. Excessit autẽ uita Procopius anno quadragesimo amplius mensibus X. corpore non indecoro, nec mediocris staturæ, subcruus, humúmque intuendo semper incedens, pérque morum trisnũ latebras illius similis Crassi, quem in uita semel risisse Lucillius affirmat & Tullius: & quod est mirandũ: quoad uixerat incruentus. Iisdem forte diebus protector Marcellus eiusdem cognatus agens apud Nicæam præsidiũ, proditione militum & interitu Procopij cogniti, Sereniani intra palatiũ clausum medio noctis horrore incautum adortus occidit. Cuius mors saluti plurimis fuit: nam si victoriæ superfuisset incultis moribus homo, & nocendi acerbitate conflagrans, Valentique ob similitudinem morum & genitalis patriæ uicinitatem acceptus: occultas uoluntates principis introspiciens ad crudelitatẽ propẽsioris, multas innocentium edidisset strages. Quo interfecto idẽ Mar

cellus occupata celeri cursu Chalcedone, concrepãtibus paucis quos uilitas & desperatio trudebat in scelus, umbram principatus funesti capessit gemina ratione fallente: quòd & Gotthorum tria milia regibus iam lenitis ad auxilium erant missa Procopio Constantianam prætendenti necessitudinem, quæ ad societatem suam parua mercede traduci posse existimabat: quódque gesta in Illyrico etiam tum latebant. Inter quæ tam trepida speculationibus fidis Equitius, doctus conuersam molem belli totius in Asiam, digressus per Sucros Philippopolim clausam præsidijs hostiũ, Eumolpiadam uetterem reserare magna ui conabatur, urbem admodum opportunam, & impedituram eius adpetitus: si porrò relicta adiumenta Valenti laturus (nondum enim apud Nacoliam gesta compererat) festinare ad AEmimontum cogeretur. Verũ paulo postea cognita leui præsumptione Marcelli, milites missi sunt audaces & prompti, qui eum raptum, ut deditum noxæ mancipium, in custodiam compegerunt. Vnde postridie productus, lateribus sulcatis acerrime, pariáque perpessis consortib. interijt hoc fauorabilis solum, quòd abstulit Serenianum è medio, crudelem ut Phalarim, illi & illi fidum ad doctrinarũ diritatem, quam causis inanibus prætexebat. Extirpatis occasu ducis funeribus belli, sæuitum est in multos acrius quàm errata flagitauerant uel delicta: maximéque in Philippopoleos defensores, qui urbem séque ipsos non nisi capite uso Procopij, quod ad Gallias portabatur, ægerrime dediderunt. Ad gratiã tamen precantium coerciti sunt alii qui lenius, inter quos eminebat Araxius, in ipso rerũ exustarum ardore adeptus ambitu præfecturam, & Agilone intercedente genero supplicio insulari mulctatus, breue post tempus euasit. Euphrasius uero itémq; Phronemius

missi ad Occiduas partes arbitrio obiecti sunt Valẽtinia*ni:& absoluto* Euphrasio Phronemius Cheronesum de*portatur,inclementius in eodẽ punitus negotio ea re,quòd diuo* Iuliano *fuit acceptus: cuius memorandis uirtutibus ambo fratres principes obtrectabant,nec similes eius,nec suppares.* His *accedebant alia grauiora, & multo magis quàm in prælijs formidanda.* Carnifex *enim & unci & cruentæ quæstiones sine discrimine ullo ætatũ & dignitatum per fortunas omnes & ordines grassabãtur, & pacis obtentu uitium detestandum agitabatur,infaustam uictoriã execrantibus uniuersis, interneciuo bello quouis grauiorẽ. nã inter arma & lituos cõditionis æquatio lenora facit pericula:& Martiæ uirtutis potestas aut id quod ausum occupat,aut inopinata mors si acciderit,nullũ ignominiæ continet sensum:finémque secũ uiuendi simul & dolẽdi perducit.ubi uero consilijs impijs iura quidẽ prætendũtur & leges, & Catonianæ uel Cassianæ sententiæ fuco perliti residẽt iudices,agitur autẽ quod agitur ad uoluntatẽ prætumidæ potestatis, & ex eius libidine uitæ incidentiũ necísque momẽta pensantur:ibi capitalis uertitur pernicies & abrupta.nã ut quisque ea tempestate ob quamlibet ualuerat causam, regiæ prope accedẽs & aliena rapiẽdi auiditate exustus,licet apertè insontem arcessens,ut familiaris suscipiebatur & fidus,ditãdus casibus alienis.Imperator enim prõptior ad nocendũ,criminãtibus patẽs,& funereas delationes adscisens, per suppliciorũ diuersitates effrenatus exultauit,sententiæ illius* Tullianæ *ignarus,docẽtis infelices esse eos,qui omnia sibi licere existimarũt.Hæc implacabilitas causæ quidẽ pijssimæ, sed uictoriã fœdantis,innocentes tortoribus exposuit multos,uel sub eculeo caput incuruos aut ictu carnificis torui substrauit: quibus*

si pateretur natura, uel denas animas profundere præstabat in pugna, quàm lateribus fodicatis omni culpa immunes fortunis gementibus uniuersis, quasi læsæ maiestatis luere pœnas, dilaniatis antè corporibus, quod omni est tristius mortæ. Exin cum superata luctibus ferocia deflagrasset, proscriptiones & exilia, & quæ leuiora quibusdam uidentur, quãquam sint aspera, uiri pertulere summates: & ut ditaretur alius, genere nobilis & fortæ meritis locupletior, actus patrimonio præceps trusiúsque in exiliũ consumebatur angore, aut stipe precaria uictitabat: nec modus ullus extialibus malis impositus, quandiu principem & proximos opum satietas cepit & cædis. Hoc nouatore adhuc superstite, cuius actus multipliçes docuimus & interitum, diem duodecimum Calen. Augustas Cos. Valentinia no primum cum fratre, horrendi tremores per omnem orbis ambitum grassati sunt subito, quales nec fabulæ, nec uetidicæ nobis antiquitates exponunt. Paulo enim post lucis exortum densitatæ præuia fulgurum acrius uibratorum tremefacta concutitur omnis terreni stabilitas põderis, maréque dispulsum retro fluctibus euolutis absæssit, ut retecta uoragine profundorum species natantium multiformes limo ærnerentur hærentes, uallíúmque uastitates & montium tunc, ut opinari dabatur, suspicerent radios solis, quos primigenia rerum sub immensis gurgitibus amandauit. Multis igitur nauibus uelut arida humo connexis, & licenter per exiguas undarũ reliquias palãtibus plurimis, ut pisces manibus colligerent & similia, marini fluctus uelut grauati repulsam uersa uice cõsurgunt: pérq; uada fere uetia insulis & continẽtis terræ porrectis spatijs uiolenter illisi, innumera quædã in ciuitatibus, & ubi reperta sunt, ædificia complanarũt. Proinde ut elementorũ furẽte discor

dia inuoluta facies mundi, miraculorum species ostẽdebat. Relapsa enim æquorum magnitudo cum minime sperarentur, millia multa necauit hominum & submersit: recurrentiumque æstuũ incitata uertigine, quædam naues postquã humentis substantiæ cõsenuit tumor, pessundatæ uisæ sunt, exanimataque naufragijs corpora supina iacebãt aut prona. Ingentes aliæ naues extrusæ rapidis flatibus, culminibus insidêre tectorum, ut Alexandriæ contigit: & ad secundum lapidem ferè procul à littore contortæ sunt aliquæ, ut Laconicam propè Methonen oppidum nos transeundo conspeximus diuturna carie fatiscentem.

AMMIANI MARCELLINI RERVM GESTARVM LIB. XXVII.

D

VM *per Eoum orbem hæc quæ narrauimus, diuersi rerũ expediunt casus, Alemanni post ærumnosas iacturas & uulnera, quæ congressi sæpe Iuliano Cæsari pertulerant, uiribus tandẽ resumptis, licet imparibus pristinis, ob causam expositam suprà, Galli canos limites formidati iam persultabant. Statimque post Cal. Ianuarij cum per glaciales tractus hyemis rigidũ inhorresceret sydus, cuneatim egressa multitudo licentius uagabatur. Horũ portioni primæ Carietto, tunc per utrãque Germaniã Comes occursurus, cũ milite egreditur ad bella ineunda prõptissimo, adscito in societatẽ laboris Seueriano itidẽ Comite mualido & lõgæuo, qui apud Calidona Diuitensibus præsidebat & Tungricanis. proinde confertius agmine in unũ coacto, pontéq; breuioris aquæ firma celeritate trãsmisso, uisos eminus barbaros Romani sagittis aliis-*

que leuibus iaculis incessebãt, quæ illi reciprocis iactibus ualide contorquebãt. Vbi uero turmæ congressæ strictis conflixere mucronibus, nostrorum acies impetu acriore concussa, nec resistendi nec faciendi fortiter copiã reperit, cunctis metu compulsis in fugam, cum Seuerianũ uidissent equo deturbatum, missilique telo per os fixum. Ipse deniq; Carietto, dum cædentes obiectu corporis, & uocis iurgatorio sono audentius premit, pudendúmq; diluere dedecus fiducia diu standi conatur, oppetijt telo letali cõfixus. Post cuius interitum, Erulorum Batauorúmque uexillũ direptum, quod insultando tripudiantes barbari crebro sublatum altius ostendebant, post certamina receptum est magna. Qua clade cum ultimo mœrore comperta, correcturus huiusmodi gesta Dagalaiphus à Parisijs mittitur. Eóque diu cũctante, causantéq; diffusos per uaria barbaros semet adoriri nõ posse, accitóque paulo pòst ut cũ Gratiano etiã tum priuato susciperet insignia consulatus, Iouinus equitũ magister accingitur: & instructus paratúsque, cautissime obseruãs utrũque sui agminis latus, uenit prope locum Scarpona: ubi inopinus maiorem barbarorũ plebem antequã armaretur temporis breui puncto præuentã ad internicionẽ extinxit. Exultantes innoxij prælij gloria milites ad alterius globi perniciẽ ducens, sensimque incedens rector eximius, speculatione didicit fida, direptis propius uillis uastatoriã manum quiescere prope flumen: idãq; aduentãs, abditúsque in uallé densitate arbustorum obscura, uidebat lauantes alios, quosdã comas ruiulantes ex more, potantésque nõnullos. Et nactus horã impendio tempestiuam, signo repente per lituos dato, latrocinalia castra perrupit: contráque Germani nihil præter inefficaces minas iactanter sonãtes & fremitũ, nec expedire arma dispersa, nec cõponere aciẽ, nec re

surgere in uires permittebantur urgente uictore. Quocirca forati pilis & gladijs cecidere complures, absque his quos uersos in pedes texere flexuosi tramites & angusti. Hoc prospero rerum effectu quem uirtus peregerat & fortuna, aucta fiducia Iouinus militem ducens, diligenti speculatione præmissa in tertium cuneum qui restabat, propere castra commouit. & maturato itinere omnem prope Catelaunos inuenit ad congrediendũ promptissimum: & uallo opportune metato, suisque pro temporis copia cibo recreatis & somno, primo auroræ exortu in aperta planitie compositis aciem dilatatam arte solerti, ut spatijs amplioribus occupatis æquiperare Romani hostium multitudinem apparerent, inferiores numero, licet uiribus pares. Signo igitur per buccinas dato, cum pede collato res agi cœpisset, insueta uexillorum facie territi stetere Germani. Quibus hebetatis parũper reparatisque confestim, adusque diei extremum cõcertatione protenta, ualidius imminens miles fructum rei bene gestæ sine dispẽdio quæsisset, ni Balcobaudes armaturarũ tribunus magniloquentia socordi cœlitus, propinquãte iam uespera cessisset incondite. Quẽ si secutæ residuæ cohortes abijssent, ad tristes exitus eousque negotiũ uenerat, ut nec acta nuntiaturus quisquam posset superesse nostrorũ. sed resistens animorum acri robore miles ita lacertis eminuit, ut hostium quatuor milibus saucijs, sex altera interficeret milia: ipse uero non amplius ducentis amitteret, ducentis tantũmodo uulneratis. Noctis itaq; aduentu prælio iam dirempto, refectisque uiribus fessis, prope confinia lucis ductor egregius, in agminis quadrati figurã producto exercitu, cũ comperisset occultantibus tenebris barbaros lapsos, securus insidiarũ, per aperta camporum sequebatur & mollia, calcando semineces constratos, quos uulneribus

frigorum asperitatæ contractis dolorum absumpserat magnitudo. Exm progressus ulterius, reuertens ubi nullũ repererat, didicit regem hostilium agminum cum paucis captum ab hastarijs, quos ipse per iter aliud miserat ad diripienda tentoria Alemannica, suffixum patibulo. Ideóque iratus in tribunum animaduertere statuit, ausum hoc inconsulta potestate superiore fecisse: eúmque damnasset, ni militari impetu commissum facinus atrox documentis euidentibus constitisset. Et post hæc redeũti Parisios post claritudinem recte gestorum Imperator lætus occurrit: eúmq; postea consulem designauit, illo uideliсet ad gaudij cumulum accedente, quòd ijsdem diebus Procopij susceperat caput à Valente transmissum. Præter hæc, alia multa narratu minus digna conserta sunt prælia, per tractus uarios Galliarum: quæ superfluum est explicare, quoniam neque operæpretium aliquod eorum habuere prouentus, nec historiam producere per minutias ignobiles decet. hoc tempore uel paulo ante noua portenti species per annonariã apparuit Thusciam: ídque quorsum euaderet prodigialium rerum periti penitus ignorarunt. In oppido enim Pistoriensi prope horam diei tertiam spectantibus multis asinus tribunali ascenso audiebatur destinatius rugens: & stupefactis omnibus qui aderant quique didicerant referẽtibus alijs nullóque coniectante uentura, postea quod portendebatur, euenit. Terentius enim humili genere in urbe natus & pistor, ad uicem præmij, quia peculatus reũ detulerat, officium ex præfecto, hanc eandem prouinciam Correctoris administrauerat potestate: eáque confidentia deinceps inquietius agitans, multa in nauicularioru negotio falso admisisse cõuictus, ut ferebatur, periit carnificis manu, regente Claudio Romã. multo tamen antequã hoc con-

tingeret, Symmachus Aproniano successit, inter præcipua nominandus exempla doctrinarum atque modestiæ. quo instante Vrbs sacratissima otio copij̃sque abundantius solito fruebatur: & ambitioso ponte exultat atque firmissimo, quẽ condidit ipse & magna ciuium lætitia dedicauit, ingratorũ ut res docuit apertissima: qui consumptis aliquot annis domum eius in trãsiyberino tractu pulcherrimam incenderunt, ea re perciti, quòd ulis quidam plebeius finxerat illum dixisse sine indice ullo uel teste, libentius se uino proprio calcarias extincturũ, quàm id uenditurũ pretijs quibus sperabatur. Aduenit post hũc urbis moderator Lampadius ex præfecto prætorio, indignanter admodum sustinens, si etiam cum spueret non laudaretur, ut id quoque prudenter præter alios faciens, sed nonnunquam seuerus & frugi. Hic cum magnificos prætor ederet ludos, & uberrime largiretur, plebis nequiens tolerare tumultũ, indignis multa donari sæpe urgentis, ut liberalem se & multitudinis ostenderet contemptorem, accitos à Vaticano quosdam egentes opibus ditauerat magnis. Vanitatis autẽ eius exemplum, ne latius euagemur, hoc unum sufficiet poni: leue quidem sed cauendum iudicibus. Per omnia enim ciuitatis membra, quæ diuersorum principũ exornarunt impensæ, nomen proprium inscribebat: non ut ueterũ instaurator, sed conditor. Quo uitio laborasse Traianus dicitur primœps: unde eum Herbã parietinam iocãdo cognominarunt. Hic præfectus exagitatus est motibus crebris: uno omniũ maximo, cum collecta plebs infima, domum eius prope Cõstantinianum lauacrum iniectis facibus incenderat & malleolis: ni seruitiorum & familiarium ueloci concursu à summis tectorum culminibus petita saxis & tegulis abscessisset. Eáque ui territus ipse, fremitúque crebrescẽtis

seditionis in maius, secessit ad Milusū pontem: quem struxisse superior dicitur Scaurus, adlenimenta ibidem tumultus operiens, quem causa concitauerat grauis. ædificia erigere exoriens noua, uel uetusta quædā instaurans, non ex titulis solitis parari iubebat impensas: sed si ferrū quæreba tur aut plumbum aut æs, aut quicquam simile, apparitores immittebantur: qui uelut ementes diuersas raperent species, nulla pretia persoluendo: unde accensorū iracundiā pauperum deflentium crebra damna ægre potuit celeri uitare digressu. Aduenit successor eius ex quæsitore palatij Vmcētius, mæger & prudens, Pānonius: cuius administratio quieta fuit & placida, copia rerū omniū fluens. Et hūc quoque discordātes populi seditiones terruere cruentæ: quæ tale negotiū excitauere. Damasus & Vrsicinus supra humanum modū ad rapiendā episcopalem sedē ardentes, scissis studijs asperrime cōflictabātur, adusque mortis uulnerūmque discrimina adiumentis utriusque progressis: quæ nec corrigere sufficiens Viuētius nec mollire, ui magna coactus secessit in suburbanum: & in cōcertatione superauerat Damasus, parte quæ ei fauebat, instante. Cōstātque in basilica Sicinini, ubi ritus Christiani est conuenticulum, uno die centum triginta septem reperta cadauera peremptorū: efferatāmque diu plebem ægre postea delinitā. Neque ego abnuo, ostentationem rerum considerans urbanarum, huius rei cupidos ob impetrādum quod appetunt, omni contentione lacerum iurgari debere: cum id adepti, futuri sint ita securi, ut ditentur oblationibus matronarū: procēdántque uehiculis insidentes circūspecte uestiti, epulas curātes profusas, adeo ut eorum conuiuia regales superent mensas: qui esse poterant beati reuera, si magnitudine urbis despecta, quam uitijs opponunt, ad imitationem Antistitum quorun-

dam prouincialiũ uiuerent: quos tenuitas edendi potandíque parcissime, ultitas etiam indumentorum & supercilia humum spectantia perpetuo numini uerísq; eius cultoribus ut puros commendant & uerecundos. Hactenus *deuiasse sufficiet, nunc ad rerum ordines reuertamur.* Dum *agunturantedicta per* Gallias *&* Italiã, *noui per* Thracias *excitisunt procinctus.* Valens *enim, ut consulto placuerat fratri cuius regebatur arbitrio, arma concussit in* Gothos, *ratione iusta permotus, qui auxilia misere* Procopio *ciuilia bella cœptanti.* Ergo *conuenit pauca super horũ origine & situ trãscurrere per breuem excæssum.* Erat Thracarũ *descriptio facilis, si ueteres concinerẽt stili: quorũ obscura uarietas, quoniã opus ueritatem professum non iuuat, sufficiet ea quæ uidisse meminimus expedire.* Has *terras immensa quondã camporum placiditate aggerúmque altitudine fuisse porrectas* Homeri *perẽnis auctoritas docet,* Aquilonem *&* Zephyrũ *eximde flare fingentis.* Quod *aut fabulosum est, aut tractus antehac diffusi latissime destinatique nationibus feris cuncti* Thraciarum *uocabulo cœnsebantur. & partem earũ habitauere* Scordisci, *longe nunc ab ijsdem prouincijs disparati: sæui quondam & truces, ut antiquitas docet, hostys captiuorum* Bellonæ *litantes &* Marti: *humanúmque sanguinem in ossibus capitum humanis bibentes audius.* Quorum *asperitate post multiplices pugnarum ærumnas sæpe res* Romana *uexata, postremo omnem amisit exercitum cum rectore.* Sed *ut nunc cernimus, eadem loca formata in cornuti syderis modum, effingunt theatri faciem speciosam.* Cuius *in summitate* Occidentali *montibus præruptis densatæ* Sucorum *patescunt angustiæ,* Thracias *dirimentes &* Daciam. Partem *uero sinistram* Arctois *obnoxiam stellis,* Hemimontanæ *cælsitudi-*

nes claudũt, & Hister quà Romanum cæspitem lambit urbibus multis & castris contiguus & castellis. per dextrum, quod Australe est latus, scopuli tenduntur Rhodopes: unde Eoum iubar exurgit, finitur in fretum: cui undosius ab Euxino ponto labenti pergentíque fluctibus reciprocis ad AEgæum, discidium pãditur terrarum angustum. ex angulo tamen Orietali Macædonicis iungitur collimitijs per arctas præcipitésque uias, quæ cognominantur Acontisma: cui proxima Arethusa conuallis & statio, in qua uisitur Euripidis sepulchrum tragœdiarum sublimitatę conspicui: & Stagira, ubi Aristotelem, ut Tullius ait, fundentem aureum flumen, natum accepimus. Hæc quoque priscis temporibus loca barbari tenuere: morum sermonúmque uarietate dissimiles. è quibus præter alios ut immaniter efferati memorantur Odrysæ, ita humanum fundere sanguinem assueti, ut cum hostium copia non daretur, ipsi inter epulas post cibi satietatẽ & potus, suis uelut alienis corporibus imprimerent ferrum. Verum aucta Rep. dum consulare uigeret imperium, has gentes antehac semper indomitas uagantésque sine cultu uel legibus, Marcus Didius ingenti destinatione pressit, Drusus intra fines cõtinuit proprios, Munitius prope amnem Hebrum, à cælsis Odrysarũ montibus fluentem superatos prælio strauit: post quos residui ab Appio Claudio proconsule sunt infesta conuertatione deleti. Oppida enim in Bosphoro sita & Proponti de, classes obtinuere Romanæ. Aduenit post hos Imperator Lucullus, qui cum audacissima gente Bessorum conflixit omniũ primus: eodémq; impetu Heminontanos acriter resistentes oppressit. Quo imminente, Thraciæ omnes in ditionem uetterum transiuere nostrorum. hócque modo post procinctus ancipites Reip. sex prouinciæ sunt quæsi-

tæ. Inter quas prima, quæ ex fronte Illyrijs est confinis, Thracia speciali nomine appellatur: quam Philippopolis Eumolpias uetus & Beroea amplæ ciuitates exornãt. Post hanc Hemimontus Hadrianopolim habet quæ diebatur Vscudama, & Anchialon, ciuitates magnas. dein Mysia, ubi Martianopolis est à sorore Traini principis ita cognominata & Dorostorus & Nicopolis & Odyssus. iuxtáque Scythia, in qua celebriora sunt oppida Dionysopolis & Tomi & Calatis in Europa omniũ ultima. præter municipia urbibus nitet duabus Apris & Perintho, quã Heracleã posteritas dixit. Rodopa huic annexa Maximianopolim habet & Maroneã & AEnum, post quã conditam & relictam AEneas Italiam auspiciorũ prosperitate perpetua post diuturnos occupauit errores. Constat autem ut uulgauere rumores assidui, omnes penè agrestes, qui per regiones prædictas montium circumcolunt altitudines, salubritate uiriũ & prærogatiua quadã uitæ lõgius propagandæ nos anteire: idque inde contingere arbitrãtur, quòd colluuione aborũ abstinẽt calidis, & perrenni uiriditate roris aspergunibus gelidis corpora cõstringente, auræ purioris dulcedine potiuntur, radiósque solis suapte natura uitales primi omniũ sentiũt, nullis adhuc maculis rerũ humanarum infectos. His ita digestis, pedẽ referamus ad cœpta. Procopio superato in Phrygia, internarúmq; dissensionum materia consopita: Victor magister equitũ ad Gothos est missus, cogniturus apertè quam ob causam gens amica Romanis, fœderibúsq; ingenuæ pacis obstricta, armorum dederat adminicula bellũ principibus legitimis inferenti. Qui ut factũ prima defensione purgarẽt, literas eiusdẽ obtulere Procopij: ut generis, Cõstantiniani propinquo imperium sibi debitũ sumpsisse cõmemorantis, uenia dignum

asserentes errorem. Quibus eodem referente Victore compertis: Valens paruipendẽs excusationẽ uanissimam, in eos signa cõmouit, motus aduẽtantis iam præscios: & pubescente uere, quæsito in unum exercitu, prope Daphnẽ nomine munimentum est castrametatus: pontéque contabulato supra nauium foros flumen transgressus est Histrũ resistentibus nullis. Iámq; sublatus fiducia, cũ ultro citróq; discurrens nullum mueniret quem superare posset uel terrere: (omnes enim formidine perciti militis cum apparatu ambitioso propinquantis, montes petiuere Serrorum arduos & inaccessos nisi perquam gnaris) ne æstate omni cõsumpta sine ullo remearet effectu, Arintheo magistro peditũ misso cum prædatorijs globis familiarũ rapuit partem, quæ antequam ad dirupta uenirent & flexuosa capi potuerunt, per plana cãporum errãtes. Hócque tantum, quod fors dederat, impetrato, redijt cum suis innoxius, nec illato graui uulnere nec accepto. Anno secuto ingredi terras hostiles pari alacritate conatus, fusius Danubij gurgitibus uagatis impeditus mansit immobilis, prope Carporũ uicum statiuis castris usq; autumnum locatis emensum. Vnde, quia nihil agi potuit dirimente magnitudine fluentorum, Martianopolim ad hyberna discessit. Simili pertinacia tertio quoque anno per Nouidunum nauibus ad transmittendum amnem connexis, perrupto barbaricœ, continuatis itineribus longius agentes Greutungos bellicosam gentem adgressus est: póstque leuiora certamina Athanaricum ea tempestate iudicem potentissimum, ausum resistere cũ manu quam sibi crediderit abundare, extremorum metu cœgit in fugã: ipséque cũ omnibus suis Martianopolim rediuit ad hyemem agendam, ut in illis tractibus habilem. Aderant post diuersos triennij casus finiẽdi belli materiæ

tempestuæ. Prima quod ex principis diuturna permansione, metus augebatur hostilis. Deinde quod commercijs uetitis ultima necessariorum inopia barbari stringebãtur: adeo ut legatos supplices sæpe mittentes, uenialem poscerent pacem. Quibus Imperator rudis quidem, uerũ spectator adhuc æquissimus rerum, antequam adulationum pernicio sis illecebris captus Remp. funeribus perpetuo deflẽdis affligeret, in commune cõsultans, pacem dare oportere decreuit: emisitque uicissim Victorẽ & Armtheum, qui tunc equestrem militiam agerent. qui cum propositis conditionibus assentiri Gothos docuissent literis ueris, præstituitur componendæ paci conueniens locus. Et quoniam asserebat Athanaricus sub timenda execratione iurisiurandi se esse obstrictum mandatisque prohibitum patris, ne solũ aliquando calcaret Romanorum, & adigi nõ poterat: in decorúmque erat & uile ad eum Imperatorem transire: recte noscentibus placuit, nauibus remigio directis in medium flumen, quæ uehebant cum armigeris principem gentisque iudicem, inde cum suis fœderari, ut statutum est, pacẽ. Hócque composito & acceptis obsidibus, Valens Constantinopolim rediit, ubi postea Athanaricus proximorum factione genitalibus terris expulsus fatali sortẽ decessit, & ambitiosis exequijs ritu sepultus est nostro. Inter hæc Valentiniano magnitudine quassato morborũ, agitantéque extrema, conuiuio occultiore Gallorum, qui aderant in commilitio principis, ad imperium rusticus Iulianus tunc Magister memoriæ poscebatur, quasi afflatu quodam furoris, bestiarum more humani sanguinis auidus, ut ostenderat cum proconsulari potestate regeret Africam. In præfectura enim urbana, quam adhuc administrans extinctus est, tempus anceps metuens tyrannidis, cuius arbitrio tan-

quam inter dignorum inopiam ad id aſcenderat culmen, lenis uideri cogebatur & mollior. Contra hos nitebantur aliqui ſtudijs altioribus in fauorem Seueri magiſtri tunc peditum, ut apti ad hoc impetrandum: qui licet aſper eſſet & formidatus, tolerabilior tamen fuit, & modis omnibus præferendus antedicto. Sed cum hæc cogitãtur in caſſum, Imperator remedijs multiplicibus recreatus, uixque ſe mortis periculo cõtemplans extractum, Gratianum filium ſuum adulto iam proximum inſignibus principatus ornare meditabatur: & paratis omnibus, militéque firmato ut animis id acciperet promptis, cũ Gratianus ueniſſet, progreſſus in campum, tribunal aſcendit: ſplendoréque nobilium circundatus poteſtatum, dextera puerum apprehenſum, productúmque in medium, oratione concionaria deſtinatum imperatorem exercitui commendabat: Auctum erga me ueſtri fauoris indicium, hunc loci principalis circumferens habitum, quo potior alijs iudicatus ſum multis & claris, conſiliorum ſocijs uotorúmque auſpicibus uobis, pietatis officijs adgrediar tempeſtiuis, proſpera deo ſpondente: cuius ſempiternis auxilijs ſtabit Romana res inconcuſſa. Accipite igitur quæſo placidis mentibus uiri fortiſſimi deſiderium noſtrum, id reputantes, quòd hæc quæ fieri caritatis ſanciunt iura, non tantum tranſire uoluimus per conſcientiam ueſtram: uerũ & probata firmari, ut congrua nobis & profutura. Gratianum hunc meum adultum, quem diu uerſatum inter liberos ueſtros commune diligitis pignus, undique muniendæ tranquillitatis publicæ cauſa, in Auguſtum ſumere commilitium paro, ſi propitia cæleſtis numinis ueſtréque maieſtatis uoluntas parentis amorem iuuerit præeuntem, non rigido cultu ab incunabulis ipſis ut nos educatum, nec tolerantia rerum coalitum

asperarum, nec capacē adhuc Martij pulueris, ut uidetis: sed familiæ suæ laudibus maiorúmque factis præstantibus concinētem, paucioribus inuidiæ metu ut dicitur protinus surrepturum. Vt enim mihi uideri solet, mores eius & appetitus licet nondum maturos sæpe pensanti ineuntē adolescentia, quoniam humanitate & studijs disciplinarū solertium expolitus librabit suffragijs puris merita rectē secúsue factorum: faciet ut sciant se boni mtelligi, in pulchra facinora procursabit signis militaribus & aquilis adhæsurus, solē niuēsque & pruinas & sitim perferet & uigilias, castris, si necessitas adegerit, aliquotiens propugnabit, salutem pro periculorū socijs obiectabit: & quod pietatis summum primúmq; est, Remp. ut domum paternam diligere poterit & auitam. Nondū finita oratione, dictis cum assensu læto auditis, pro suo quisque loco animo læto milites alius aliū anteire festinans, tanquam utilitatis & gaudiorū participes Gratianum declararunt Augustum, classicorū amplissimo sono blandū fragorem miscentes armorū. Quo uiso maiore fiducia Valētinianus exultās, corona indumētisque supremæ fortunæ ornatum filium osculatus, iámque fulgore conspicuum, alloquitur aduertentem quæ dicebat: En mquit habes mi Gratiane amictus, ut speraui-mus omnes, Augustos, meo commilitonúmque nostrorū arbitrio delatos omnibus faustis. Accingere igitur pro rerū urgentium pōdere, ut patris & patrui collega: & assuesce impauidus penetrare cum agminibus peditum gelu perniuos Histrum & Rhenum: armatis tuis proximus stare: sanguinem spiritúmque consyderatē pro his impēdere, quos regis: nihil alienum putare quod ad Romani imperij pertinet latus. Hæc pro tēpore præcepisse sufficiat, cætera monere non desinam. nūc reliqui uos estis rerū maximi defen-

ſores: quos rogo & obteſtor, ut adreſcentem Imperatorem fidei ueſtræ cõmiſſum ſeruetis affectione fundata. His dictis ſolẽnitate omni firmatis, Eupraxius Cæſariẽſis Maurus Magiſter ea tempeſtate memoriæ, primus omnium exclamauit, Familia Gratiani hoc meretur: ſtatimq; promotus quæſtor multa & prudentibus æmulanda bonæ fiduciæ reliquit exempla, nuſquam à ſtatu naturæ diſcedens intrepidæ, ſed conſtans ſemper legúmque ſimilis, quas omnibus una eadémque uoce loqui in multiplicibus aduertimus cauſis: qui tunc magis in ſuſcepta parte iuſtitiæ permanebat, cum eum recta monentem exagitaret minax imperator & nimius. Cõſurrectum eſt poſt hæc in laudes maioris principis & nouelli, maximéque pueri: quem oculorum flagrantior lux commendabat, multiſque & reliqui corporis iucundiſſimus nitor & egregia pectoris indoles: quæ Imperatorem impleſſet cum ueterum lectiſſimis comparandum, ſi per fata proximóſque licuiſſet, & qui uirtutem eius etiam tum inſtabilẽ adnubilabant actibus prauis. In hoc tamen negotio Valentinianus morem inſtitutum antiquitus ſupergreſſus, non Cæſares ſed Auguſtos germanum nũcupauit & filium, beniuole fatis. Nec enim quiſquam antehac adſciuit ſibi pari potẽſtate collegam, præter principẽm Marcum, qui Verum adoptiuum fratrem abſque diminutione aliqua maieſtatis imperatoriæ ſocium fecit. His ex ſententia Rectorum & militum ordinatis, uix dies intercéſſere pauci, cum Mamertinum præfectum prætorio ab urbe regreſſum, quò quædam perrexerat correcturus, Auitianus ex uicario peculatus detulerat reum. Cui ideo Vulcatius ſuccéſſit Rufinus omni ex parte perfectus, & uelut apicẽ ſenectutis honoratæ prætẽdens, ſed lucrandi opportunas occaſiones occultationis ſpe nun-

quam prætermittens. Qui nactus copiam principis, Orſitum ex præfecto urbis ſolutum exilio, patrimonij redintegrata iactura remitti fecit in lares. Et quanquam Valentinianus homo propalam ferus, inter imperitandi exordia ut aſperitatis opinionem molliret, impetus truces retinere nonnunquam in poteſtate animi niteebatur: ſerpens tamen uitium & dilatum aliquandiu licentius erupit ad perniciem plurimorum, quod auxit ira acerbius efferueſcens. Hanc enim eſſe ulcus animi diuturnum, interdúmque perpetuum prudentes definiunt, naſci ex mentis mollitie conſuetum, id aſſerentes argumento probabili, quòd iracundiores ſunt in columibus lãguidi, & fœminæ maribus, & iuuenibus ſenes, & ſelicibus ærumnoſi. Eminuit tamen per id tempus inter alias humilium neces mors Dioclis ex Comite largitionum Illyrici, quem ob delicta leuia flammis iuſſit exuri: & Diodori ex agente in rebus, triúmque apparitorum poteſtatis uicariæ per Italiam, ob id uexatorũ atrocitèr, quòd apud eũ queſtus eſt Comes: Diodorum quidem aduerſus ſe auilitèr implorasse iuris auxiliũ, officiales uero iuſſu iudicis auſos monere proficiſcentem ut reſpõderet ex lege. Quorum memoriam apud Mediolanum colẽtes nunc uſque Chriſtiani, locum ubi ſepulti ſunt, Ad innocentes appellant. Deinde cum in negotio Maxentij cuiuſdam Pannonij ab executione à iudice recte maturari præcepta, trium oppidorum ordines mactari iuſſiſſet: interpellauit Eupraxius tunc quæſtor, & Parcius, inquit, agito piiſſime principũ: hos enim quos interfici tanquam noxios iubes, ut Martyras id eſt diuinitati acceptos, colit religio Chriſtiana. Cuius ſalutarem fiduciam præfectus imitatus Florentius, cum in re quadam uenia digna audiſſet eum percitum ira iuſſiſſe ternos per ordines ur-

biũ interfici plurimarũ, Et quod agetur, ait, si oppidũ aliquod Curiales non haberet tantos ẽ inter reliqua id quoq; suspendi debet, ut cũ habuerint occidantur. Ad hanc inclementiam illud quoq; accedebat, dictu dirum & factu: Quòd siquis eum adisset iudiciũ potẽtis inimici declinãs, aliúmque sibi postulans dari: hoc non impetrato, ad eundem quem metuebat, licet multa prætenderet iusta, remittebatur. Itémque aliud audiebatur horrendum: quòd ubi de bitorum aliquem egestatæ nihil reddere posse dicebatur, interfici debere pronuntiabat. Hæc autem & simulia licenter ideo altiore fastu quidam principes agunt, quòd amicis emendandi secus cogitata uel gesta copiam negant: inimicos loqui terrent amplitudine potestatis. Nulla uacat mistio prauitatum apud eos, qui quod uel maximas putant esse uirtutes. Profectus itaque ab Ambianis, Treuerósque festinans, nuntio percellitur graui: qui Britannias in diabat barbarica conspiratione ad ultimam uexatas inopiam: Nectaridúmque Comitem maritimi tractus occisum, & Bulchobauden ducem hostilibus insidijs circunuẽtum. Quibus magno cum horrore compertis, Seuerum etiã tum domesticorum Comitem misit, si sors casum dedisset optatum, correcturum secius gesta: quo paulo postea reuocato, Iouinus eadem loci profectus, prouentus idem celeri gradu præmisit, adminicula petiturus exercitus ualidi. Id enim instantes necessitates flagitare firmabant. Postremo ob multa & metuenda, quæ super eadem insula rumores assidui perferebãt, electus Theodosius illuc properare disponitur, officijs Martijs felicissime cognitus: ascitáque animosa legionũ & cohortiũ pube, tendebat præeuntẽ fiducia speciosa. Et quoniam cum Constantis principis actus componerẽ, motus adolescentis & senescentis oceani tractúm-

que Britanniæ pro captu uirium explanaui, ad ea quæ di gesta sunt semel, reuolui superflum dixi: ut Vlysses Homericus apud Phæacas ob difficultatem nimiam replicare formidat. Illud tamen sufficiet dici, quod eo tempore Picti in duas gentes diuisi Dicalidonas & Vecturiones, itidémque Attacotti bellicosa hominum natio & Scotti, per diuersas uagantes multa populabantur. Gallicanos tractus Franci & Saxones iisdem confines, quò quisque erumpere potuit terra uel mari, prædis acerbis incendijsque & captiuorum funeribus hominũ uiolabant. Ad hæc prohibẽda si copiã dedisset fortuna prosperior, orbis extrema dux efficacissimus petens, cũ uenisset ad Bononiæ littus, quod à spatio controuerso terrarum angustijs reciproci distinguitur maris, attolli horrendis æstibus adsueti, rursúsque sine ulla nauigantium noxa in speciem complanari camporum, exinde transmeato lentius freto defertur Rutupias stationem exaduerso tranquillam. Vnde cum consecuti Bataui uenissent & Heruli, Iouijque & Victores fidentes uiribus numeri, egressus tẽdénsque ad Lũdonium uetus oppidum quod Augustam posteritas appellauit, diuisis plurifariam globis, adortus est uagantes hostium uastatorias manus, graues onere sarcinarum. & propere fusis qui uinctos homines agebant & pecora, prædam excussit, quã tributarij perdidere miserrimi. Denique restituta omni, præter partem exiguam impensam militibus fessis, mersam difficultatibus suis antehac ciuitatem, sed subito quoniam salus sperari potuit recreatam, in ouantis speciem lætissimus introijt. Vbi ad audenda maiora prospero successu elatus, tutáque scrutando consilia, futuri morabatur ambiguus, diffusam uariarum gentium plebem & ferocientem immaniter non nisi per dolos occultiores & im-

prouisos excursus superari posse, captiuorum confessionibus & transfugarum indicijs doctus. Denique editis pro positis impunitatéque promissa, desertores ad procinctum uocabat, & multos per diuersa libero commeatu dispersos. Quo monitu ut rediere plerique, mœntiuo percitus, retentúsque anxijs curis, Ciuilem nomine recturum Britannias pro præfectis ad se poposcerat mitti, uirum acrioris ingenij, sed iusti tenacem & recti: itidémque Dulcitium, ducem scientia rei militaris insignem. Hæc in Britannijs agebantur. Africam uero iam inde ab exordio Valentiniani imperij exurebat barbarica rabies, per procursus audentiores & crebris cædibus & rapinis intenta. Quam rem militaris augebat socordia, & aliena inuadendi cupiditas, maximéque Romani nomine Comitis. Qui uenturi prouidus, transferendéque in alios inuidiæ artifex, sæuitia morum multis erat exosus, hac præcipue causa, quòd superare hostes in uastandis prouincijs festinabat, affinitate Remigij Magistri officiorum confisus: quo praua & contraria referente, primœps ut præ se ferebat ipse cautissimus, lachrymosa dispendia diutius ignorauit Afrorum. Gestorum autem per eas regiones seriem plenam, & Ruricij præsidis legatorúmque mortem & cætera luctuosa, cum adegerit ratio, diligentius explicabo. Et quoniam adest liber locus dicendi, quæ sentimus aperte loquimur: Hunc imperatorem omnium primum in maius militares fastus ad damna rerum auxisse communium: dignitates opésque eorum sublimius erigentem: & quod erat publicæ priuatimque dolendum, indeflexa sæuitia punientem gregariorum errata, parcentem potioribus, qui tanquã peccatis indulta licentia, ad la-

bes delictorum immanium consurgebant, qui ex eo anhelantes, ex nutu suo indistanter putant omnium pendere fortunas. horum flatus & pondera inuentores iuris antiqui mollientes, etiam insontes quosdam aliquotiens suppliciis aboleri censuere letalibus. Quod sæpe contingit, cum ob multitudinis crimina, nonnulli sortis iniquitate plectuntur innoxij. id enim nonnunquam ad priuatorũ pertinuit causas. At in Isauria globatim per uicina digressi prædones, oppida uillásque uberes libera populatione uexantes, magnitudine iacturarum Pamphyliam afflictabant & Cilicas. Quos cum nullis arcentibus interniciue cuncta disperdere Asiæ uicarius ea tempestate Musonius aduertisset, Athenis Atticis antehac magister rhetoricus, deploratis nouissimis rebus luxúque adiumento militari marcente, adhibitis semiermibus paucis quos Diocmitas appellant, unum grassatorum cuneum, si patuisset facultas, adoriri conatus, per angustum quendam transiens deuexitatis anfractum, ad ineuitabiles uenit insidias: & ibi cum his confossus est quos ducebat. Tali successu latrones prætumidos, palantésque per uaria confidentius, interfectis aliquibus ad latebrosa montium saxa quæ incolunt, excitæ tandem copiæ contruserunt: ubi cum eis nec quiescendi nec inueniendi ad uictum utilia, copia laxaretur, præter inducias pacem sibi tribui poposcerunt, Germanicopolitanis auctoribus: quorũ apud eos ut signiferæ manus semper ualuere sententiæ: obsi dibúsque datis, ut imperatum est, immobiles diu mansere, nihil audentes hostile. Hæc inter Prætexatus præfecturam urbis sublimius curans, per integritatis multiplices actus et probitatis, quib⁹ ab adolescentiæ rudimentis inclaruit, adeptus est id quod raro contingit, ut cum timeretur, amorẽ non perderet ci-

uium, minis firmari solitum ergo iudices formidatos. cuius autoritate iustisque ueritatis suffragijs tumultu lenito, quē Christianorū iurgia concitarunt: pulsoq; Vrsiciano, alta quies pari iā proposito ciuū Romanorum aptissima adolescebat, gloria clari rectoris plura & utilia disponentis. Nam & mœniana sustulit omnia, fabricari Romæ priscis quoq; uetita legibus: & discreuit priuatorū parietes ab ædibus sacris, ijsdem inuerecunde connexos: ponderáque per regiones instituit uniuersas, cum auiditati multorū ex libidine trutinas componentiū occurri nequiret. In examinandis uerolitibus ante alios id impetrauit, quod laudando Brutū Tullius refert: ut cum nihil ad gratiā faceret, omnia tamen grata uiderentur quæ faciebat. Sub idem fere tempus Valentiniano ad expeditionem cautæ, ut rebatur, profecto, Alemannus regalis Rando nomine diu præstruens quod cogitabat, Magontiacum præsidijs nacuam cū expeditis ad latrocinandū latenter irrepsit. & quoniam casu Christianiritus inuenit celebrari solēnitatem, imprepeditæ cuiusque modi fortunæ uirilem & muliebrem sexū cum supellectile nō parua indefensum abduxit. Paruo inde post internallo mopina rei Romanæ spes lætiorū affulsit. Cum enim Vibicabius rex Vadomarij filius, specie quidē molliculus & morbosus, sed audax & fortis, ardores in nos sæpe succenderet bellicos, opera nauatur impensior ut qualibet concideret strage. & quia attentatus aliquotiens, nullo genere potuit superari uel prodi, fraude cicerioris uitæ ministri studio solicitante nostrorū, occubuit. cuius post necem, aliquacenus hostiles torpuere discursus. Interfector tamē præmetu pœnarum quas uerebatur si patuisset negotium, ad Romanum solū se celeri transtulit gradu. Parabatur post hæc lentioribus curis & per copias multiformes in Ale-

mannos expeditio solitis grauior, destinatius id publica tutela poscente: quia reparabilis gentis motus timebatur infidi, milite nihilominus accenso: cui ob suspectos eorum mores, nunc infirmorũ & supplicum, paulo post ultima minitantiũ, nullæ quiescendi dabantur induciæ. Contracta igitur undique mole maxima cæteruarum armis & subsidijs rei cibariæ diligenter instructa, accitóq; Sebastiano Comite cum Illyrijs & Italicis numeris quos regebat, anni tempore iam recente Valentinianus cum Gratiano Rhenum transgressus, indiuisis agminibus quadratis ipse medius incedebat, Iouino & Seuero magistris rei castrensis altrinsecus ordinum latera seruantibus, ne repentino inuaderẽtur assultu. Protinúsque inde ductantibus itinerũ callidis, exploratis accessibus per regiones longo itu porrectas, sensim gradiens miles irritatior ad pugnandum, uelut repertis Barbaris minaciter infrendebat. & quoniam aliquot diebus emensis nullus potuit qui resisteret inueniri, cuncta satorum & tectorum quæ uisebantur iniecta cohortiũ manu uorax flãma uastabat, præter alimenta quæ colligi dubius rerũ euentus adigebat & custodiri. Post hæc leniore gressu princeps ulterius tendens cum prope locum uenisset cui Solicinio nomen est, uelut quodam obiæ stetit, doctus procursantium relatione uerissima Barbaros longe conspectos: qui nullã ad salutem tuendã uiam superesse cernentes, nisi se cleri defendissent occursu, locorũ gnaritate confisi unum spirantibus animis montem occupauere præcelsum, per confragosos colles undique præruptum & inuium absque Septentrionali latere, unde facilem habet deuexitatem & mollem. signis illico fixis ex more, cum undique ad arma conclamaretur, imperio principis & ductorũ stetit regibilis miles uexillũ operiens extollendum, quod

erat opportune subeundæ indiciũ pugnæ. Ergo quia spatiũ deliberandi aut exiguum dabatur aut nullũ, hinc impatiẽtia militis perterrẽtæ, inde horrenda circunsonantibus Alemannis id consiliũ ratio celeritatis admusit: ut Arctam montium partem, quam clementer diximus esse procliuem, Sebastianus cum suis occuparet fugientes Germanos, si fors ita tulisset, leui negotio confossurus. quod haud placuit maturato. Gratianóq; apud signa Iouianorum retrodetento, cuius ætas erat etiam tum præliorum impatiens & laborum, Valentinianus ut dux cunctator & tutus cẽturias & manipulos capitæ intecto consalutãs (nullo potentiũ in conscientiam arcani adhibito, remota multitudine stipatorum) speculatum radices aggerum auolauit cum paucis, quorum industriam norat & fidem: prædicans (ut erat sui arrogans æstimator) inueniri posse aliã uiam ducentem ad arduos cliuos, præter eam quam inspexere procursatores. Per ignota itaque & palustres uliginis deuius tendens, insidiatricis manus locatæ per abrupta subito oppetiisset adcursu, ni necessitatis adiumento postremo per labilem limum incitato iumento digressus legionum se gremijs immersisset, post abruptum periculum: cui adeo proximus fuit, ut galeam eius cubicularius ferens auro lapillisque distinctam cum ipso tegmine penitus interiret, nec postea uiuus reperiretur aut interfectus. Proinde quiete reficiendis corporibus data, signóque erecto, quod solet ad pugnam hortari, tubarum minacium accendente clangore, fidentissimo impetu acies motas prompte ante alios præiere duo iuuenes lecti in principijs adeundi discriminis, Saluius & Lupicinus, Scutarius unus alter è schola Gentilium, fragore terribili concitantes: hastísque crispando cum ad rupium obiecta uenissent, trudentibúsque Ale-

mannis euadere ad cælsiora conarẽtur, aduenit huc omne pondus armorũ: ijs denique antesignanis per hirta dumis & aspera magno uiriũ nisu in editas sublimitates erepsit. Acri igitur partium spiritu conflictus cuspidibus tentatur infestis: & hinc arte belli doctior miles, inde licet feroces, sed incauti barbari dexteris coire collatis: quos latius sese pandens exercitus infusis utrunque cornibus adflictabat, per fremitus territos & equorũ hinnitus & tubas. nihilominus tamẽ ipsi assumpta fiducia restiterunt, æquatáq; parumper prælioruṁ sorte, haud parua mole certatũ est, dum turmarũ funeribus mutuis res gerebatur, disiecti denique Romanorũ *ardore metuq; turbati muscentur ultimis primi: dúmque in pedes uersi discedunt uerutis hostilibus forabantur & pilis. Postremo dum anheli currunt & fessi, pandebant sequentibus poplites & suras & dorsa. stratis denique multis, lapsorũ partem* Sebastianus *cum subsidiali manu locatus post montiũ terga, trucidauit, ex incauto latere circumuentam: dispersi cæteri syluarũ se latebris amandarũt. In hac dimicatione nostri quoq; oppetiere nõ contemnendi. Inter quos* Valerianus *fuit domesticorum omniũ primus, & natus spado quidam scutarius, exertus ita bellator, ut* Sicinio *ueteri comparetur &* Sergio. *Hisq; tali casuum diuersitate peractis, mulites ad hyberna, imperatores* Treueros *reuerterũt. Per hæc tẽpora* Vulcatio Rufino *absoluto uita dũ administrarat, ad regendã præfecturã prætorianã ab urbe* Probus *accitus, claritudine generis & potentia & opũ amplitudine cognitus orbi* Romano, *per quẽ uniuersum penè patrimonia sparsa possedit, iuste an secus, nõ iudicioli est nostri. Hũc quasi gemina quædam, ut poetæ fingunt, fortuna præpetibus pennis uehens, nunc beneficã ostendebat, & amicos altius erigẽtem:*

aliquotiens insidiatorem dirum & per cruentas noxium simultates. & licet potuit quoad uixit, ingentia largiendo & interpellando potestates assiduas, erat tamen interdũ timidus ad audaces, contra timidos elsior: ut uideretur cũ sibi fideret de cothurno strepere Tragico, & ubi paueret omni humilior socco. atque ut natantium genus elemento suo expulsum, haud ita diu spirat in terris: ita ille marcebat absque præfecturis, quas ob iurgia familiarum ingentium capessere cogebatur, nunquam innocentium per cupiditates immensas, utque multa perpetrarent impune dominum suum mergentium in rempub. Nanque fatendum est, nunquam illa magnanimitate coalitus clienti uel seruo agere quicquam iussit illicitum. Sed si eorũ quenquam crimen ullum compererat admisisse, uel ipsa repugnante iustitia, non explorato negotio sine respectu boni honestique defendebat. Quod utium reprehẽdens ita pronuntiat Cicero: Quid enim interest inter suasorem facti & probatorem? Aut quid refert utrum uoluerim fieri: an gaudeã factum? Suspiciosus tamen & mututus suoptè ingenio fuit: & subamarũ adridens, blandiénsque interdũ ut noceat (id autẽ perspicuũ est in eiusmodi moribus malũ, tum maxime, cum elari posse existimatur) ita implacabilis & diruptus, ut si lædere quenquã instituisset, nec exorari posset, nec ad ignoscendum erroribus inclinari. ideóque aures eius non erant, sed pluribus indebantur obstructæ: in summis diuitiarum & dignitatum culminibus anxius & sollicitus, ideóque semper leuibus morbis afflictus. Hæ per Occidentales plagas rerum series fuere gestarum. Rex uero Persidis longæuus ille Sapor, & ab ipsis imperitandi exordijs dulcedini rapinarum addictus, post imperatoris Iuliani excessum, & pudendæ pacis icta fœdera, cum suis pauli-

ſper nobis uiſus amicus, calcata fide ſub Iouiano pactorum, miectabat Armeniæ manum, ut eam uelut placitorum abolita firmitate, ditioni iungeret ſuæ. & primo per artes fallendo diuerſas, nationem omnem renitentem diſpendijs leuibus afflictabat, ſollicitans quoſdam optimatum & Satrapas, alios excurſibus occupans improuiſis. Dem per exquiſitas periurij ſque mixtas illecebras captum regem ipſum Arſacem, adhibitúmque in conuiuiũ iuſſit ad latentem trahi poſticam: eúmq; effoſſis oculis uinctum catenis argenteis, quod apud eos honoratis uanum ſuppliciorum æſtimatur eſſe ſolatium, exterminauit ad caſtellum Agabana nomine: ubi diſcruciatus cecidit ferro pœnali. Deinde nequid intemeratum perfidia præteriret, Sauromacæ pulſo quẽ autoritas Romana præfecit Hiberiæ, Aſpacuræ cuidam potęſtatem huiuſmodi detulit, gentis diademate addito, ut arbitrio ſe monſtraret inſultare noſtrorũ. Quibus ita ſtudio nefando perfectis, Cylaci ſpadoni & Artabanni, quos olim ſuſceperat perfugas, commiſit Armeniãorũ alter antè gentis præfectus magiſter fuiſſe dicebatur armorum: iiſdémque mandarat, ut Artograſſam intenſiore cura excinderent oppidum muris & uiribus ualidum, quod theſauros & uxorem cum filio Arſacis tuebatur. Iniere, ut ſtatutum eſt, obſidiũ duces: & quoniam munimentum poſitum in aſperitate montana, rigente tunc cælo niuibus & pruinis, adiri non poterat: eunuchus Cylaces aptiſque ad muliebria palpamenta, Artabanne adſcito prope mœnia ipſa, fide non amittendæ ſalutis accepta propere uenit: & cum ſocio ad interiora ſuſceptus ut poſtulauit, ſuadebat minacem defenſoribus & Regnæ motum Saporis inclementiſſimi omnium lenire deditione ueloci. Multis poſt hæc ultro citróque dictitatis, eiulantẽ-

que muliere truces mariti fortunas, proditionis acerrimi cõpulsores in misericordiam flexi mutauere cõsilium: & spe potiorum erecti secretis colloquijs ordinarunt, hora præsituta nocturna reclusis subito portis ualidam manum erũpere, uallúmque hostile cædibus aggredi repentinis: ut lateant id tentantes polliciti se proditurosQuibus religione firmatis egressi, biduúmque ad deliberandum quid capessere debeant sibi concedi clausos petiisse asseuerantes, in desidiam obsessores traduxerunt: & uiglijs quibus obsecuritatem altiore sternitur somno, ciuitatis aditu reserato iuuentus exiluit uelox: passibúsque insonis expeditis mucronibus repentes, cum castra nihil metuentium inuasissent, iacentes multos nullis resistentibus trucidarũt. Hæc inopina defectio necésque insperatæ Persarum inter nos & Saporem discordiarũ excitauere causas immanes: illo etiam accedente, quòd Arsacis filium Param suadente matre, cum paucis è munimento digressum suscepitúmque Imperator Valens apud Neocæsaream morari præcepit, urbem Polemoniaci ponti notissimam, liberali uictu curandum & cultu, qua humanitate Cylaces & Artabannes illecti, missis oratoribus à Valente auxilium, eundémque Param regem sibi tribui poposcerunt. Sed pro tempore adiumentis negatis, per Terentium ducem Para reducitur in Armeniam, recturus interim sine ullis insignibus gentem, quod ratione iusta est obseruatum, ne fracti fœderis nos argueremur & pacis. Hoc comperto textu gestorum Sapor ultra hominem efferatus, concitus maioribus curis Armenias aperta prædatione uastabat. Cuius aduentu territus Para itidémque Cylaces & Artabannes nulla circunspectantes auxilia, cælsorum montium petiuere secessus, limites nostros disterminantes & Lazicam: ubi per

ſyluarum profunda & flexuoſos colles menſibus quinque delitẽſcentes, Regis *multiformes luſere conatus. qui operam teri fruſtra contemplans ſydere flagrante brumali, pomiferis exuſtis arboribus, caſtelliſque munitis & caſtris quæ ceperat ſuperata uel prodita, cum omni pondere multitudinis* Artogeraſſam *circunſeptam & poſt uarios certaminum caſus laſſatis defenſoribus patefactam incendit:* Arſacis *uxorẽ erutam inde cum theſauris abduxit. Quas ob cauſas ad eas regiones* Arimtheus *cum exercitu mittitur* Comes, *ſuppetias laturus* Armenijs, *ſi eos exagitare procinctu gemino tentauerint* Perſæ. *Inter quæ* Sapor *immẽſum quantum aſtutus, & cum ſibi conducere humilis aut clarus, ſocietatis futuræ ſpecie* Param *ut incurioſum ſui per latentes nuntios increpabat, quòd maieſtatis regiæ uelamento* Cylaci *ſeruiret &* Artabanni. *quos ille præceps blanditiarum illecebris interfecit, capitaque cæſorum ad* Saporẽ, *ut ei morigerus, miſit.* Hac *clade late diffuſa,* Armenia *omnis periſſet, ni propugnatoris* Arimthei *aduentu territi* Perſæ *eã incurſare denuo diſtuliſſent: hoc ſolo contenti quòd ad* Imperatorem *miſere legatos, petentes nationem eandem ut ſibi &* Iouiano *placuerat, non defendi. Quibus repudiatis* Sauromaces *pulſus, ut antè diximus.* Hiberiæ *regno, cum duodecim legionibus &* Terentio *remittitur: & eum amni* Cyro *iam proximum* Aſpacuras *orauit, ut ſocia poteſtate conſobrini regnarent, cauſatus ideo ſe nec cedere nec ad partes poſſe tranſire* Romanas, *quòd* Vltus *eius filius obſidis lege tenebatur adhuc apud* Perſas. *quæ* Imperator *doctus, ut concitandas ex hoc quoque negotio turbas conſilio prudentiaque molliret, diuiſioni adquieuit* Hiberiæ. *ut eã medius dirimeret* Cyrus, *&* Sauromaces Armenijs *finitima retineret &* Lazis, Aſpa-

cures Albaniæ Persisque contigua. His percitus Sapor, pactis exclamans indigna quòd contra fœderum textum iuuarentur Armeniæ, & euanuerit legatio quam super hoc miserat corrigendo, quódque se non assentiẽte nec conscio diuidi placuit Hiberiæ regnum, uelut obseratis amicitiæ foribus uicinarum gentium auxilia conquirebat, suúmque parabat exercitum, ut serenata cæli temperie subuerteret omnia quæ ex re sua struxere Romani.

AMMIANI MARCELLINI RERVM GESTARVM LIB. XXVIII.

D

VM *apud Persas, ut suprà narrauimus, perfidia regis motus agitat insperatos, & in Eois tractibus bella rediuiua consurgũt, anno sextodecimo & eo diutius post Neronianì exitium sæuiẽs per Vrbem æternam urebat cuncta Bellona ex primordijs minimis ad clades excita luctuosas: quas obliterasset utinam iuge silentium: ne forte paria quandoque tententur plus exemplis generalibus nocitura quàm delictis. Ac licet ab hoc textu cruẽto gestorum exquisitè narrando, iustus me retraheret metus multa reputantem & uaria: tamen præsentis temporis modestia fretus carptim ut quæq; memoria digna sunt, explanabo. nec pigebit quid ex his quæ apud ueteres acciderint, timuerim docere succinctè. Bello Medico primo cum diripuissent Asiam Persæ, obsidentes militum molibus magnis, minantesque defensoribus cruciabiles neces, iniecere clausis necessitatem, ut omnes magnitudine malorum adflicti perẽptis caritatibus proprijs, proiectóque in ignem mobili cænsu, arsuros se cœrtatim congererẽt in communem*

pereuntis patriæ rogum. Hoc *argumentum paulo postea digestum tumore tragico* Phrynichus *in theatrum induxerat* Athenarum: *paulisperque iucunde auditus, cum cothurnarius stulus procederet lachrymosus, indignatione dãnatus est populi, arbitrati non consolandi gratia, sed probrose monendi quæ pertulerat amabilis ciuitas nullis autorum adminiculis fulta, hos quoque dolores scenicis adnumerasse fabulis insolenter:* Miletúmque *relegatus est.* Erat *enim* Atheniensium *colonia* Miletus *deducta inter* Ionas *alios per* Nileum *filium* Codri: *qui fertur pro patria bello se* Dorico *deuouisse.* Sed *ad proposita ueniamus.* Maximinus *regens quondam* Romæ *uicariam præfecturam, apud* Sopianas Valeriæ *oppidum obscurissime natus est: patre tubulario præsidialis officij, orto à posteritate* Carporũ, *quos antiquis excitos sedibus* Diocletianus *trãstulit in* Pãnoniam. Is *post mediocre studium liberalium disciplinarum, defensionémque causarum ignobilem & administratas* Corsicam itidémque Sardiniã, *rexit deinde* Thusciam. *unde morato in itinere diutius successore, progressus ad curandam urbis annonam, etiam prouinciæ moderamina retinebat. egítque consideratione triplici inter exordia cautius: primo quòd recalebant in auribus eius parentis effata, quòd augurales alites uel cantus monerent oscinum adprime callentis adusque sublimia regimenta, sed periturum ferro pœnali. dein quod nactus hominem* Sardum, *quem ipse postea per dolosas fallacias interemit, ut circumtulit rumor eliciẽdi animulas noxias & præsagia sollicitare laruarum perquàm gnarum: dum superesset ille, timens ne proderetur, tractabilis erat & mollior: postremo quòd tanquam subterraneus serpẽs per humiliora reptando uondum maiores funerum excitare po-*

terat causas. Principiũ autem unde latius se funditabat emersit ex negotio tali. Chilo ex uicario & coniunx eius Maxima nomine questi apud Olybrium ea tempestate urbi præfectum, uitámque suam uenenis petitam asseuerantes, impetrarunt ut hi quos suspectati sunt iliico rapti compingerẽtur in uincula: organarius Serius & Asbolius palæstrita & aruspex Campensis. uerum negotio tepescente propter diuturnam morborum asperitatem qua tenebatur Olybrius: moræ impatiẽtes hi qui rem detulerunt, libello petiuerunt oblato ut examinandum iurgium præfecto mandaretur annonæ: ídque studio celeritatis concessum est. Accepta igitur nocendi materia Maximinus effudit genuinam ferociam, pectori crudo adfixam: ut sæpe faciunt amphitheatrales feræ, diffractis tandem solutæ posticis. Cúmque multiformiter quasi in proludijs negotium spectaretur, & quidam sulcatis lateribus nominassent nobiles aliquos tanquam usos artificibus lædendi per clientes aliósque humiles, netans reos & indices supra plantam (ut dicitur) euagatus tartareus cognitor, relatione maligna docuit principẽ, non nisi supplicijs acrioribus scrutari posse uel uindicari quæ Romæ perpetrauere complures. His ille cognitis efferatus, ut erat acer uitiorum inimicus magis quàm seuerus, uno proloquio in huiusmodi causas, quas arroganti proposito maiestatis imminutæ miscebat, omnes quos iuris prisci iustitia, diuorúmque arbitria quæstionibus exemere cruentis, si postulasset negotiũ statuit tormentis affligi. útque congeminata potestas erectáque sublatius, altiores consarcinaret ærumnas, Maximino Romæ agere dispósito pro præfectis, sociauit ad hæc cognoscenda quæ in multorum pericula struebantur Leonem Notarium, postea officiorum magistrũ, bustuarium quendam latronem

Pannoniũ, efflantem ferinò rictu crudelitatem, etiã ipsum nihilominus humani sanguinis auidissimum. Auxit obstinatum Maximini ingenium ad lædendum, aduentus collegæ similis, & literarum cum ampla dignitate dulcedo. Ideóque pedes huc & illuc exultando contorquens, saltare nõ mœdere uidebatur, dum studebat inter altaria cælsius gradiẽtes, ut quidam memorãt, imitari Bracmanas. Iámque lituis cladium concrepantibus internarum, rerum atrocitate torpentibus cunctis, præter multa cruda & immitia, quorũ nec diuersitas comprehendi nec numerus potest, mors Marini causarum defensoris eminuit: quem ut ausum Hispanillæ cuiusdã artibus prauis adfectasse coniugum, transeunter indiciorum fide discussa, supplicio letali damnauit. Et quoniam existimo forsitan aliquos hæc lecturos exquisitè scrutando notare, strepentes id actum esse prius non illud, aut ea quæ uiderint prætermissa: hæc ceteris faciendum est satis, quòd non omnia narratu sunt digna, quæ per squalidas transiere personas; nec si fieri fuisset necesse instructiones, uel ex ipsis tabularijs suppeterent: publicis tot calentibus malis, & nouo furore sine retinaculis summa miscente: cum iustitium esse quod timebatur non iudicium aperte constaret. Tunc Cethegus senator adulterij reus delatus cæruice perijt abscissa: & Alypius nobilis adulescens ob leuem relegatus errorem. alijque humiles publica mortè oppetiuerunt: in quorum miserijs uelut sui quisque discriminis imaginem cernens, tortorem & uincula somniabat & diuersoria tenebrarum. Eodẽtempore etiam Hymetij præclaræ indolis uiri negotium est actitatum: cuius hunc nouimus esse textum: Cum Africam pro consule regeret, Carthaginiensibus uictus inopia iam lassatis ex horreis Romano populo destinatis frumentum

dedit: paulóque postea cum prouenissset segetum copia, integre sine ulla restituit mora. uerum quoniam denis modijs singulis solidis indigentibus uenundatis, emerat ipse triennos, integrum compendium ad principis erariũ misit. Ideóque Valentinianus per nundinationem suspicatus parum quàm oportuerat missum, eum bonorũ parte mulctauit. Ad cuius cladem exaggerãdam, id quoque ijsdem diebus acciderat non minus exitiale: Amantius aruspex ea tempestate præ cæteris notus, occultiore indicio proditus, quòd ob praua quædam implenda, ad sacrificandum ab eodem esset adscitus Hymetio, inductúsque in iudiciũ, quanquam incuruus sub eculeo staret, pertinaci negabat instantia. quo inficiante, secretioribus chartis ab eius domo prolatis, cõmonitorium repertũ est manu scriptum Hymetij, petentis ut obsecrata ritu sacrorũ solennium numina erga se imperatoris deliniret: cuius extima parte quædã inuectiua legebatur in principẽ, ut auarum & truculẽtum. Hæc Valentinianus relatione indicum doctus, asperius interpretantium facta, rigore nimio in negociũ iussit inquiri. Et quia Frontinus consutarius antedicti minister fuisse conceptæ precationis arguebatur, concisus uirgis atque confessus, ablegatus est in exiliũ ad Britannos. Amantius uero damnatus postea rerum capitaliũ interijt. Post hanc gestorũ seriem Hymetius ad oppidũ ductus Ocriculum, audiẽdus ab Ampelio urbi præfecto & Maximino uicario, confestimque perdẽdus ut apparebat: data sibi copia rectius Imperatoris præsidium appellauit: nominisq; eius perfugio tectus seruabatur incolumis. super hoc princeps consultus, senatui negotium dedit. qui cum rem librata iustitia comperisset: eúmque ad Boas Dalmatiæ locum exterminasset, ægre Imperatoris iracundiam tulit, perciti

uehemẽter quòd hominem addictum, ut ipse proposuerat, morti, clementiori sententia didicerat plexum. Ob hæc & huiusmodi multa, quæ cernebãtur in paucis, omnibus timeri sunt cœpta. & ne tot malis dissimulatis paulatimque serpentibus aerui crescerent erumnarum, nobilitatis decreto legati mittuntur: Prætextatus ex urbi præfecto, & ex uicario Venustus, & ex consulari Mineruius, oraturi ne delictis supplicia sint grãdiora, ne senator quisquam inusitatæ & illicito more tormentis exponeretur. qui cum intromissi in consistoriũ hæc referrent: negantem Valentinianum se id statuisse, & calũnias perpeti clamitantem, moderatè redarguit quæstor Eupraxius: hácque libertate emendatum est crudele cœptum, supergressum omnia diritatis exempla. Circa hos dies Lollianus primæ lanuginis adulescens Lãpadij filius ex præfecto, exploratius causam Maximino spectantè, cõuictus codicem noxiarum artium nondũ per ætatem firmato consilio descripsisse, exilque mittẽdus, ut sperabatur, patris impulsu prouocauit ad principem. & iussus ad eius Comitatum duci, de fumo (ut aiunt) in flammam, traditus Phalangio Beticæ consulari, cecidit funesta carnificis manu. Super his etiam Taratius Bassus postea urbi præfectus, & frater eius Camenius, & Marcianus quidã & Eusaphius omnes clarissimi arcessiti in crimen, quòd eiusdẽ conscij ueneficij aurigam fouere diœbantur Auchenium, documentis etiam tum ambiguis, suffragãtè absoluti sunt Victorino, ut dispersus prodidit rumor, qui erat amicus Maximino iunctissimus. Nec minus fœminæ quoque calamitatum participes fuere similiũ. Nam ex hoc quoque sexu peremptæ sunt originis altæ cõplures, adulteriorum flagitijs obnoxiæ uel stuprorum. Inter quas notiores fuere Claritas & Flauiana: quarum

altera cum ducæretur ad mortē, indumento quo uestita erat abrepto, ne uelamen quidem secreto membrorum sufficiens retinere permissa est. Ideóque carnifex nefas admisisse cōuictus immane, uiuus exustus est. Pafius quin etiam & Cornelius senatores ambo uenenorum artibus se pollusse conuicti: eodem pronuntiante Maximino sunt interfecti. Pari sortę etiam procurator monetæ extinctus est. Sericum enim & Asbolium supradictos, quoniam cum hortaretur passim nominare quos uellēt, adiecta religione firmarat, nullum igni uel ferro se puniri iussurum, plumbi ualidis ictibus interemit. Et post hæc flammis Campensem aruspicem dedit, in negotio eius nullo sacramento constrictus. Opportunū est ut arbitror, explanare nunc causam quæ ad exitium præcipitem Agnatium impulit, iam inde à priscis maioribus nobilem, ut locuta est pertinacior fama. nec enim super hoc ulla documentorum rata est fides. Anhelans flatu superbo Maximinus etiam tum præfectus annonæ, nactusque audaciæ incitamenta non leuia, tendebat adusque Probi contemptum uiri summatum omniū maximi, iuréque præfecturæ prætorianæ regentis prouincias. Quod Agnatius indignissime ferens, dolénsque in examinandis causis Maximinum ab Olybrio sibi prælatum, cum esset ipse uicarius Romæ, familiari sermone docuit Probum occultę, facile uanum hominem recalcitrātem sublimibus meritis posse opprimi: si ille id fieri cænsuisset. Has literas, ut quidā asseuerabant, Probus ad Maximinum eruditiorē iam in sceleribus, cōmendatúmq; Principi pertimescens, nullo conscio præter baiulum misit. Hisque recitatis ita homo ferus exarsit, ut machinas omnes in Agnatium deinde commoueret: uelut serpens uulnere noti cuiusdam attritus. Accessit his alia potior insidiarum

materia quæ eundē Agnatiū obruit. Victorinū enim defunctum mimulabat: ut Maximini actus dū supererat, uenditantē: cuius ex testamento legata ipse sumpserat non aspernanda. Paríque petulātia Anepsiæ quoque eius uxori lites minabatur & iurgia. Quæ hæc metuens ut Maximini etiam muniretur auxilio, finxit maritum in uoluntate quam condiderat nuper, argenti tria milia pōdo eidem reliquisse. Qui auiditatē nimia flagrās, nec enim hoc quoque ustio carui, petit hæreditatis medietatem. Verum & hoc, ut parum sufficienti, nequaquam contentus, aliud commentus est, ut arbitrabatur honestum & tutū: & ne amitteret ansam sibi oblatam lucrandi uberis patrimonij, Victorini priuignam Anepsiæ filiam petit filio coniugem: idque assentiēte muliere promptæ firmatum est. Per hæc & alia simili mœrore deflenda, quæ decolorabant speciem Vrbis æternæ, grassabatur per strages multiplices fortunarum homo cum gemitu nominandus, ultra forenses termi nos semet extentans. Nanque & resticulam de fenestra prætorij quadam remota dicitur semper habuisse suspensam, cuius summitas quandam uelut tamusam colligaret, nullis quidem indicijs fulta, sed nocitura insontibus multis: & Mutianum Barbarúmque apparitores aliquotiens discretim trudi iubebat ad fallendum aptissimos. Hi tanquam eiulando casus, quibus se simulant oppressos, iudicis exaggerando crudelitatem, remediū nullum aliud reis ad obtinendā uitam superesse eadem replicando sæpe asseuerabant: ni criminibus magnis petissent nobiles uiros: quibus ad sui societatem adnexis, facile eos absolui posse firmabant. ob quæ impia, uilitate ultra apposita iam pergen, temanus uinculis sunt arctatæ complurium: ortúque nobiles inculti uidebātur & anxij. nec eorū culpari quis-

quam debuit cum ſalutãtes humum penè curuatis contingentibus membris, perſæpe clamantem audirent ſpiritus ferini latronem, nullum ſe iniuſto reperiri poſſe inſontem. Quæ uerba effectui propere iuncta terruiſſent profectò Numæ Pōpilij *ſimiles & Catonem. Prorſus enim ſic agebatur, ut nec in alienis malis quorũdam exareſcerent lachrymæ: quod in uarijs & confragoſis actibus uitæ plerunque contingit. à iure tamen iuſtitiáque crebro diſcedẽs ferreus cognitor, erat uno quaſi præcipuo tolerabilis. Interdum enim exoratus parcebat aliquibus, quod propè uitium eſſe in hoc loco legitur apud* Tullium. *Nam ſi implacabiles iracundiæ ſunt, ſumma eſt acerbitas: ſin autem exorabiles, ſumma lenitas: quæ tamen ut in malis acerbitati anteponenda eſt. Poſt hæc prægreſſo* Leone, *acceptóq; ſuccęſſore ad principis Comitatũ* Maximinus *accitus actúſque præfectura prætoriana, nihilo lenior fuit, etiam longius nocens ut baſiliſci ſerpentes. In id tempus aut non multo prius, ſcopæ florere ſunt uiſæ quibus nobilitatis curia mundabatur. Idque portendebat extollendos quoſdam deſpicatiſſimæ ſortis ad gradus poteſtatũ excelſos. Et quãlibet tẽpeſtiuum eſt ad ordinem redire cœptorum, tamen nihil impedituri temporũ curſus, immorabimur paucis, quæ per iniquitatem curantium uicariam præfecturam in urbe cõtra quàm oportuerat, geſta ſunt, quæ ad nutum* Maximini *& uoluntatem iiſdem miniſtris uelut apparitoribus gerebantur. Poſt hunc uenit* Vrſicinus *ad mitiora propenſior: qui quoniã cautus eſſe uoluit & ciuilis, retulerat Eſaiam cum aliis ob cõmiſſum adulterium in* Ruffinam *detentis,* Marcellum *maritum eius ex agente in rebus reum imminutæ maieſtatis deferre conatis: ideóque ut cunctator contẽptus, & ad hæc fortiter exequenda parum*

conueniens, è uicaria potestate discessit. Huic successit Hemonensis Simplicius, Maximini cõsiliarius ex grãmatico, post administratam, nec erectus, nec tumidus, sed obliquo aspectu terribilis: qui compositis ad modestiã uerbis acerba meditabatur in multos. Et primo Ruffinam cum uniuersis autoribus adulterij cõmissi uel conscijs interfecit, super quibus Vrsicinũ retulisse prædiximus: alias deinde cõplures nullo noxiorum discrimine uel insontiũ. in cruento enim certamine cum Maximino uelut antepilano suo contendens, superare eum in succidẽdis familiarum nobilium neruis studebat, Busirim ueterem & Anteũ imitatus & Phalarim, ut taurus solus deesse uideretur Agrigentinus. His in hunc modum ac talibus exactis, Hesychia quædam matrona ob intentatũ crimen in domo apparitoris, cui custodienda est tradita, multa pertimescens & sæua, fulcro plumeo uultu contracto mouebat, & animam occluso narium spiramento effudit. Adiũctum est his aliud haud mitius malum. Eumenius enim & Abienus ambo ex cœtu amplissimo, infamati sub Maximino in Fausianam fœminam non obscuram, post Victorini obitum quo iuuante uixere securius, Simplicij aduentu perterrefacti, non secus uolentis magna cum minis, ad secreta receptacula se contulerunt. Sed Fausiana damnata inter reos recepti uocatique edictis semet abstrusius amandarunt. quorum Abienus apud Anepsiam diu delitescebat. Sed ut solent insperati casus adgrauare miserabiles clades, Apaudulus nomine seruus Anepsiæ uerberatæ cõiugis dolore perculsus, negotium ad Simplicium detulit nocte progressus, missiq; apparitores indicatos è latebris abstraxerunt. & Abienus quidem exaggerato crimine stupri, quod intulisse dicebatur Anepsiæ, morte mulctatus est. Mulier uero ut conti-

nendæ uitæ spem firmam dilato posset habere supplicio, appetitam se nefarijs artibus uim in domo Agnatij perpessam asseuerauit. Hæc ut gesta sunt mugitus ad principem Simplicius reddidit: agensq; ibi Maximinus infestus ob causam, quam supra docuimus Agnatio, simultate una cum potestate in maius accensa, orauit impense ut rescriberetur eũ occidi: & impetrauit facile male sanus incitator & potens: metuénsq; grauioris inuidiæ pōdus, ne pronuntiante Simplicio & consiliario suo & amico periret homo patriciæ stirpis, retinuit apud se paulisper Imperiale præceptum, hærēs & ambigens quemnam potissimum executorem atrocis rei fidum inueniret & efficacem. Tandémque, ut solēt pares facile congregari cum paribus, Doryphorianus quidam repertus est Gallus, audax adusque insaniam: cui hanc operam implere breui pollicito, deferri prouidit uicariam, & cōmonitoriū cum Augusti literis tradidit: instruens hominem sæuum quidē sed rudem, qua celeritate Agnatium sine ullo deleret obstaculo, dilatione qualibet inuenta forsitan euasurum. Festinauit ut mandatum est Doryphorianus magnis itineribus Romam: & inter salutādi mitia magna quæritabat industria qua ui senatorem perspicui generis interficeret, iuuantibus nonnullis. Cognitóque eum iampridem repertum in ulla propria, multu diro ipse tāquam caput sontium Anepsiam per horrorem tenebrarum audire disposuit: quo tempore hebetari solent obstrictæ terroribus mentes: ut inter innumera multa Aiax quoque Homericus docet, optans perire potius lucē quàm pati formidinis augmēta nocturnæ. Et quoniā iudex, quinimmo prædo nefandus, ad id solū quod promisit intentus, cuncta extollebat in maius, iusso Agnatio statui agmina, fecit introire carnificum: catenísque

ſonantibus triſtè, mancipia ſqualore diuturno marcẽtia in domini caput aduſque ultimum lacerabat exitiũ: quod in ſtupri quæſtione fieri ~~uetuere clementiſſimæ~~ leges. Deniq; cum iam contigua morti tormenta ancillæ uocęs expreſſiſſent obliquas, mdicij fide per eam plene diſcuſſa, Agnatiũ ad ſuppliciũ duci pronuntiatum abruptè. nec auditus, cum magnus clamoribus appellaret nomina principum, ſublimis raptus occiditur, pari ſentẽtia Anepſia interfecta. Hæc agitante cum adeſſet, pérque emiſſarios cum procul ageret Maximino, funera deploraut Vrbs æterna. Sed accelerarunt ultricęs diræ cæſorum. nanque ut poſtea tempeſtiue dicętur, & idem Maximinus ſub Gratiano intolerantęr ſe efferens, damnatorio iugulatus eſt ferro, & Simplicius in Illyrico trucidatus: & Doryphorianum pronuntiatum capitis reum truſúmque in carcere Tulliano, matris conſilio primœps eximde rapuit: reuerſúmque ad lares in Gallijs per cruciatus oppreſſit immenſos. Sed iam unde huc fleximus reuertamur. Is urbanarum rerum ſtatus ut ita dixerim fuit. At Valentinianus magna animo concipiens & utilia, Rhenum omnem à Retiarum exordio aduſque fretalem Oceanum magnis molibus communiebat, caſtra extollens altius & caſtella turréſque aſſiduas per habiles locos & opportunos, quà Galliarum extẽditur longitudo: nonnunquam etiam ultra flumen ædificijs poſitis ſubradens barbaros fines. denique cum reputaret munimentum ęlſum & tutum, quod ipſe à primis fundarat auſpicijs, præterlabẽte Nicro nomine fluuio paulatim ſubuerti poſſe undarum pulſu immani, meatum ipſum aliorſum uertere cogitauit: & quæſitis artificibus peritis aquariæ rei, copioſáque militis manu arduum eſt opus adgreſſus. per multos enim dies compagnatæ formæ è roboribus,

coniectáque in alueum, fixis refixísque aliquotiens prope ingentibus stylis, fluctibus erectis confundebãtur, auulsæque ui gurgitis interrumpebantur. Vicit tamen Imperatoris uehementior cura, & morigeri militis labor, mento tenus dum operaretur sæpe demersi. tandémque non sine quorundam discrimine, castra præsidiaria inquietudine errantis ingentis amnis exempta, nunc ualida sunt. ac talibus lætus exultánsque, pro anni & temporis statu dilapsos conducens, reipublicæ curam habuit, ut officio principis congruebat. ratúsque aptissimum ad id quod deliberabat implẽdum, trans Rhenum in monte Piri, qui barbaricus locus est, munimentum extruere disposuit raptim. útque celeritas effectum negotij faceret tutum, per Syagriũ tunc notarium, postea præfectum & consulem, Aratorem monuit ducem: ut dum undique actum esset silentium, id arripere conaretur. Transijt cum notario dux ut iussum est statim: poneréque per militem quem duxit fundamẽta exorsus, Hermogenem suscperat successorem. eodémque puncto quidam optimates Alemanni uenere obsides imperatoris, quos lege fœderis mãsuræque diutius pacis haud aspernanda pignora tenebamus. qui flexis poplitibus supplicabant, ne Romani securitatis improuidi, quorum fortunam sempiterna fides cælo contiguam fecit, prauo deciperẽtur errore, pactisque calcatis rem adorirẽtur indignam. Verum hæc & simulia loquentes incassum, cum nec audirentur nec aliquid mite referri sentirent, filiorum flentes exitium, discesserunt. Iisdémque digressis, ex abdito collis propinqui barbaricus prosiluit globus, optimatibus danda responsa, ut intelligi dabatur, operiens: aggressíque milites seminudos, humum etiam tum gestantes, expediti agiliter gladijs obtrũcabant. inter quos etiã duces ambo sunt

cæsi. nec indicaturus gesta superfuit quisquã præter Syagrium: qui deletis omnibus ad Comitatum reuersus, irati sententia principis sacramento exutus abijt ad lares, commeruisse sæuo iudicatus arbitrio, quod euaserit solus. Hæc inter per Gallias latrociniorum rabies sæua scatebat in perniciem multorum, obseruans cælebres uias, fundénsque indubitanter quicquid inciderat fructus. Denique præter complures alios, quos absumpserunt insidiæ tales, Cõstantianus tribunus stabuli impetu est clandestino exæptus móxque intersectus, Valẽtiniani adfinis, Cerealis & Iustinæ germanus. At procul tanquam horum similes, agitantibus furijs per omne latus Maratocupreni grassatores acerrimi. uagabantur, uici huius nominis incolæ in Syria prope Apamiam positi, nimium quantum numero & exquisitis fallacijs abundantes: ideóque formidati, quòd mercatorum militúmque honoratorum specie sine ullo discrimine domos & uillas & oppida peruadebant: nec quisquam aduentum eorũ cauere poterat inopinum, non destinata sed uaria petentiũ & longinqua, & quoquo uentus duxerat, irrũpentium. quam ob causam præ cæteris hostibus Saxones timentur ut repentini. Et quãlibet coniuratis multorũ opes attribuerentur, tamen œstro concepti furoris exagitati, cædes dedere luctificas, sanguinis nihilominus auidi quàm prædarũ. Sed ne per minutias gesta narrãdo, operis impediam cursum, id unum sufficiet eorum exitiale poni commerciũ. Quæsitus in unum impiorum globus, imitatus Rationalis officiũ, ipsúmque iudicem, uespertinis tenebris lugubre clamãtæ præcone ciuitatem ingressi, ambitiosam domum cuiusdam primatis ut proscripti iussique interfici cum gladijs obsederunt: raptãque supellectili pretiosa, quia subito perculsi familiares hebetatis sensibus nõ de-

fenderant dominum, cæsis pluribus ante reuolutam lucem gressu discessere ueloci. Verum cum exuuijs repleti multorum, parandi dulcedine nihil prætermitterent, interepti imperiali motu oppressi interiere omnes ad unum: eorúmque soboles parua etiam tum, ne ad parentum exempla subcresceret, pari sortè deleta est, larésque euersi, quos ambitiose luctuosis aliorum dispendijs extruxerant. Et hæc quidem textu processere narrato. Theodosius uero dux no minis inclyti, animo uigore collecto ab Augusta profectus, quam ueteres appellauere Lundinium, cum militè industria comparato solerti, uersis turbatisque Britannorũ fortunis opem maximam tulit: opportuna ubique ad insidiãdum barbaris præueniens loca, nihilque gregarijs imperãs cuius non ipse primitias alacri capesseret mente. Hócque genere cum strenui militis munia & præclari ducis curas expleret, fusis uarijs gentibus & fugatis, quas insolentia nutrientè securitatè adgredi Romanas res inflammabat, in integrum restituit ciuitates & castra, multiplicibus quidem damnis affectas, quietè tẽporis lõgi fundata. Euenerat autem eodẽ hæc agente facinus dirum, eruptuum in periculum graue, ni inter ipsa conatus principia fuisset extinctum. Valentinus quidã in Valeria Pãnonia, superbi spiritus homo, Maximini illius exitialis uicarij post ea præfecti coniugis frater, ob graue crimen actus in Britãnias exul, quietis impatiens malefica bestia ad res perniciosas consurgebat & nouas in Theodosium tumore quodam, quem solũ resistere posse nefandis cogitationibus aduertebat. Multa tamen clam palámque circunspiciens, crescente flatu cupiditatis immensæ, exules sollicitabat & milites, pro temporis captu ausorũ illecebras polliendo mercedes. Iámque propinquante tentatorum effectu, doctus

hæc unde conuenerat dux alacrior ad audendum, & corde ælso ad uindictam compertorum erectus, Valentinum quidem cum paucis arta societate iunctissimis letali pœna plectendos Dulcitio dediderat duci: militari uero scientia qua superabat præsentes, futura coniiciens, de coniuratis quæstiones agitari prohibuit, ne formidine sparsa per multos, reuiuiscerent prouinciarum turbines compositi. Hinc ad corrigenda plura conuersus & necessaria, periculo penitus dempto, cum apertæ constaret nulla eius cœpta propitiã deseruisse fortunam, instaurabat urbes & præsidiaria ut diximus castra, limitésque uigilijs tuebatur & prætenturis, recuperatámque prouinciam quæ in ditiones concesserat hostium, ita reddiderat statui pristino, ut eodem referente & rectorem haberet legitimum, & Valentia deinde uocaretur arbitrio principis. Areanos genus hominum à ueteribus institutum, super quibus aliqua in actibus Cõstantis retulimus, paulatim prolapsos in uitia à stationibus suis remouit: apertæ conuictos, acceptorum promissorúmque magnitudine præmiorum allectos, quæ apud nos agebantur aliquotiens barbaris prodidisse. Id enim illis erat officium, ut ultro citróque discurrentes uicinarum gentium strepitus nostris ducibus intimarent. Ita spectatissime antedictis rebus aliísque administratis similibus, ad comitatum accitus tripudiantésque relinquens prouincias, ut Furius Camillus uel Cursor Papyrius uictoriis crebris & salutaribus erat insignis. Et fauore omnium adusque fretum deductus, leni uento transgressus uenit ad cõmilitium principis. cúmque gaudio susceptus & laudibus, in locum Valentis Iouini successit, qui equorum copias tuebatur. Diu multúmque à negotijs discussus urbanis, adigente cumulo foris gestorum, ad ea strictim exequenda regrediar,

exorsus ab Olybrij præfectura tranquilla nimis & leni. qui nunquam ab humanitatis statu deiectus sollicitus erat & anxius, ne quod usquam factum eius asperum inueniretur aut dictum: calumniarum acerrimus insectator, fisci lucra unde poterat circuncidens, iustorúmque distinctor & arbiter plenus, in subiectis admodum temperatus. sed obnubilabat hæc omnia uitium parum quidē nocens, sed in alto iudice maculosum, quòd exteriorē uitam penè omnem uergentem in luxum per argumenta scenica amoresque peregerat nec uetitos nec inæstos. Post hunc, urbem rexit Ampelius, cupidus ipse quoque uoluptatum, Antiochiæ genitus, ex magistro officiorum ad proconsulatum geminum indéque multo postea ad præfecturæ culmen euectus, lætus aliàs & ad populi fauorē adipiscendum aptissimus: nonnunquam tamen rigidus, atque utinam in proposito perseuerans. Correxisset enim ex parte licet exigua irritamenta gulæ & ganeas tetras, ni flexus in molliora amisisset gloriam diu uiciuram: nanque statuerat ne taberna uinaria ante horam quartam aperiretur, néue aquam uulgarium calefaceret quisquam, uel usque ad præstitutum diei spatium lixæ coctam proponerēt carnem, uel honestus quidā mandens uideretur in publico. Quæ probra aliáque his maiora dissimulatione iugi neglecta ita efrænatius exarserunt, ut nec Epimenides ille Cretensis si fabularum ritu ab inferis excitatus redisset ad nostra, solus purgare sufficeret Romam. tanta plerosque labes insanabilium flagitiorum oppressit. Et primum nobilitatis, ut aliquoties pro locorum copia fecimus, dem plebis digeremus errata, incidentia uelocī constringentes excessu. Prænominum claritudine conspicui quidam ut putant in immensum semet extollunt, cum Reburri & Flabunij & Pa

gonij Gerionésque appellentur ac Dalij cum Tarracijs & Perrasijs, alijsque ita decens sonantibus originum insignibus multis. Nonnullos fulgentes sericis indumentis, ut ducendos ad mortem, uel ut sine diritate ominis loquamur, prægresso exercitu arma cogentes, manipulatim concitato fragore sequitur multitudo seruorum. tales ubi comitantibus singulos quinquaginta ministris, tholos introierint balnearum, ubiubi sunt minaciter clamantes, si apparuisse subito ignotam compererint meretricē, aut oppidanæ quondam prostibulū plebis, uel meritorij corporis ueterem lupā, certatim concurrunt: palpātésque aduenā deformitate magna blanditiarum ita extollunt ut Semiramin Parthi, uel Cleopatram AEgyptus, aut Artemisiam Cares, uel Zenobiam Palmyreni. Et hæc admittunt hi, quorum apud maiores censoria nota adflictus est senator, ausus dum adhuc non deceret, præsente communi filia coniugem osculari. Ex his quidā cum salutari pectoribus oppositis cœperunt, osculanda capita in modum taurorum minaciū obliquantes, adulatoribus offerunt genua suauianda uel manus, id illis sufficere ad beate uiuendum existimantes: & abundare omni humanitatis cultu peregrinum, cuius fortæ etiam gratia sunt obligati, interrogatum quibus thermis utatur aut aquis, aut ad quam sucesserit domum. Et cum ita graues sint & cultores uirtutum, ut putant, si uenturos undelibet equos aut aurigas quendam didicerint nuntiasse, ita imminent & percunctantur, ut Tyndaridas fratres eorū suspexere maiores, cum priscis illis victorijs indicatis gaudio cuncta complessent. Horum domus otiosi quidam garruli frequentant, uarijs adsentandi figmentis ad singula altioris fortunæ uerba laudantes, parasitorum in cœnæ etas affectando. ut enim illi sufflant mulites glorio-

ſos, obſidiones urbium & pugnas & milia hoſtium iiſdem ut heroicis æmulis aſſignantes: ita hi quoque columnarum conſtructiones alta frontè ſuſpenſas murando, atque parietes lapidum circunſpectis coloribus nitidos, ultra mortalitatem nobiles uiros extollunt. Poſcuntur etiam in conuiuijs aliquoties trutinæ, ut adpoſiti piſces & uolucres ponderentur & glires. quorũ magnitudo ſæpius delicata non ſine tædio præſentium, ut antehac muſitata laudatur adſidue: maxime cum hæc eadem numerantes notarij propè triginta adſiſtant cum thecis & pugillaribus tabulis, ut deeſſe ſolus magiſter ludi literarij uideretur. Quidam deteſtantes ut uenena doctrinas, Iuuenalẽ & Marium Maximũ curatiore ſtudio legunt, nulla uolumina præter hæc in profundo otio contrectantes: quam ob cauſam non iudicioli eſt noſtri cum multa & uaria pro amplitudine gloriarum & generum lectitare deberent, audientes deſtinatum pœnæ Socratem coniectúmque in carcerem, rogaſſe quendam ſciẽ lyrici carmen Stesichori modulãtem, ut docæretur id agere dum licæret: interrogantéque muſico, quid ei poterit hoc prodeſſe morituro poſtridie, reſpõdiſſe, ut aliquid ſciens amplius, è uita diſcedat. Ita autem pauci ſunt mtæ eos ſeueri uindices delictorum, ut ſi aquam calidam tardius attulerit ſeruus, trecentis adfligi uerberibus iubeatur: ſi hominem ſponte occiderit propria, inſtantibus plurimis ut dãnetur, unus dominus hactenus exclamat, Quid faciat maniosus & nequam? ciuilitatis autem hoc apud eos eſt nunc, quòd expedit peregrinos iure interficere, quibus libet, quanquam rogatis ad conuiuium, excuſare. deſectum enim patrimonij ſe perpeti ſenator exiſtimat, ſi is defuerit, quem aliquoties libratis ſententijs muitauerit ſemel. Pars eorum ſi agros uiſuri proceſſerunt longius, aut

alienis laboribus uenaturi, Alexādri magni itinera se putant æquiparasse uel Cæsaris: aut si à lacu Auerni lembis inuecti sunt pictis Puteoles uel Caietam, maxime cum id uaporato audeant tempore: ubi si inter aurata flabella lacinijs sericis insiderint muscæ, uel per foramen umbraculi pensilis radiolus inruperit solis, queruntur quòd non sunt apud Cimmerios nati. dem cum à Siluani lauacro uel Mameæ aquis uentitāt sospitalibus, ut quisquam eorum egressus tenuissimis se terserit linteis, solitis pressorijs uestes lucæ nitentes arbitra diligenter explorat, quæ unà portantur sufficientes ad iuuandos homines undecim: tandémq; electis aliquot inuolutus, receptis anulis, quos ne uiolētur humoribus famulo tradiderat, digitis ut metatis abit.

Quidam ex his, licet rari, aleatorum uocabulum declinantes, ideóque se cupiētes appellari tesserarios: inter quos tantum differt, quantum inter fures & latrones. Hoc tamen fatendum est, quòd cum omnes amicitiæ Romæ tepescant, aleariæ solæ quasi gloriosis quæsitæ sudoribus, sociales sunt, & adfectu nimio firmitate plena connexæ. unde quidam ex his gregibus inueniūtur ita concordes, ut quis illos esse existimet fratres. ideóque uidere licet ignobilem, artis tessearіæ callentem arcana, ut Catonem Porciū ob repulsam præturæ, nec suspectam antea nec speratam, mœdere grauitate composita mœstiorem, quòd ei in maiore conuiuio uel consessu proconsularis quidam est antelatus. Subsident aliqui curiosos homines, senes aut iuuenes, orbos uel cælibes, aut etiam uxores habentes & liberos (nec enim in hoc titulo discrimen aliquod obseruatur) ad uoluntates condendas allicientes eos technis miris: qui cum supremis iudicijs ordinatis, quæ habebāt reliquerint his quibus morē gerendo testati sunt, ilico pereunt. Alius cum

dignitate licet, ceruice tumida gradiens, notos antea obliquato contuetur aspectu: ut post captas Syracusas existimes reuerti M. Marcellum. Multi apud eos negant esse superas potestates in cælo: nec in publico prodeunt, nec prandent, nec lauari arbitrantur se cautius posse, antequam ephemeride scrupulose scaſcitata dilicerint, ubi sit, uerbi gratia, signum Mercurij, uel quotam cancri sideris partem polum discurrens obtineat luna. Alius si creditorem suũ flagitare molestius aduerterit debitum, ad aurigam confugit audentem omnia prælicenter, eúmque ut ueneficum curat urgeri. unde non nisi reddita cautione, dispendióque adflictus graui discedit. & additur huic, debitorem uoluntariũ includit ut proprium, nec ante eius profectionem absoluit. Parte alia uxor, ut prouerbium loquitur uetus, eandẽ incudem diu noctúque tundendo maritum testari compellit: hócque idem ut faciat uxor urget maritus instanter: & peritũ iuris alterum secus adsciscuntur, unus in cubiculo, alter eius æmulus in triclinio, repugnãtia tractaturi: ijsdémq; subseruntur genitalium extorum interpretes controuersi: hinc præfecturas profusius largientes & sepulturas diuitum matronarum: inde ad exequias uirorum fœminas inuitantes, necessaria parari oportere inuentes. Nec in rebus humanis quicquam bonum norunt, nisi quod fructuosum. Sic amicos tanquam pecudes eos potissimum diligunt, ex quibus se sperant maximum fructum esse capturos. cúmq; mutuum illi quid petunt, socios & Mitiones uidebis & Lachetas: cum adiguntur ut reddant, ita cothurnatos & turgidos, ut Heraclidas illos, Cresphõtem & Temenum putes. Hactenus de senatu: nunc ad otiosam plebẽ ueniamus & desidẽ: in qua nitent & nominibus cultis quidã calceorũ expertes, Cimessores, Statarij, Semicupæ, &

Serapini, & Cicimbricus cū Gluturino & Trulla, & Lucanicus cum Pordaca & Salsula, similésque innumeri. hi omne quod uiuunt uino & tesseris impendunt, & lustris & uoluptatibus & spectaculis: eisque templum, & habitaculum, & concio, & spes omnis circus est maximus. & uidere licet per fora, & compita, & plateas, & conuenticula circulos multos collectos in se controuersis iurgijs ferri, alijs aliud ut fit defendentibus. Inter quos hi qui ad satietatem uixerunt, poliores autoritate longæua, per Ianos & fora clamitant sæpe, Rēpublicam stare non posse, si futura concertatione quem quisque uindicat, carceribus non exiluerit primceps, & circunflexerit metam. Exoptato die equestrium ludorum inluæscente nondū Solis puro iubare, fusius omnes festinant præcipites, ut uelocitate currus ipsos anteeant certaturos. super quorū euentu discissis uotorum studijs, anxij plurimi agunt peruigiles noctes. unde si ad theatralem uentum fuerit uilitatem, artifices scenarij per sibilos exploduntur, siqui sibi ære humliorē non conciliauerit plebem. cui si defuerit strepitus, ad imitationem Tauricæ gentis peregrinos uociferantur pelli debere, quorum subsidijs semper nisi sunt ac steterunt, & tetris uocibus & absurdis: quæ longe abhorrent à studijs & uoluntate ueteris illius plebis, cuius multa facete dicta memoria loquitur & uenusta. Id enim nunc repertum est prosonitu laudum impensiore, per applicatos homines ad loquendū, ut in omni spectaculo, exodiario, uenatori, aurigæ, & histrionum generi omni, & iudicibus cælsis itidémq; minoribus, necnon etiā matronis clametur adsidue, Per te ille discat: quod autē debeat disci nemo sufficit explanare. In his plerique distentioribus saginis addicti, præeūtē nidoris indagine, acutisque uocibus fœminarū, à gallicinijs

ipsis, in modũ pauonum inanitatæ clangentiũ, humũ summis pedũ unguibus cõtingentes aulis adsistunt, digitos prærodentes dum patinæ deferuescunt: alij nauseam horridæ carnis dum excoquitur intentius despectantes, ut discissarum pecudũ exta rimari cum anatomicis Democritum *putes, docentẽ quibus modis posteritas mederi doloribus possit internis. Sit satis interim hæc digessisse super rebus urbanis: nunc redeamus ad cætera quæ per prouincias agitauere multipliçes casus.* Erupit Augustis ter Coss. *Saxonum multitudo: & Oceani difficultatibus permeatis, Romanum limitẽ gradu petebat intento, sæpe nostrorũ funeribus pasta. cuius eruptionis primæ procellam* Nannenus *sustinuit comes regionibus ijsdẽ adpositus, diuturno bellorum labore compertus. Sed tunc ad mortem destinatæ plebi cõgressus, cum milites quosdã ruisse, & se uulneratum imparem fore certaminibus aduerteret crebris, docto imperatore quid agi deberet, id est adeptus, ut peditum magister* Seuerus *opitulatum rebus dubijs adueniret. Qui ducens militem rei sufficientem cum uenisset ad loca, discriminatis ordinibus barbaros ante colluctationem adeo terruit & turbauit, ut nec controuersas opponerent manus, sed signorum, Aquilarũmque fulgore præstricti uenialem poscerent pacem. diúque uariatis consilijs, cum id Reip. conducere uideretur, pactis inducijs, & datis ex conditione proposita iuuenibus multis habilibus ad militiam, discedere permissi sunt* Saxones *sine impedimento unde uenerãt reuersuri. quibus omni iam formidine uacuis reditúmque parãtibus occultæ pedites nissi insidias in abdita quadã ualle struxerũt, unde prætereũtes adgredi negotio poterãt leui. Sed longe secus accidit quàm sperabatur. Sonitu enim aduentantium perciti exiluere quidam intem-*

pestiue: uisique subito dum se firmare festinant ululãtibus lugubre barbaris uertuntur in pedes. Stetere tamen mox conglobati, extremáque sorte ures licet non integras suggerente confligere cogebantur: multáque cæde perculsi concidissent nullo relicto, ni cataphractorũ equitum aneus, ad inferendum periculum transeuntibus barbaris ex alio latere prope diuortium itineris pari modo locatus, clamore percitus tristi agliter subuenisset. Exm concursum infestius: firmatisque pectoribus hinc inde incumbẽtes Romani *clausos hostes eductis gladijs obtrũcabant: nec quisquam eorũ genitales reuisere potuit lares, ne uno quidem cædibus concorporalium superesse permisso. Ac licet iustus quidam arbiter rerũ factum incusabit perfidum & deforme, pensato tamen negotio non feret indigne manum latronum exitialem tandem copia data captam. Post hæc ita prospere consummata,* Valentinianus *uersando sententias multiformes, anxia sollicitudine stringebatur: reputãs multa & circunspiciẽs, quibus commentis* Alemannorum, *&* Macriani *regis frangeret fastus, sine fine uel modo rẽ* Romanam *inrequietis motibus confundentes. Immanis enim natio iam inde ab incunabulis primis uarietate casuum imminuta, ita sæpius adolescit, ut fuisse longis sæculis æstimetur intacta. Sedúque consilia alia post alia imperatori probanti,* Burgundios *in eorum excitari pernicie, bellicosos & turbæ immensæ uiribus affluentes, ideóque metuendos finitimis uniuersis. Scribebátque frequẽter ad eorum reges per taciturnos quosdam & fidos, ut ijsdem tempore præstituto superuenirent, pollicitus ipse quoque transito cum agminibus* Romanis *Rheno occurrere paucis, pondus armorum uitantibus insperatum. Gratanter ratione gemina principis acceptæ sunt literæ: prima, quod*

iam inde tęmporibus priſcis, ſobolem ſe eſſe Romanã Burgundij ſciunt: deim, quòd ſalinarũ finiũmque cauſa Alemannis ſæpe iurgabant, cæteruas muſere lectiſſimas: quæ antęquam miles cõgregaretur in unum, aduſque ripas Rheni progreſſæ, imperatore ad extruẽda munimẽta diſtricto, tęrrori noſtris fuere uel maximo. Igitur pauliſper morati, cum neque Valentinianus ut ſpoponderat, die prædicto ueniſſet, nec promiſſorum aliquid aduerterent factum, ad comitatum muſere legatos, poſcentes adminicula ſibi dari redituris ad ſua, ne nuda hoſtibus exponerent terga. Quod ubi negari per ambages ſentirent, & moras nectí, exinde diſceſſerũt indignati. Hócque cõperto reges ut ludibrio habiti, ſęuientes captiuis omnibus interfectis genitales repetunt tęrras. Apud hos generali nomine rex appellatur Hendinos: & ritu ueteri poteſtate depoſita remouetur, ſi ſub eo fortuna titubauerit belli, uel ſegetum cõpiã negauerit terra: quemadmodũ ſolent AEgyptij caſus eiuſmodi adſignare rectoribus. Nam ſacerdos apud Burgundios omnium maximus uocatur Siniſtus, & eſt perpetuus, obnoxius diſcriminibus nullis ut reges. Per hanc occaſionẽ impendio tęmpeſtiuam, Alemannos gentis antędictæ metu diſperſos aggreſſus per Rhetias Theodoſius ea tęmpeſtate magiſter equitum, pluribus cæſis quoſcunque cępit ad Italiam iuſſu principis miſit: ubi fertilibus agris accęptis iam tributarij circuncolunt Padũ. Hinc tanquam in orbem migrantes alium, ad Tripoleos Africanæ prouinciæ ueniamus ærumnas, quas ut arbitror Iuſtitia quoque ipſa defleuit: quæ unde inſtar exarſere flammarum tęxtus aperiet abſolutus. Auſturiani his contęrmini partibus barbari, in diſcurſus ſemper expediti ueloces, uiueréque adſueti rapinis & cædibus, pauliſper pacati in geminos tur-

bines reuoluti sunt, hanc causam prætendentes ut seriam. Stachao quidam nomine popularis eorum, nostra peragrando licentius, agebat quædam uetita legibus: inter quæ illud potius eminebat, quòd prouinciam omni fallaciarũ uia prodere conabatur, ut indicia docuere uerissima: quocirca supplicio flammarum absumptus est. Huius necem ulciscì, ut propinqui damnatique iniuste causantes, ferarũ similes rabie concitarum exiluere sedibus suis, Iouiano etiam tum imperante: ueritique prope Leptim accedere, ciuitatem muris & populo ualidam, suburbano eius uberrimo insidere per triduum. mactatisq; agrestibus, quos inopinus hebetauerat pauor, uel confugere cœgerat ad speluncas, incensa supellectili multa quæ uehi non poterat, auctì rapinis reuertèrunt ingentibus, trahẽtes captiuum Siluam quoque casu in agro inuentum, ordinis sui primatem. Hac subita clade Leptitani perterriti, ante incrementa malorum quæ intentabat barbaricus tumor, præsidium implorauere Romani comitis per Africam recens prouecti. Qui cum uenisset militares copias ducens, ferréque opẽ rebus rogaretur adflictis, nonnisi abundanti commeatu adgesto, & camelorum quatuor milibus apparatis, castra firmabat esse moturum. Hócque responso miserandis ciuibus stupefactis, atque negantibus sufficere se posse post uastationes & incendia enormibus instrumentis remedia quærere damnorum immanium, dissimulãter diebus ibi quadraginta consumptis, nullo tentato idem discesserat comes. Qua spe Tripolitani frustrati, formidantésque extrema, adlapso legitimo die cõcilij, quod apud eos est annuũ, Seuerum & Flaccianum creauere legatos, Victoriarum aurea simulacra Valentiniano ob imperij primitias oblaturos: útque lachrymosas prouinciæ ruinas docerent im-

trepide. Quibus compertis Romanus, misso equite uelocissimo magistrum officiorum petit Renugium, adfinem suum, uel rapinarum participem, ut prouideret imperatoris arbitrio cognitionem huius negotij uicario sibi deferri. Venerunt in comitatum legati, aditóque principe, uerbis quæ perpessi sunt ostenderunt: obtulerunt decreta textum continentia rei totius. quibus lectis, cum neque relationi officiorum magistri fauctis Romani flagitijs, nec contraria referentibus crederetur, promissa disceptatio plena dilata est eo more, quo solent inter potiorum occupationes ludi potestatis excelsæ. Dum remedia quædam à commilitio principis expectantur, suspensis Tripolitanis diúque anxijs, rursus globi superuenere barbarici, fiducia sublati præteritorum: Leptitanóque agro & Eensi interniciua populatione transcursis, expleti prædarum acruis ingentibus absceſſerunt, occisis decurionibus multis: inter quos Rusticanus sacerdotalis, & Nicasius enitebat ædilis. Hæc autem eruptio ideo arceri non potuit, quòd ad legatorum preces negotiorum quoque militarium cura præsidi delata Ruricio, mox translata est ad Romanum. Et iam recēs inflictæ cladis nuntius, missus ad Gallias, excitauit acrius principē. ideóque tribunus & notarius Palladius uittitur, ut & militi dispersо per Africā præberet stipendiū debitū, & gesta per Tripolim fide cōgrua scrutaretur. Inter tales tamen consulēdi moras, expectandíq; respōsa, Austuriani successu gemino insolētes, ut rapaces alites aduolarūt, irritamento sanguinis atrocius efferatæ: cunctisq; nisi quos fuga discriminibus eximeret interēptis, prædas quas antehac reliquerant, auexerūt, arboribus exectis & uitibus. Tunc Mychon quidā nobilis oppidanus & potens, captus in suburbano, lapsúsque antequam uinciretur, quia

pedibus æger euadere penitus uetabatur, in puteum aquis uacuum sese coniecit. unde costa diffracta leuatus à barbaris, ductúsque prope portas, coniugis miseratione redemptus est: & ad minas muri funè sublatus, post biduũ interijt. unde elati in pertinaciam sæuissimi grassatores, ipsa pulsauere mœnia Leptitana, funestis plãgoribus resonantia fœminarum: quas nunquam antea hostiliter clausas pauor exanimabat insolitus. obsessáque urbe per octo continuos dies, cum quidam oppugnatores sine ullo uulnerarentur effectu, redierunt ad propria tristiores. Ob quæ super salute dubij ciues, ultimáque tentantes, profectis antè legatis nondum reuersis, Iouinum mittunt atque Pancratium, quæ uiderint, quæ ipsi perpessi sint, imperatorem fida relatione docturos. qui Seuerum apud Carthaginem inuentum & Flaccianum, superiores illos legatos, percontando quid egerint, cognouerunt eos audiri à uicario iussos & comite. è quibus Seuerus illico perijt uexatus acerbitate morborum. nihilominus tamen properarũt ad comitatum magnis itineribus antedicti. Ingresso post hæc Palladio Africam, Romanus quas ob res uenerat antè præstructus, ut securitatem suam in tuto locaret, numerorum principijs per quosdam secretorum mandauerat conscios, ut ei tanquã potenti & palatij summatibus proximo, sh pẽdij quod pertulerat præstarent maximam partẽ. & ita est factum. confestimque ille ditatus perrexit ad Leptim: útque ad ueritatis peruenirет in dagnem Erechthiũ & Aristomenem facundos municipes & insignes, libere suas ciuitátmque & finitimorũ retexentes ærũnas, ad loca uastata secũ eduxit. Quibus aperte cuncta monstrãtibus, luctuosis prouinciæ ciuibus iusis reuertit, Romanúmque ut desidem increpans, relaturũ se cuncta uerissime quæ uiderat minabatur

ad principem. Atque ille ira percitus & dolore, se quoque mox referre firmauit, quòd missus ut notarius incorruptus, donatiuum militis omne in quæstus auerterit proprios: qua gratia, flagitiorum arbitra conscientia, cum Romano demde Palladius concordabat: reuersúsque ad Comitatum arte mendaciorum impia Valentinianum fefellerat, Tripolitanos frustra queri commemorans. Ideóque rursus ad Africam cum Iouino postremo omnium legatorum remittitur (Pancratius enim decesserat apud Treueros) ut cũ uicario ipse merita legationis quoq; secũdæ spectaret. Præter hæc linguas Erechthij & Aristomenis præcidi iusserat imperator, quos inuidiosa quædam locutos idẽ Palladius intimarat. Secutus ut statutum est uicarium notarius uenit ad Tripolim. Hócque comperto Romanus domesticum suum illuc uolucriter misit, & Cæcilium consiliarium in ea prouincia genitum: per quos incertum pretio an fallacijs circumuenti, municipes omnes grauabant Iouinum, destinatius adserentes nihil eorum mandasse quæ docuerat principem, eo usque iniquitate grassante, ut ipse quoque Iouinus ad salutis suæ discrimen confiteretur se imperatori mentitum. Quibus per Palladium regressum cognitis Valentinianus ad acerbitatem procliuior, Iouinum quidem ut autorem, Cælestinum uero Concordiúmque & Lucium ut falsi conscios & participes, puniri supplicio capitali præcepit, Ruricium autem præsidem ut mendacem morte multari: hoc quoque accedente, quòd in relatione eius uerba quædam ut uisum est immodica legebantur. ac Ruricius quidem apud Sitisim cæsus: reliqui apud Vticam sententia uicarij Crescentis addicti. Flaccianus tamẽ ante legatorum interitum, cum à uicario audiretur & comitæ, constanter saluti suæ propugnans, adclamationibus iratorum mili-

tum impetúque cum conuitijs penè confossus est, obijcientiũ ideo Tripolitanos *non potuisse defendi, quòd ipsi ad expeditionales usus præbere necessaria detrectarũt: & ob hæc trusus in carcerem, dum consultus super eo quid conueniret agi decerneret imperator, sollicitatis ut dabatur opinari custodibus, in urbem* Romam *abierat profugus: ibíq; delitescens fatali lege decessit. Hoc memorãdo fine externis domesticísq; cladibus uexata conticuit* Tripoli*s non indefensa: quia uigilauit Iustitiæ oculus sempiternus, ultriésque legatorum & præsidis diræ. Diu enim postea huiusmodi casus emersit. Solutus sacramento* Palladius, *destitutísque fastu quo tumebat, discessit ad otium. Et cum* Theodosius *ductor exercituum ille magnificus, oppressurus Firmum perniciosa cœptantem uenisset in Africam, & præscripti* Romani *rem mobilẽ, ut iussum est, scrutaretur, inter chartas eius inuenta est & Meterij cuiusdam epistola, id continens:* Domino patrono Romano Meterius. *& in fine post multa nihil ad rem pertinentia: Salutat te* Palladius *proiectitius, qui non aliam ob causam dicit se esse proiectum, nisi quòd in causa* Tripolitanorũ *apud aures sacras mentitus est. His literis ad comitatum missis & lectis,* Valentiniani *iussu* Meterius *raptus suam esse confitetur epistolã: ideóque* Palladius *exhiberi præceptus, cogitans quas criminum coxerit moles, in statione primis tenebris obseruata custodum absentia, qui festo die* Christiani *ritus in ecclesia pernoctabant, innodato gutture laquei nexibus interijt. Hoc fortunæ secundioris indicio plene comperto, deletóque tristium concitore turbarum, exiluerũt* Erechthius *&* Aristomenes *è latebris: quicum sibi iussas abscidi linguas didicissent, ut prodigus, ad longe remota declinarunt & abdita. Doctóque super nefanda fraude* Gratiano

imperatore fidentius (Valentinianus enim obierat) ad Hesperium proconsulem & Flauianum uicarium audiendi sunt missi. quorum æquitas autoritatæ mixta iustissima, torto Cæcilio, aperta confessione, cognouit ipsum suasisse ciuibus, grauarent mentiendo legatos. Hæc acta secuta est relatio gestorum pandens plenissimam fidem, ad quam nihil responsum est. Et nequid cothurni terribilis fabulæ relinquerent intentatum, hoc quoque post depositum accessit aulæum. Romanus ad comitatum profectus secum Cæcilium duxit, cognitores accusaturum ut inclinatos in prouinciæ partem. Isque Merobaudis fauore susceptus, necessarios sibi plures petierat exhiberi. Qui cũ Mediolanum uenissent, frustráque se tractos obsimulatis documentis probabilibus ostendissent, absoluti redierunt ad lares. Valentiniano tamen superstite, post superiora quæ narrauimus, Remigius quoque digressus ad otium laqueo uitam elisit, ut congruo docebimus loco.

AMMIANI MARCELLINI RERVM GESTARVM LIB. XXIX.

EXACTA *hyeme rex Persarũ gentis Sapor, pugnarũ fiducia pristinarũ immaniter arrogans, suppleto numero suorum, abundéque firmato, erupturos in nostra cataphractos & sagittarios & cõductiũ misit plebẽ. Contra has copias Traianus comes, & Vadomarius ex rege Alemannorum cum agminibus perrexere perualidis, hoc obseruare principis iussu adpositi, ut arcerent potius quàm laæsserent Persas. Qui cum uenissent Vagabanta legionibus nobilem locum, rapidos turmarum*

procursus hostilium in se ruentium acriter excæperunt inuiti: operáque consulta retrocedentes, ne ferro uiolarent aduersorum quenquam primi, & iudicarentur discissi fœderis rei, ultima trudente necessitate congressi sunt: confossisque multis discessere uictores. Inter moras tamen utrimque secus tentatis aliquotiens leuibus prælijs, uarióque finitis euentu, pactis induciis ex consensu, æstatéq; consumpta, partium discessere ductores etiam tum discordes. Et rex quidem Parthus hyemem Ctesiphonte acturus redijt ad sedes, & Antiochiã imperator Romanus ingressus. Qui dum ibi moratur securus interim hostium externorum, intestinis penè perierat fraudibus, ut aperiet series dilata gestorum. Procopius quidam inquies homo, turbarum cupiditati semper addictus, Anatolium detulerat & Spudasium palatinos, exigi quæ de ærario intercæperant iussos insidiari comiti Fortunatiano, molesto illi flagitatori. qui à nimia asperitate confestim ad insanum pertinax modũ, pro potestatis autoritate quã regebat, Palladiũ quendã obscurissime natum ut ueneficũ à memoratis conductum, & Heliodorum fatorũ per genituras interpretem, adigendos prodere quæ scirent, prætorianæ iudicio tradidit præfecturæ. Cúmque ad facti uel tentati quæstionẽ acrius uniretur, exclamat Palladius confidẽter, leuia hæc esse de quibus agitur & prætereunda: alia se, si licuerit dicere, monstraturũ metuenda & potiora: quæ ingenti molimine iam perstructa, nisi prospectum fuerit, uniuersa confundent. Iussúsque docere fidenter quæ norat, rudentẽ explicuit immensum: adfirmãs Fidustiũ præsidalẽ & cum Irenæo Pergamiũ nomẽ imperaturi post Valentẽ detestandis præsagijs didicisse secretim. Et correptus Fidustius illico, (nanque aderat forte) occultéque inductus, uiso indice nul-

la inficiatione obũbrare iam publicata conatus, rei totius calamitosum aperit textum: absolute confessus se cum Hilario patricio uaticinandi peritos, *quorũ* Hilarius *militauerat in palatio, de imperio consuluisse futuro: motásque secretis artibus sortes, & nuncupationem principis optimi, & ipsis consultoribus luctuosos exitus prædixisse. atque cũctantibus quisnam ea tempestate omnibus uigore animi antistaret, iussus est alijs excellere* Theodorus, *secundum inter notarios adeptus iam gradum.* Et erat reuera ita ut opinati sunt. Nanque antiquitus claro genere in Gallijs natus, & liberaliter educatus à primis pueritiæ rudimentis, modestia, prudentia, humanitate, gratia, literis ornatissimus, semper officio locóque quem retinebat superior uidebatur, altis humilibúsque iuxtà acceptus. solúsque penè omnium erat, cuius linguam non infrenem sed disficientẽ quæ loqueretur, nullius claudebat periculi metus. His addebat idem Fidustius, excarnificatus iam ad interitum, omnia quæ prædixit se indicante Theodorum per Euserium didicisse, uirum præstabili scientia literarum abundéque honoratum. Asiam quippe paulo antè rexerat pro præfectis. Quo in custodia condito, gestorúmque uolumine imperatori recitato de more, prodigiosa feritas in modum ardentissimæ facis fusius uagabatur, elata turpi adulatione multorum, maximéque omniũ præfecti prætorio tunc Modesti. Qui dum formidine successoris agitaretur, indies obumbratis blanditiarum concinnitatibus cauillando Valentem subrusticum hominem sibi uarie commulcabat, horridula eius uerba & rudia flosculos Tullianos appellans, & ad extollendam eius uanitiem sidera quoque si iussisset exhiberi posse promittens. Igitur & Theodorus à Constantinopoli, quam ex negotio familiari petie-

rat, rapi celeri iubetur effectu. & dum ille reducitur, ex praeiudicijs uarijs quae diebus exercebantur & noctibus, plures à disiunctissimis regionibus trahebantur, dignitatibus & nobilitate conspicui. Cúmque nec carceres publici iam distenti, inclusorum iam cateruas, nec priuata domicilia sustinerent, constipatione uaporata confertas, quoniam uinculis maxima pars eorum attinebatur, & suam & proximi uicem omnes horrebant. Aduenit aliquando tamen ipse quoque Theodorus *praemortuus & atratus: quo in deuia parte territorij abscondito, paratis omnibus quae indagines futuraè poscebant, mternárũ cladum litui iam sonabãt. Et quia fallere ~~non minus~~ uidetur qui gesta praeterit sciens, quàm ille qui nunquam facta fingit: non abnuimus (neq; enim ambigitur) salutem* Valentis *& antea sæpius per occultas coitiones, & tunc in extrema demersam: ferrúmque ad iugulum eius propè adactum à militaribus, fato reluctante depulsum: quem lachrymosis in* Thracia *discriminibus destinarat. Nanque & in nemoroso quodam inter* Antiochiam *&* Seleuciam *loco, leni quiete post meridiem consopitus, à* Sallustio *tunc* Scutario, *& sæpe aliâs appetitus insidiantibus multis, uitae terminis à primigenio ortu adscriptis ausa immania fraenantibus, euadebat: ut sub principibus* Commodo *&* Seuero *nonnunquam accidebat. Quorum summa ui salus crebro oppugnabatur: adeo ut post intestina pericula multa & uaria, alter in amphitheatrali cauea, cum adfuturus spectaculis introiret, à* Quintiano *senatore inlicitae cupidinis homine ad debilitatem penè pugione uulneraretur: alter inopinabili impetu, tempore aetatis extremo à* Saturnino *centurione consilio* Plautiani *praefecti in cubiculo iacens confoderetur, ni tulisset suppetias filius adule-*

ſcens. Quocirca etiam Valens erat uenia dignus, uitam quam ereptum ire perfidi properabant, omni cautela defendẽs. Sed inexpiabile illud erat, quòd regaliter turgidus, pari eodémque iure, nihil intẽr ſe diſtantibus meritis, nocentes innocẽtésque maligna inſectatione uolucriter perurgebat: & dũ adhuc dubitaretur de crimine, imperatore non dubitante de pœna, damnatos ſe quidam prius diſcerent quàm ſuſpectos. Adoleſcebat autem obſtinatũ eius propoſitum, admouente ſtimulos auaritia & ſua & eorum qui tunc in regia uerſabantur, nouos hiatus aperientium, & ſi qua humanitatis fuiſſet mentio, rara, hanc appellantium tarditatem: qui cruentis adulationibus inſtitutum hominis mortem in acie linguæ portantis ad partẽ peſſimam deprauantes, omnia turbine intempeſtuo perflabant, euerſum ire funditus domus opulentiſſimas feſtinantes. Erat enim expoſitus accẽſu inſidiantium & recluſus, uitio gemino pernicioſe implicitus, quòd intolerantẽr iraſcebatur tunc magis cum eum puderet iraſci: & quæ facilitate priuati opertis ſuſurris audierat, an uera eſſent excutere tumore principis ſupersedens, pro ueris accipiebat & certis. Inde factum eſt ut clementiæ ſpecie penatibus multi protruderẽtur inſontes, præceps in exilium acti: quorum in ærario bona coacta, & ipſe ad quæſtus proprios redigebat: ut damnati cibo precario uictitarent, anguſtijs formidandæ paupertatis adtriti: cuius metu uel in mare nos ire præcipites ſuadet Theognis poeta uetus & prudẽs. Quæ etiamſi recta fuiſſe cõceſſerit quiſquã, erat tamẽ ipſa nimietas odioſa. Vnde animaduerſum eſt recte hoc definitũ, Nullam eſſe crudeliorẽ ſentẽtiã ea, quæ eſt cũ parcere uidetur aſperior. Igitur cũ præfecto prætorio ſummatib⁹ quæſitis in unũ, quibus cognitiones cõmiſſæ ſunt, intẽdũtur ecu

lei expediuntur pondera plũbea cum fidiculis & uerberibus. resultabant omnia truculentæ uocis horroribus, intercatenarum sonitus, tene, claude, comprime, abde, ministris officiorum tristium clamitantibus. Et quoniam addici post cruciabiles pœnas uidimus multos, ut in tenebrosis rebus confusione cuncta muscente, summatim quia nos penitissima gestorũ memoria fugit, quæ recolere possumus expeditius absoluemus. Primo introuocatu post interrogationculas leues Pergamius à Palladio, ut dictum est, proditus, quædam imprecationibus præscisse nefarijs, sicut erat impendio eloquentior & in uerba periculosa proiectus, inter ambigentes iudices quid prius quæri debeat quidúe posterius, dicere audacter exorsus, multa hominum milia quasi consciorum sine fine strependo fundebat, modò non ab extremo Atlante magnorum criminum arguẽdos poscens aliquos exhiberi. Quo, ut consarcinante nimis ardua, morte multato, alijsque gregatim post illum occisis, ad ipsius Theodori causam, quasi ad olympici certaminis puluerem peruenitur. Eodem die inter complura alia hoc quoque euenerat triste: quòd Salia thesaurorũ paulo antè per Thracias comes, cum de uinculis educitur audiendus, & calceo inserit pedẽ, quasi ruina incidẽtis immensi terroris repente perculsus, animam inter retinentium manus efflauit. Constituto itaque iudicio, & cognitoribus præscripta ostentantibus legum, sed ex uoluntate dominantis moderantibus momenta causarum, horror peruaserat uniuersos. Totus enim deuius ab æquitate dilapsus, iámque eruditior ad lædendum, in modum harenariæ feræ, si admotus quisquam fabricæ diffugisset, ad ultimam rabiem sæuiebat. Inducti itaque Patricius & Hilarius, ordinémque replicare iussi gestorum, cum inter exordia uariarent,

fodicatis lateribus inlato tripode quo utebantur, adacti ad summas angustias aperiunt negotij fidem, ab ipsis exordijs replicatam. Et *prior* Hilarius: *Construximus, inquit, magnifici iudices, ad cortinæ similitudinem* Delphicæ *diris auspicijs, de laureis uirgulis infaustam hanc mensulã quã uidetis: & imprecationibus carminum secretorum choragij'sque multis ac diuturnis ritualiter consecratam mouimus tandem. mouendi autem, quoties super rebus arcanis consulebatur, erat institutio talis. Conlocabatur in medio domus emaculatæ odoribus* Arabicis, *undique lanæ rotunda pure superposita, ex diuersis metallicis materijs fabrefacta: cuius in ambitu rotũditatis extremo elementorum uigintiquatuor scriptiles formæ incisæ peritæ, dijungebantur spatijs examinatæ dimensis.* Has *limteis quidam indumentis amictus, calceatúsque itidem limteis socis, torulo capite circunflexo, uerbenas felicis arboris gestans, litato conceptis carminibus numine præscitionum autore, cærimoniali scientia supersistit cortinulas, pensilem anulum librans artum ex carpathio filo perquàm leui, mysticis disciplinis initiatum: qui per interualla distincta retinentibus singulis literis incidens saltuatim, heroos efficit uersus interrogationibus consonos, ad numeros & modos plene conclusos: quales leguntur* Pythici, *uel ex oraculis editi* Branchidarũ. *Ibi tum quærẽtibus nobis, qui præsenti succedet imperio, quoniam omni parte expolitus fore memorabatur: adsiliens anulus duas perstrinxerat syllabas: & cum adiectione literæ postrema exclamauit præsentium quidam,* Theodorum *præscribentæ fatali necessitate portendi. nec ultra super negotio est exploratum: satis enim apud nos constabat, hunc esse qui poscebatur. Cúmque totius rei notitiam ita signatæ sub oculis iudicum subiecisset, adiecit beniuole, id*

Theodorum penitus ignorare. Post hæc interrogati, an ex fide sortium quas agitabant, ea præscierint quæ sustinerent: uersus illos notissimos ediderunt, clare pronuntiantes capitalem eis hanc operam scrutandi sublimiora cito futurā: nihilominus tamen ipsi quoque cum cognitoribus principi cædes mœndiáque flagitantes furias imminere: quorū tres ponere sufficiet ultimos.

οὐ μὴν ἀτίμητόνγε σὸν ἔστται αἷμα, καὶ αὐτοῖς
τισιφόνη βαρύμηνις ἐφοπάσασα κακὸν οἶτον
*αὐτίκα ἐν πεδίοις ἴμμαντος κατομένοις κάρ.

Quibus lectis, unguibus male multati separantur exanimes. Postea ut cogitati sceleris officina patēret aperta, honoratorum inducitur globus, uerticēs ipsos continens rerum. cūmque nihil præter se quisque cernens, ruinam suam impelleret super alium, permisso quæsitorum cœptans dicere Theodorus, primo in pacem uenialem prostratus, dein coactius respondere compulsus, ostendit re cognita per Euserium, ne ad Imperatorem referret, ut conatus est aliquoties ab eo prohibitum, adserente non appetitu regni occupandi inlicito, sed ratione quadam indeclinabilis fati, id quod sperabatur ultro uenturum. deinde hæc eadem Euserio sub cruenta quæstione confesso confutabant Theodorum literæ suæ, per ambages obliquas ad Hilarium scriptæ: quibus spe iam firma concepta ex uatibus, de re non cunctabatur, sed tempus patrandæ cupidinis quæritabat. Quibus post hæc cognita sequestratis, Eutropius Asiam proconsulari tunc obtinens potestate, ut factionis conscius arcessitus in crimen, abscessit innocuus, Pasiphilo eximente philosopho: qui ut eum mendacio iniusto peruertēret, crudeliter tortus, de statu robustæ mentis non potuit deturbari. His accessit

philosophus Simonides, adulescens ille quidem, uerum nostra memoria seuerissimus. Qui cum audisse negotium per Fistudium deferretur, & causam non ex ueritate, sed ex unius nutu pensari sensisset, didicisse se dixit prædicta, & commissa pro firmitate animi tacuisse. Quis omnibus perspicaciter inquisitis, imperator cognitorum consultationi respondens, sub uno proloquio cunctos iubet occidi: & uix sine animorum horrore funestum spectaculum multitudine innumera contuentes, & onerante questibus cælum (nanque singulorum mala omnium esse communia credebantur) ducti uniuersi flebiliter iugulantur præter Simonidem: quem solum sæuus ille sententiæ lator, efferatus ob constantiã grauem, iusserat flammis exuri: qui uitam ut domuam fugitans rabidam, ridens subitas momentorum ruinas, immobilis conflagrauit, peregrinum illum imitatus Protea cognomine philosophum clarum: qui cum mundo digredi statuisset, Olympiæ quinquennali certamine sub Græciæ conspectu totius, ascenso rogo quem ipse construxit, flammis absumptus est. Et post hunc diebus secutis omnium ferè ordinum multitudo, quam nominatim recensere est arduum, in plagas calumniarum coniecta percussorum dexteras fatigauit, tormentis & plũbo & uerberibus ante debilitata: sumptúmque est de quibusdam sine spiramento uel mora suppliciũ, dum quæritur an sumi deberet: & ut pecudum ubique truncidatio cernebatur. Deinde congesti innumeri codices, & aerui uoluminum multi, sub conspectu iudicum concremati sunt, ex domibus eruti uarijs ut inliciti, ad leniẽdam cæsorum inuidiam, cum essent plerique liberaliũ disciplinarum indices uariarum & iuris. neque ita multo post Maximus ille philosophus, uir ingẽti nomine doctrinarũ, cuius

ex uberrimis sermonibus ad scientiam copiosus Iulianus exstitit imperator, oraculi supradicti uersus audisse insimulatus: séque comperisse adsensus, sed reticenda professionis consideratione non effudisse, uerum ultro prædixisse consultores ipsos supplicijs pœnalibus perituros: Ephesum ad genuinam patriam ductus, ibique truncatus, sensit docetæ periculo postremo, quæsitoris iniquitatem omnibus esse criminibus grauiorem. Constrictus etiam Diogenes laqueis impiæ falsitatis, uir nobili prosapia editus, ingenio, facundia forensi, suauitatéque præstans, dudum Bithyniæ rector, ut opimum patrimonium eius diriperetur, capitali est pœna adfectus. Ecce autem Alypius quoque ex uicario Britanniarum, placiditatis homo iucundæ, post otiosam & repositam uitam, quoniam hucusque iniustitia tetenderat manus, in squalore maximo uolutatus ut ueneficij reus citatus est cum Hierocle filio adulescente indolis bonæ, urgente Diogene quodam & uili & solo, omníque laniena excruciato, ut uerba placentia principi, uel potius arcessitori loqueretur: quo cum pœnis non sufficerent membra, uiuo exusto, ipse quoque Alypius post multationem bonorum exulare præceptus, filium miserabiliter ductum ad mortem casu quodam prospero reuocatum recepit. Per id omne tempus Palladius ille coagulum omniũ ærumnarum, quẽ captum à Fortunatiano docuimus primum, ipsa sortis infimitate ad omnia præceps, clades alias super alias cumulando, lachrymis uniuersa perfuderat luctuosis. nanctus enim copiam nominandi sine fortunarũ distantia quos uoluisset ut artibus interdictis imbutos, ita ut ferarum occulta uestigia doctus obseruare uenator, multos intra casses lugubres includebat, quosdam ueneficiorum notitia polluros, alios ut appetitoribus imminuendæ conscios maie-

statis. Et ne uel coniugibus maritorum uacaret miseriàs flere, immittebãtur cõfestim qui signatis domibus inter scrutinia supellectilis pœnis addicti, incantamenta quædam anilia uel ludibriosa subderent amatoria, ad insontium perniciem concinnata: quibus in iudicio recitatis, ubi non lex, non religio, non æquitas ueritatem à mendacijs dirimebat, indefensi, bonis ablatis, nullo contacti delicto, promiscue iuuenes, alij'que membris omnibus capti ad supplicium sellis gestatorijs ducebantur. Inde factum est per Oriẽtales prouincias, ut omnes metu similium exurerent libraria omnia: tantus uniuersos inuaserat terror. Nanque ut expressius loquar, omnes ea tẽpestate uelut in Cimmerijs tenebris reptabamus, paria conuiuis Siculi Dionysij paustantes: qui cum epulis omni tristioribus fame saginarentur, ex summis domorum laquearijs in quibus discumbebant, setis nexos equinis & occipitijs incumbentes gladios perhorrebant. Tunc & Bassianus, procerum genere natus, notarius militans inter primos, quasi prænoscere altiora conatus, licet ipse de qualitate partus uxoris consuluisse firmaret, ambitioso necessitudinum studio quibus tegebatur mortæ ereptus, patrimonio opimo exutus est. Inter fragores tot ruinarum Heliodorus Tartareus ille malorũ omnium cum Palladio fabricator, mathematicus, ut memorat uulgus, colloquijs ex aula regia præpigneratus abstrusis, iã funebres aculeos excitabat, omni humanitatis inuitamento ad prodẽda quæ sciret uel fingeret lacessitus. nã & sollicitius cibo mũdissimo fouebatur, & ad largiẽdũ pellicibus merebat æs conlaticium graue, & incedebat passim elatæ os circunferens multuosum omnibus formidatus, ea fiducia sublatior, quòd ad lupanar, quod sicut ipse uoluit liberius seruabatur, cubicularijs officijs præpositus adsi-

due propalam uentitabat, elogia parentis publici perferens futura pluribus luctuosa: pérque eum ut forensium causarum patronum, quod in primis orationis partibus collocaret, ut profiere possit facilius Valens, quibúsue figurarum cõmentis splendida loca adtentare debeat, præmonebatur. Et quoniam longum est, quæ cruciarius ille conflauit, hoc unum edisseram, quanquam præcipiti confidentia patriciatus columina ipsa pulsauit. Qui ex clandestinis, ut dictum est, regiorum confabulationibus immaniter adrogans, & ipsa uilitate ad facinus omne uenalis, egregium illud par consulum Eusebium & Hypatiũ germanos fratres, Constantij principis quondam adfines, ad cupidinem altioris fortunæ erectos, & consuluisse & agitasse quædã super imperio detulit: addens itineri ad mendacium ficte constructo, quòd Eusebio etiam principalia indumenta parata sint. Quibus haustis auenter, fremebũdus & minax cui nihil licere debuerat, quia omnia sibi licere etiam iniusta existimabat, in remisse ab extremis regionũ interuallis exhibitis omnibus, quos solutus legibus accusator perduci debere profunda securitate mandarat, suscipi quæstionem criminose præcipit. Cúmque nodosis & artationibus, æquitate diu iactata nixus, adseueratione perditi nebulonis durante, nullã confessionem exprimere tormenta grauia potuissent, ablegatóque ab omni huiusmodi conscientia ueritas ipsa uiros ostenderet claros, calumniator quidem ita ut antea honorabiliter colebatur: illi uero exilio & pecuniarijs adflicti dispendijs, paulo postea reddita sibi mulcta sunt reuocati, dignitatibus integris & splendore. Nec tamen post hæc tam pœnitenda repressius actum est uel pudenter, non reputante alta nimium potestate, quòd recte institutis ne cum inimicorum quidem

incommodis in delicta conuenit ruere uoluntaria: nihilque sit tam iniquum, quàm ad ardua imperij supercilia, etiam acerbitatem naturæ adiungi. Sed Heliodoro *incertum morbo an aliqua excogitata ui mortuo (nolim dicere, utinam nec ipsa res loqueretur) funus eius per uespillones elatum pullati præcedere honorati complures, inter quos & fratres iussi sunt consulares. Ibi tunc rectoris imperij caries tota stoliditatis apertius est profanata: qui cum abstinere inconsolabili malo rogaretur, obnixe inflexibilis mansit: ut uideretur aures occlusisse ceris, quasi scopulos Sireneos transgressurus. Superatus tamen precibus destinatis, tandem nudatis capitibus infaustam bustuarij libitinam adusque sepulchrum incedentes pedibus, quosdam etiam complicatis articulis, præire mandauit. Horret nunc reminisci, qua iustitia humiliati tot rerum apices uisebãtur, & præcipue consulares, post scipiones & trabeas & fastorum monumenta mundana. Inter quos omnes adulescentia, & uirtutum pulchritudine commendabilis noster* Hypatius *præminebat, uir quieti placidique consilij, honestatem lenium morum uelut ad perpendiculum librãs: qui & maiorum claritudini gloriæ fuit, & ipse posteritatem mirãdis actibus præfecturæ geminæ decorauit. Accesserat hoc quoque eodem tempore ad* Valentis *cæteras laudes, quòd cum in alijs ita sæuiret infeste, ut pœnarum moras ægre ferret finiri cum morte,* Pollentianum *tribunum malitia quendam exuperantem, ijsdem diebus conuictum confessúmque, quòd execto uiuæ mulieris uentre atque intempestuo partu extracto, infernis manibus excitis de permutatione imperij consulere ausus est: familiaritatis eius intuitu ordine omni mussante abire iussit, imlæsum, saluũ & inuidẽdas opes, & militiæ statũ integrũ re-*

tenturum. O præclara informatio doctrinarum, munere cæleſti indulta felicibus, quæ uel uitioſas naturas ſæpe excoluiſti! quanta in illa caligine temporum correxiſſes, ſi Valenti ſcire per te licuiſſet, nihil aliud eſſe imperium, ut ſapientes definiunt, niſi curam ſalutis alienæ: bonique eſſe moderatoris, reſtringere potęſtatem, reſiſtere cupiditati omnium rerũ, & implacabilibus iracundiis: noſſęque, ut Cæſar dictator aiebat, miſerum eſſe inſtrumentum ſenectuti, recordationem crudelitatis: ideóque de uita & ſpiritu hominis, qui pars mundi eſt, & animantium numerum complet, laturũ ſententiam diu multúmque cunctari oportere, nec præcipiti ſtudio ubi irreuocabile factum eſt, agitari: ut exemplum eſt illud antiquitati admodum notum. Apud proconſulem Aſiæ Dolabellam Smyrnęa matęrfamilias filium proprium & maritum uenenis necaſſe confeſſa, quòd filium ex priore uiro ab eis occiſum comperiſſet, & comperendinata, cum conſilium ad quod ex more dilata eſt, anceps quid inter ultionem & ſcelus ſtatui debeat hęſitaret, ad Areopagitas miſſa eſt, Athenienſes iudices triſtiores: quorum æquitas deorum quoque iurgia dicitur diſtinxiſſe. Hi cauſa cognita, centeſimo poſt anno cum accuſatore mulierem adeſſe iuſſerunt, ne aut abſoluerent ueneficam, aut ultrix neceſſitudinum puniretur. ita nunquã tardum exiſtimatur, quod eſt omnium ultimum. Poſt commiſſa iniquitatibus uariis antedicta, & impreſſas fœde corporibus liberis quæ ſuperuixerant notas, inconniuens Iuſtitiæ oculus, arbiter & uindex perpetuus rerum uigilauit adtente. nanque cæſorum ultrices diræ, perpetuum numeratione querelarũ iuſtiſſima commouẽtę, Bellonæ accenderãt faces: ut fides oraculi firmaretur, quod nihil impune prædixerat perpetrari. Dũ hęc quæ ſupra digeſta ſunt

Antiochiæ Parthico fragore cessante per intestinas dilatantur ærumnas, cœtus furiarum horrificus post inconuolutos multiplices casus ab eadem urbe digressus, æruicibus Asiæ totius insedit hoc modo. Festinus quidam Tridentinus ultimi sanguinis & innoti, in nexum germanitatis à Maximino dilectus ut sodalis & cõtogatus, decernentibus fatis ad Orientem transgressus est: ibique administrata Syria, magisterióq; memoriæ peracto, bona lenitudinis & reuerentiæ reliquit exempla. unde regere Asiam proconsulari potestate exorsus, uelificatione tranquilla (ut aiunt) ferebatur ad gloriam. audiens autem Maximinum optimo cuique exitialem, obtrectabat subinde actibus eius, ut perniciosis & fœdis. Sed cum impie peremptorum exequijs suffragantibus ad præfecturam uenisse hominem comperisset immeritum, exarsit ad agenda sperãdáque similia: & histrionis ritu mutata repente persona, studio nocendi concepto, incedebat oculis intentis ac rigidis, præfecturam autumans adfore propediem, si se contaminasset insontium pœnis. Et quanquam sint multa & uaria, quæ ut leuius interpretemur, egit asperrime, pauca tamen dici sufficiet, quæ sunt nota ac peruulgata, ad æmulationem eorũ commissa quæ facta sunt Romæ. ratio enim eadem est ibi rectè secúsue gestorũ, etiamsi magnitudo desit dissimilis rerum. Philosophum quendam Cœranium, haud exilis meriti uirum, ea causa tormẽtorum immanitate inultum occidit, quòd ad coniugem suam familiariter scribens, id sermone addiderat Græco, σὺ δὲ νόει, καὶ σέφε τὴν τύλλη: quod dici prouerbialiter solet, ut audiens altius aliquid agendum cognoscat. Anum quandam simplicem, inueruallatis febribus mederi leni carmine consuetam, occidit ut noxiã, postquam filiam suam ipso conscio curauit acrita. In char

tis cuiusdam municipis clari, scrutari ex negotio iussis, genitura Valētis cuiusdam inuenta est: repellēnsque calumnias is cuius intererat, cum obiectaretur ei quamobrem constellationem principis collegisset, fratrem suum fuisse Valentem dudúmque obijsse documentorũ plena fide monstrare pollicitus, inexpectato ueritatis indicio laniatus, lacer trucidatus est. Visus adulescens in balneis admouere marmori manus utriusque digitos alternatim & pectori, septémque uocales literas numerasse, ad stomachi remedium prodesse id arbitratus, in iudiciũ tractus, percussus est gladio post tormenta. His & mihi uertētibus stilũ in Gallias confunditur ordo seriésque gestorũ, inter multa & sæua Maximinum reperiens iam præfectum: qui potestate late diffusa sæuum imperatori accesserat inītiuum, maiestati fortunæ miscenti licentiam grauem. Quisquis igitur dicta considerat, perpēdat etiam cætera que tacentur, ueniam daturus ut prudens, si non cūcta complectimur, quæ consiliorum prauitas crimina in maius exaggerendo commisit. Adolescēte enim acerbitate rationum inimica recturum, trux suopte ingenio Valētinianus, post eiusdem Maximini aduentũ nec meliora monente ullo nec retentēte, per asperos actus uelut æstu quodam fluctuum ferebatur & procellarum: adeo ut irascentis sæpe uox & uultus & incessus mutaretur & color. Quam rē indicia uaria testātur & certa, è quibus pauca sufficiet poni. Adultus quidam ex his quos pædagogianos appellāt, ad obseruandam uenaticiam prædā Spartanũ canem retinere dispositus, ante prædictum tēpus absoluit, assultu eius euadere conantis appetitus & morsu: ideóque necatus ad exitium fustibus, eadem humatus est die. Præpositũ fabricæ oblato thorace polito faberrime, præmiúmque ideo expectantem, ea

re præcepit occidi, quòd pōdus paulo minus habuit species ferrea quàm ille formarat. Constantianus strator, paucos militares equos ex his ausus mutare, ad quos probandos missus est in Sardiniam, eodem iubente lapidum ictibus oppetijt crebris. Athanasius fauorabilis tunc auriga, suspectus ei uulgari lentatæ, ut minus mœndi iuberetur, siquid tētasset huiusmodi, cuius non multo postea beneficijs usum ferebatur, nulla delata uoluptatum artifici uenia, ignibus aboleri præceptus est. Africanus causarum in urbe defensor assiduus, post administratam prouinciam ad regendam aliam adspirauit, cuius suffragatori magistro equitum Theodosio id petenti, subagresti uerbo responderat, Abi, inquit, comes: & muta ei caput, qui sibi mutari prouinciam cupit. & hoc elogio perijt homo disertus, ad potiora festinans ut multi. Claudium & Sallustium ex Iouianorū numero, adusque tribunatus dignitates progressos, accusabat quidam ulitatæ ipsa despectus, quòd cum imperiū Procopius affectasset, aliqua pro eo locuti sunt bona. Cumque nihil quæstiones reperirent, assidue mandare magistris equitum auditoribus primæps, ut agerent Claudium in exilium, & Sallustium pronuntiarent capitis reum. pollicitus quòd cum reuocabit ad supplicium raptum. hocque ita ut statutum est obseruato, nec Sallustius mortæ exemptus est, nec Claudius nisi post eiusdem Valentiniani obitum deportationis mœstitia liberatus. * cum illi sæpissime torquerentur. Replicatis igitur quæstionibus dense, & quibusdam ui tormentorum absumptis, ne uestigia quidem ulla delatorum reperta sunt criminum. In hoc negotio protectores ad exhibendas missi personas, dicuntur fustibus præter solitū usi. Horrescat animus omnia recensere, simulque reformidat, ne professo quæsisse

uideatur in uitia principis aliàs commodissimi. Illud tamen nec praeteriri est aequum nec sileri, quòd cum duas haberet ursas saeuas hominum ambestrices, Micam auream & Innocentiam, cura agebat enixa ut earum caueas prope cubiculum suum locaret, custodésque adderet fidos uisuros sollicite ne quo ea superarum debetur luctificus calor. Innocentiam deniq;, post multas quas eius laniatu ca dauerũ uiderat sepulturas, ut benemeritã in syluas abire dimisit innoxiam. Et haec quidem morũ eius & propositi cruenti sunt documenta uerissima: solertis uero circa Rempub. nusquam digredientis * è speculis siquis hostiũ se cõmouisset desuper uisus obruebatur. Agitabatur autem inter multiplices curas id omnium primum & potissimum, ut Macrianum regem auctum inter mutationes crebras successionum, iámque in nostros adultis uiribus exurgentem ui superstitem raperet uel insidijs, ut multo ante Vadomariũ Iulianus. & praeuisum negotium posebat & tempus. cognitóque transfugarũ indicijs, ubi comprehẽdi nihil operiens poterit antedictus, tacite quantũ concessit facultas, nequi cõserendo officeret põti, iunxit naubus Rheni. Et antegressus cõtra Mattiacas aquas primus Seuerus, qui pedestrẽ curabat exercitũ, perpensa militum paucitate territus stetit, timens ne resistere nequẽs inruenti, opprimeretur hostiliũ agminum mole. & quia suspicabatur uenalia ducentes mancipia scurras, casu illic reperitos, id quod uiderant excursu celeri nunciare, cunctos mercibus direptis occidit. A duentu itaque plurium copiarum animati iudices, castrisque ad tempus breuissimum fixis, quia nec sarcinale iumentum quisquam nec tabernaculũ habuit praeter principem, cui tapetes suffecerant pro tentorio, parũper ob tenebras morati nocturnas, exiliente lu-

na procincti pergebāt ulterius itinerū gnari ★ tempore iacerat, extēto strepitu suorum est impeditus: quibus assidue mandans ut mœndijs & rapinis abstinerent, impetrare non potuit. Ignitum enim crepitu dissonísque clamoribus satellites exciti, idque quod acciderat suspicati, carpento ueloci impositum regem angusto aditu circunfractis collibus abdiderunt. Hac Valentinianus gloria defraudatus, nec sua culpa, nec ducum, sed intēperantia militis, quæ dispendijs graūibus sæpe rem Romanam afflixit, adusque quinquagesimum lapidem terris hostilibus inflammatis, redijt Treueros mœstus. Vbi tāquam leo, ob ceruum amissum uel capream, morsus uacuos concrepans, dum hostiū disiecta frangeret timor, in Macriani locum Bucinobantibus quæ contra Mogontiacum gens est Alemanna, Fraomarium ordinauit: quem paulo postea, quoniam recēs excursus eūdem penitus uastauerat pagum, in Britanniam translatum potestate tribuni Alemannorum præfecerat numero, multitudine uiribúsque ea tempestate florenti. Bitheridum uero & Hortarium nationis eiusdem primates itē regere milites iussit. è quibus Hortarius proditus opera Florentij Mogontiaci ducis, contra Remp. quædam ad Macrianum scripsisse barbaróque optimates, ueritate tormentis expressa conflagrauit flamma pœnali. Abhinc inter ★ ★ proxima hæc narratione disseri continua placuit, ne dum negotijs longe discretis & locis alia subseruntur, cognitio multiplex necessario confundatur. Nubel uelut regulus per nationes Mauricas potētissimus, uita digrediēs, & legitimos & natos è concubinis reliquit filios: è quibus Zamma comiti nomine Romano acceptus, latēter à fratre Firmo peremptus, discordias excitauit & bella. eius enim necem ulcisci impensiore studio properans co-

mes, ad insidiatoris perniciem multa ciebat & formidan da. útque rumores distulerũt assidui, nauabatur opera diligens in palatio: Romani *quidẽ relationes, multa & aspera congerẽtes in* Firmum, *libenter suscipi, recitarique principi, in earum fauorem concinentibus multis: ea uero, quæ cõtrà* Firmus *salutis tuẽdæ gratia docebat crebro per suos, accepta diutius occultari:* Remigio *tunc officiorũ magistro, affine amicóque* Romani, *inter potiores imperatoris necessitates hæc uelut minima & superflua nonnisi opportune legi posse asseuerante. quæ cum ad obruendam defensionem suam agitari aduerteret* Maurus, *ultimorũ metu iam trepidans, ne amandatis quæ prætendebat, ut perniciosus & contumax condemnatus occideretur, ab imperij ditione desciuit, & adiumenta * tium ad uastand * hostis implacabilis incrementis uirium adolescæret, ad abolẽdum cum comitatẽsi auxilio militis pauci* Theodosius *magister equitum mittitur: cuius uirtutes in impetrabiles ea tempestate præ cæteris uiuebãt,* Domitij Corbulonis *&* Dusij *ueterum similimi: quorũ prior sub* Nerone, *alter* Traiano *rem regente* Romanam, *pluribus inclaruere fortibus factis.* Proinde *ab* Arelate *secũdis egressus auspicijs, emeatóque mari cum classe quam ductabat, nullo de se rumore prægresso defertur ad* Sitifensis Mauritaniæ *littus, quod appellant accolæ* Igilgitanum. *Ibíque inuentum casu* Romanum *leniter adlocutus, misit ad uigilias ordinãdas & prætenturas, parum super his quæ uerebatur increpitum. Quo ad* Cæsariensem *digresso,* Gildonem Firmi *fratrem & Maximũ misit correcturos* Vincentiũ: *qui curans* Romani *uicem, incuilitatis eius erat particeps & furtorum. Receptó itaque tardius milite, quem amplitudo morabatur maris,* Sitifim *properans* Romanum *cum domesticis custo-*

diendum protutoribus committi mandauit: agénsque in oppido sollicitudine diducebatur ancipiti, multa cum animo uersans, qua uia, quibúsue commétis per exustas caloribus terras prunas assuetum duceret militem: uel hostem caperet discursatorem & repentinum, insidij'sque potius clandestinis quàm præliorum stabilitatæ confisum. Quod ubi Firmo leui rumore, dein apertis est indicijs cognitum, spectatissimi ducis aduentu præstrictus, ueniam confessionis præteritorũ missis oratoribus poscebat & scriptis, docentibus eum non sponte sua ad id erupisse quod norat scelestum, sed iniquitate grassante licentius, ut monstrare pollicebatur. Quibus lectis, pacéque obsidibus acceptis promissa, dux ad recensendas legiones quæ Africam tuebantur ire pergebat ad Pancharianam stationem, quò conuenire præceptæ sunt. Ibi magnificis uerbis atque prudentibus spe cunctorum erecta, reuersus Sitifim cõciliato indigena milite cum eo quem ipse perduxerat, ægre perpetiens moras ad procinctus ire ocyus festinabat. Inter residua autem & clara id amorem eius auxerat in immensum, quòd à prouincialibus cõmeatum exercitui prohibuit dari, messes & condita hostium uirtutis nostrorum horrea esse fiducia memorans speciosa. His ita cum lætitia possessorum dispositis ad Tubusuptum progressus, oppidum Ferrato contiguum monti, legationem secundam Firmi repudiauit: quæ obsides, ut antè statutum est non duxerat secum. unde omnibus pro loco & tempore cautius exploratis, concito gradu Tyndẽsium gentem & Masinussensium petit, leuibus armis instructas, quas Mascizel & Dius fratres Firmi ductabant. cúmque essent hostes iam in conuitu membris omnibus æleres, post missilia hincinde crebrius iacta, committitur certamen asperrimum, intérque

gemitus, mortes & uulnera audiebatur barbarorum ululabilis fletus captorum & cæsorum: pugnáque dirempta plures agri populati sunt & mæsi. inter quos clades eminuere fundi Petrensis, *excisi radicitus: quem* Salmaces *dominus,* Firmi *frater, in modum urbis exstruxit. Hoc successu uictor elatus, mira uelocitate* Lamsorctense *oppidũ occupauit, inter gẽtes positum antedictas, ubi abunde rei cibariæ copiam condi effecit: ut si pergens interius alimentorum offendisset penuriam, iuberet è propinquo conuectari. Quæ dum ita procedunt,* Mascizel *reparatis uiribus nationum confinium adminicula ductans, conserta manu cum nostris, fusis è parte suorum pluribus, ipse equi pernicitate ægre discrimine mortis exemptus est.* Fessus *ærumnis gemuni prælij* Firmus, *imóque æstuans corde, nequid ultimæ rationis omitteret,* Christiani *ritus antistites oraturos pacem cum obsidibus misit. Qui quoniã susceptí lenius, pollicitíque uictui congrua militibus, ut præceptum est, læta retulere responsa, præmissis muneribus,* Maurus *ipse fidentius ad* Romanum *perrexerat ducem, equo insidens apto ad ancipites casus. cúmque prope uenisset, fulgore signorum & terribili uultu* Theodosij *præstrictus, iumento desilijt: curuatáque ceruice humi penè affixus, temeritatem suam flebiliter incusabat, pacem obsecrãdo cum uenia: susceptúsque cum osculo, quoniam id* Reipublicæ *conducebat, bonæ spei iam plenus, sufficientia præbuit alimenta: & quibusdam propinquis suis ad obsidum uicem relictis, abscessit, captiuos ut spopõderat redditurus, quos primis turbarum exordijs rapuit: biduóque post* Cosium *oppidum, cuius supra docuimus cõditores, militaria signa & coronam sacerdotalem cum cæteris quæ interceperat, nihil cunctatus restituit, ut præceptum est. Eximde cum discur*

sis itineribus magnis Tipasam *noster dux introiret, legatis* Mazicum, *qui se consociauerant* Firmo, *supplicitèr obsecrantibus ueniam, animo elato respondit: se in eos, ut perfidos, arma protinus commoturum. Quibus imminentis periculi metu defixis, reuertique iussis ad sua,* Cæsareã *ire tendebat, urbem opulentam quondam & nobilem, cuius itidem originem in* Africæ *situ digessimus plenè: eámque ingressus, cum omnem penè incendijs latè dispersis uidisset exustam, horridásque canicie siliçes, primam & secundam legionem ad tempus ibi locari disposuit, ut fauillarum egerentes aeruos, agitarent ibi præsidium, ne repetito barbarorũ impetu uastaretur. Quæ cum rumores ueri distulissent, prouinciæ rectores, tribunúsque* Vincentius *è latibulis quibus se commiserant egressi, tandem intrepidi ad ducem ocyus peruenerunt. Quibus ille gratanter uisis atque susceptis, agénsque etiã apud* Cæsaream, *fide rerum diligẽtius explorata, comperit* Firmum *per speciem fauẽtis & supplicis tectiore consilio id moliri, ut nihil hostile metuentem exercitum in modum tempestatis subitæ conturbaret. Quamobrem conuersus hinc uenit ad municipium* Sugabarritanum, Transcellensi *monti adclinue: ubi muentos equites quartæ sagittariorũ cohortis, quæ ad rebellẽ defecerat, ut contentum se supplicio leniori mõstraret, omnes contrusit ad infimum militiæ gradum: eósque, &* Constantianorum *peditum partem,* Tigauias *uenire iusserat cum tribunis: è quibus unus torquem pro diademate capiti imposuit* Firmi. *Dúmque hæc aguntur, reuertẽrũt* Gildo *&* Maximus, Bellen *è principibus* Mazicum *&* Fericium *gentis præfectum ducentes, qui factionem iuuerant quietis publicæ turbatoris.* * *

producerẽt uinctos. Quo ita ut statutum est facto, lucis pri-

mo exortu ipse egressus, cum inuenisset eos in exercitu circunseptos: Quid de istis nefarijs, inquit, proditoribus fieri oportere contubernales deuoti censetis? Secutúsque adclamationem rogantium sanguine uindicari, eos qui inter Constantianos merebant, prisco more militib. dedit occidẽdos: sagittariorum uero primoribus manus incidit, residuos supplicio capitali multauit, ad æmulationẽ Curionis acerrimi illius ducis, qui Dardanorum ferociam in modum Lerneæ serpentis aliquotiens renascentem hoc genere pœnarum extinxit. Sed obtrectatores maliuoli uetus factum laudantes hoc ut dirum uituperant & asperrimum, Dardanos hostes memorantes interneciuos, & iuste quæ sustinuere perpessos: hos uero subsignanos milites debuisse melius corrigi, ad unum prolapsos errorem: quos scientes fersitan admonemus, hanc cohortem & facto & exemplo aduersam, antedictos Bellen & Fericium, quos duxerat Gildo, tribunúmque sagittariorum Curandium ea re iussit occidi, quòd nec ipse unquam cum hostibus congredi uoluit, nec suos ut pugnarent hortari. Agebat autẽ hæc Tullianum illud aduertens, quòd salutaris rigor uincit manẽ speciem clementiæ. Exin profectus fundum nomine Gaionatis, muro circundatum ualido, receptaculum Maurorum tutissimum, arietibus admotis euertit: & cæsis omnibus incolis mœnibúsque complanatis, ad Tingitanum castellum progressus, per Ancorarium montem Mazices in unum collectos muasit, iam tela reciprocantes uolitantia grandinis ritu. Et cum esset utrinque discursum, agmina uirusarmisque incitata nostrorum non perferentes Mazices, licet belliosum genus & durum, diuersis stragibus implicati fœdo diffluxere terrore: ruentésque in fugam cæsi sunt, absque his qui reperta copia discedendi, supplicia precæ ue-

niam quam dari tempus flagitauerat, impetrarunt, Suggena eorũ ductore. * Romano successerat, in Sitifensem Mauritaniam ire disposito ad agitanda præsidia ne prouincia peruaderetur, ipse præteritis elatior casibus gẽtem petit Musonum: quam conscientia rapinarũ & cædũ actibus congregauerat Firmi, ut sperabatur maiora mox adepturi. Progressúsque aliquantum, iuxta Addense municipium comperit, dissonas cultu & sermonum uarietate nationes plurimas unum spirantibus animis immaniũ exordia concitare bellorum, adigente hortantéque maxima spe præmiorum sorore Firmi nomine Cyria: quæ abundans diuitijs, & destinatione fœminea, nisibus magnis instituit iuuare Germanum. Quocirca Theodosius ueritus ne Marti sese committeret impari, congressúsque multitudini immensæ cum paucis (tria enim milia ductabat atque quingentos) amittere uniuersos, mœr pudorem cedẽdi pugnandíque ardorem gradiens retro paulatim trudente pondere plebis absessit. Hócque euentu barbari nimium quantum * * & ad mœrnicionem perdiderat cunctos, ni gentium turbulenta concussio, procul Mazicum uisis auxilijs, quos anteibant quidam Romani, arbitrata in se impetum agminum ferri complurium, uersa impedes aperuisset nostris exitus antehac inteceptos. Exinde cum milites ducens mœlumes Theodosius ad fundum uenisset nomine Mazucanum, exustis desertoribus paucis, alijsque ad sagittariorum exemplũ, quibus manus ademptæ sunt, contruncatis, Tipatam mense Februario uenit. ubi diutius agens, ut antiquus ille cunctator pro negotio consultabat: cõmentis potius & prudentia, quàm periculosis congressibus, hostem pugnacem & impetrabilem iactu telorum, si fors copiam dederit, oppressurus. Mitte-

bat tamen adſidue ſuadendi quoſdam peritos ad gentes circunſitas, Baiuras, Cantaurianos, Auaſtomates, Caſaues, Dauareſque, & finitimos alios, nunc timore nũc promiſſis eos ad ſocietatem allicens, ueniámque petulantiæ interdum promittendo: per ambages & moras hoſtem frangentem ſuos impetus oppreſſurus, ut quondam Pompeius Mithridatem. *Qua cauſa declinans perniciem proximam* Firmus *licet præſidiorum magnitudine communitus, relicta plebe quam cœgerat magnam mercede, quoniam latendi copiam nocturna quies dedit,* Caprarienſes *montes longe remotos penetrauit, & diruptis rupibus inaccęſſos. cuius abitu clandeſtino multitudo diſperſa, ſine rectore particulatim diffluens, inuadendi eius caſtra noſtris copiã dedit. Hiſque direptis, & interfectis qui reſiſtebant uel in deditionem acceptis, regionum maxima parte uaſtata, gentibus per quas tranſibat dux conſultiſſimus adpoſuit fidei compertæ præfectos. Hac inopina ſequẽdi confidentia territus perduellis, ſeruis comitantibus paucis, digreſſu celeri conſulturus ſaluti, nequo præpediretur obſtaculo, abiecit pretioſarum ſarcinas ſpecierum, quas auexerat ſecum.* ✶ ✶ Theodoſius *nullique parcens, mundiore uictu ſtipendióque militæ recreato,* Caprarienſibus Abannúſque *eorum uicinis prælio leui ſublatis, ad municipium properauit enſe: ueriſque nuntijs doctus, barbaros occupaſſe iam tumulos per anfracta undique ſpatia in ſublime porrectos, nullique peruios niſi indigenis locorum perquàm gnaris, repedando dedit hoſtibus facultatem per inducias licet breues* AEthiopum *iuxta agentium adminiculis augeri uel maximis. Qui cæteruatis copijs fremitúque minaci ſine ſui reſpectu ruentes in pugnam, auerterunt eũ inæſtimabiliũ turmarum ſpecie dira perterrefactum. ſta-*

*timque redintegratis animis commeatus uehens abūde reuertit. & conglobatis suis, scutáque in formidabilem mouētibus gestum, controuersas ijsaem opposuit manus. Quanquam igitur immite quiddam barbaricis concrepātibus armis manipuli furentium imminebant, ipsi quoque parmas genibus illidentes: tamen ut pugnator ille cautus & prudēs miles, paucitate diffisus, audacter agmine quadrato mœdens, ad ciuitatem nomine Contensem flexit iter intrepidum * nostros Firmus ut in munimento abstruso locarat & cælo cunctisq; receptis, in proditores, satellitésque memorati animaduertit acriter, ut solebat. Hoc ei magni nominis adiumento gerenti prosperrime, uerus indicat explorator, confugisse ad Isaflensium populum Firmum. ad quem reposcendum una cum fratre Mazuca cæterísque necessitudinibus illuc ingressus, cum adipisci non posset, genti bellum indixit: & prælio atroci commisso, ferocientibus barbaris ultra modum aciem in rotundo habitu figuratam opponit. adeóque Isaflenses pondere cateruarum ingentium inclinati sunt, ut plurimi caderent: & ipse Firmus ferox & sæpe in suam perniciem præceps, equo auferretur in fugam, per saxa & rupes discurrere citius adsueto: Mazuca uero frater eius caperetur, letaliter saucius. Qui Cæsaream mitti dispositus, ubi sæua inusserat munimēta facinorū pessimorū, dilatato uulneris hiatu decessit. Caput tamen eius auulsum residuo corpore, cum magno uisentiū gaudio urbi illatū est antedictæ. Post hæc Isaflensiū gentem, quæ obstitit, superatam dux nobilis incōmodis multis, ut æquitas poscebat, adflixit. Ibi Euasium potentem municipem Florúmque eius filiū & quosdam alios, per secretiora consilia temeratorem quietis iussisse confutatos apertè, flammis absumpsit. Exindéque pergens in-*

terius, nationē Iubalenam spiritu adgressus ingenti, ubi natum Nubelem patrē didicerat Firmū, repulsus altitudine montiū & flexuosis angustijs stetit. & quamlibet facto in hostem impetu, pluribúsque peremptis, aperuerit uiam: formidans tamen sublimia collium ad insidiandum aptissima, ducens suos mœlumes reuertit ad Audiense castellum. ubi Iesalensium gens fera semet dedit, uoluntaria auxilia præstare spondens & commeatus. His & eiusmodi gloriosis actibus exultans amplissimus ductor, ipsum otij turbatorē petebat ualido uirium nisu: ideóque prope munimentum nomine Medianum diu consistens, per multas prudentésque sententiarum uias eundem sibi prodi posse sperabat. Hæcque cogitationibus anxijs altioréque prospiciens cura, rursus ad Isaflenses hostem comperit reuertisse: quos nihil moratus, ut anteà, agminibus adoritur concitatis. cui rex Igmazen nomine, spectatus per eos tractus, opibúsque insignis, progressus obuiā confidenter, Cuius loci es tu, inquit: uel quid acturus huc uenisti, responde. Quem Theodosius fundata mente intuens torum: Comes, ait, Valentiniani sum orbis terrarū domini, ad opprimendū latronē funereum missus: quem nisi statim reddideris, ut inuictus statuit imperator, peribis funditus cum gente quam regis. Quo audito Igmazen, post conuicia multa quæ congessit in ducem, ira doloréque perculsus abscessit. Et secutæ principio lucis, utrinque occursuræ sibi ad confligendum processerunt acies minacissime: & barbarorū uiginti penè milia in ipsis locata sunt frontibus occultatis ponè tergo subsidialibus globis, ut adsurgentes paulatim nostros multitudine clauderēt insperata. hisque Iessaleni auxiliares accessere quàm plures, quos adiumēta & commeatus nostris docuimus promisisse. contrà Romani quanuis admodum

pauci, tamen fortibus animis uictorijsque antegressis elati, densatis lateribus, scutisq; in testudinis formā cohærēter adaptatis, restiterunt gradibus fixis. & à sole orto usque diei extimum pugna protenta, paulo ante uesperam iusus est Firmus *equo cælsiori insidens, sago punicco porrectius panso, milites clamoribus magnis hortari, ut dedant* Theodosium *opportune, truculentum eum appellans & dirum & suppliciorum sæuum repertorem, si discriminibus eximi uellent quæ perferebant.* Hæ *insperatæ uoces ad dimicandum quosdam acrius incitarunt, alios deserere prælium inlexerunt.* Proinde *ubi noctis aduenit quies prima, partibus tenebrarum obuolutis errore, dux reuersus ad* Duodiense *castellum, militésque recognoscens, eos quos à pugnandi proposito pauor & uerba detorserant* Firmi, *diuerso genere pœnarū extinxit, alios adēptis dexteris, quosdam uiuos combustos. excubiásq; agens cura perui gili, barbarorum aliquos, ausos cum apparere non possent post oc casum lunæ castra sua tentare, fudit, uel inruentes audacius cepit.* Digressus *exinde passibus citis,* Iessalenses *ut ambiguæ fidei per tramites adortus obliquos, unde parum sperari potuit, ad penuriā uastauit extremam: pérq;* Cæsariensis Mauritaniæ *oppida reuersus sitisim,* Castorem & Martinianum, *rapinarum flagitiorúmque* Romani *participes, ad interitum tortos mœdit.* Redintegratur *post hæc cum* Isaflensibus *bellum: primóque conflictu barbarorum pluribus pulsis & interfectis, rex eorum* Igmazen *uincere antehac adsuetus, terrore fluctuans mali præsentis, nihilque commercijs uetitis ad uitam spei sibi restare si obstinatius egerit arbitratus, quantum caute fieri potuit & occultæ prorupit ex acie solus: uisúmque* Theodosium *supplicitér petijt, ut* Massilam Mazicum *optimatem ad se*

*uenire iuberet per quem ut rogauerat missum, clandestinis colloquijs monuit ducem suopte ingenio pertinacem, ut ad præbendam sibi copiã agendi quæ uellet, popularibus suis acriter immineret, eósque adsiduitate pugnandi mutaret in metum, prõptos quidem ad perduellis fauorem, sed iacturis multiplicibus fessos. Parui*t Theodosius *dictis: & crebritate certaminum Isaflenses ita protriuit, ut ijsdem labentibus more pecudũ, Firmus latenter euaderet, & auijs & diuturnis latebris amandatus, mihi dum de fuga consultat tentus ab Igmazene custodiretur. Et quoniam obscurius gesta didicerat per Masillam, in extremis rebus unũ remedium superesse contemplans, calcare uiuẽdi cupiditatem uoluntaria statuit morte: uinóque consultò distentus, & crapulentis silenti nocte oppressis altiore somno custodibus, peruigil ipse impendentis ærumnæ terrore, insonis gradibus relicto cubili manibus repens & pedibus longus sese discreuit: repertúmque funiculum, quem finiendæ uitæ parauere casus, de clauo parieti adfixo suspendit: ubi collo inserto, animam absque moris cruciabilibus exhalauit. Quod dolenter ferens Igmazen, interceptámque sibi gloriam gemens, quia nõ contigerat ad castra Romana uinctum ducere perduellem, interposita fide publica per Masillam, ipse camelo necati cadauer impositum ferens, cum tentoria exercitus aduentaret ad Subicarense castellum locata, in iumentum transtulit sarcinale, & Theodosio obtulit exultanti. Qui conuocatis armatis simul atq; plebeijs, interrogatísque an agnoscerent uultum, cum eiusdem esse sine ulla didicisset ambage, ibi paulisper moratus Sitifim triumphanti similis rediit, ætatum ordinúmq; omnium celebrabili fauore susceptus. Dum hoc puluere per Mauritaniam dux antedictus anhelat & Africam,*

Quadorum natio mota est, insultu repẽtino parum nunc formidanda, sed immensum quantum antehac bellatrix & potens, ut indicant properata: quoniam raptim obsessa ab ijsdem ac Marcomannis Aquileia diu, Opitergiúmque excisum, & cruẽta complura per æleres acta procinctus: uix resistentæ perruptis Alpibus Iulijs primiærio, quẽ antè docuimus, Mario. Et erat ut barbaris ratio iusta querelarum. Valentinianus enim studio muniẽdorum limitum glorioso quidem, sed nimio ab ipso principatus initio flagrans, trans flumen Histrum in ipsis Quadorũ terris, quasi Romano iuri iam uindicatis, ædificari præsidiaria castra mandauit: quod accolæ ferẽtes indigne, súique cautiores, legatione tenus interim & susurris arcebant. Sed Maximinus in omne auidus nefas, & genuinos mitigare nequiens flatus, quibus præfecturæ accesserat tumor, increpabat Equitium per Illyricum eo tempore magistrum armorum, ut peruicaciæ in & desidem, necdũ opere quod maturari dispositum est consummato: addebátque ut consulẽs in commune, quòd si paruo suo Marcelliano deferretur potestas per Valeriam ducis, munimentum absque ulla causatione consurgeret. Vtrunque mox est impetratum. Qui promotus profectúsque cum uenisset ad loca, intempestiue turgens ut filius, nullis adfatibus delinitis his, quos nunquã tentatæ cupiditatis figmenta regionum suarũ faciebãt extorres, opus pauloantè inchoatum adgreditur, admissa copia rogandi suspensum. Denique Gabiniũ regem nequid nouaretur modestæ poscentem, ut adsensurus humanitate simulata cum alijs ad conuiuium conrogauit: quem digredientem post epulas hospitales, officij sanctitate nefarie uiolata, trucidari securũ effecit. Cuius rei tam atrocis disseminatus rumor illico per diuersa, & Quados & gentes

circunſitas efferauit: regiſque flentes interitum in unum coactæ miſere uaſtatorias manus: quæ Danubium tranſgreſſæ cum nihil expectaretur hoſtile, occupatâ circa meſſes agreſtem adortæ ſunt plebem: maioréque partæ truncata, quicquid ſuperfuit domum cum multitudine uarij pecoris abduxerunt. Euenisſet profecto tunc inexpiabile ſcelus, numerandum inter probroſas rei Romanæ iacturas: paulo enim abfuit quin filia caperetur Conſtantij in publica uilla quam appellant Piſtrenſem, cum ducæretur Gratiano nuptura: ni fauore propitij numinis præſens Meſala prouinciæ rector iudiciali carpento impoſitam ad Sirmium uicesimo ſexto lapide diſparatum curſu reduxiſſet effuſo. Hoc caſu proſpero regia uirgine periculo miſeræ ſeruitutis exempta, cui niſi potuiſſet impetrari redemptio captæ, magnas muſſiſſet Reipublicæ clades: latius ſe cum Sarmatis Quadi pandentes, ad raptus & latrocinia gentes aptiſſimæ, prædas hominum uirilis & muliebris ſexus agebant, & pecorum: uillarum cineribus exuſtarum cæſorúmque incolentium exultantes ærumnis, quos nec opinantes ſine ulla parſimonia deleuerunt. Per omnia itaque propinqua malorum ſimilium diſperſa formidine præfectus prætorio agens tunc apud Sirmium Probus, nullis bellorum terroribus adſuetus, rerum nouarum lugubri uſu præſtrictus, oculóſque uix attollens, hærebat diu quid capeſſeret ambigens: & cum paratis uelocibus equis noctem proximam deſtinaſſet in fugam, monitus tutiore conſilio manſit immobilis. Didicerat enim omnes ſecuturos conſeſtim qui mœnibus claudebantur, tegendos latebris opportunis: quod ſi contigiſſet, impropugnata ciuitas ueniſſet in manus hoſtiles. Proinde parumper lenito pauore ad arripienda quæ urgebant acri animo adſurgens, arces ob

pacis diuturnitatē contemptas & subuersas, adusque cælsarum turrium minas expedit. studio ædificandi coalitus: hac ratione opere uelociter absoluto, quòd impensas ædificandi theatri causa dudum congestas, sufficientes ad id quod efficere maturabat inuenit. atque huic spectato consilio salutare addidit aliud: & sagittariorum cohortem ex statione proxima, adfuturam obsidio si uenisset, acciuit. his uelut obicibus barbari ab oppugnanda urbe depulsi, parum ad has calliditates dimicandi solertes, sarcinisque impediti prædarum, ad Equitij uertuntur indaginem. Et cum ad Valeriæ spatia longe remota secessisse, captorum didicissent indicijs, illuc properato pergebant gradu frendentes, hácque ex causa iugulo eius intenti, quòd per ipsum circumuentum regem existimabant insontem. Quibus concito cursu ruentibus infestius, obuiā legiones motæ sunt duæ, Pannonica & Mœsiaca, ualida prælijs manus: quæ si conspirasset, abierat procul dubio victrix. Sed dum discretim grassatores adoriri festinant, ortis inter se discordijs impediti de honore certabant & dignitate. Quo intellecto Sarmatæ sagacissimi, non expectato certandi signo solēni, Mœsiacam primam incessunt. dúmq; milites arma tardius per tumultū expediunt, interfectis plurimis aucti fiducia aciē perrupere Pannonicam: desiectámque agminis mole geminatis ictibus omnē penè delessent, ni periculo mortis aliquos citum extraxisset effugium. Inter hæc fortunæ dispendia tristioris, dux Mœsiæ Theodosius iunior, prima etiā tum lanugine iuuenis, princeps postea perspectissimus, Sarmatas liberos ad discretionem seruorum rebellium appellatos, conlimitia nostra ex alio latere inuadentes aliquotiens expulit & adflixit, congressibus densis adtritos: adeóque obsistentes fortissime

turbas confluentes oppressit, ut cæsorũ plurimum alites insite sanguineas satiaret & feras. unde residui tumore iam deflagrante metuentes, ne idem dux uirtutis ut apparuit expeditæ, in primo finiũ aditu incursantes cuneos sterneret aut fugaret, uel insidias per syluarum loca ret occulta, post multos perrumpendi conatus subinde tentatos mœssum, abiecta pugnãdi fiducia concessionem petiuere præteritorum & ueniã: utliq; ad tempus, indultæ fœderibus pacis nihil egere contrariũ, eo maxime timore perculsi, quòd ad tutelam Illyrici Gallicani militis ualidum accesserat robur. Dum hæc tot ac talia per turbines agitantur adsiduos, Claudio regente urbem æternam, Tiberis qui media interseccans mœnia cloacis & fluuijs abundãtibus multis Tyrrheno mari miscetur, effusione imbrium exuberãs nimia, & supra amnis speciem pãsus, omnia penè contexit: & stagnantibus ciuitatis residuis membris quæ tendũtur in planiciem molliorem, montes soli & quicquid insularũ celsius eminebat, à præsenti metu defendebatur. & ne multi media contabescerent, undarum magnitudine nusquã progredi permittentes, lembis & scaphis copia suggerebatur abunde ciborum. At uero ubi tempestas mollituit, & flumen retinaculis ruptis rediit ad solitum cursum, absterso metu nihil postea molestum expectabatur. Hic ipse præfectus egit admodum quietè, nullam seditionem super querela iusta perpessus: & instauraut uetera plurima. Inter quæ porticum excitauit ingentem, lauacro Agrippæ contiguam, Euentus boni cognominatam, ea re, quòd huius nomunis prope uisitur templum.

INTER has turbarum difficultates, quas Percha dux regę Quadorum excatauit occiso per sælus, dirũ in Oriente committitur facinus, Para Armeniorum regę clandestinis insidijs obtrũcato: cuius materiæ impio conceptæ consilio hanc primordialem fuisse nouimus causam. Consaranabant in hunc etiã tum adultum crimina quædam apud Valentem exaggerãtes male solertes homines, dispendijs sæpe communibus pasti. Inter quos erat Terentius dux demisse ambulãs, sempérque submœstus, sed quoad uxerat acer dissensionum instinctor. Qui adscitis in societatem gentibus paucis, ob flagitia sua suspẽsis in metum, scribẽdo ad comitatum adsidue Cylacis necem replicabat & Artabanis: addens eundem iuuenem ad superbos actus elatum, nimis esse in subiectos immanem. Vnde quasi futurus particeps suscipiendi tunc pro instantium rerum ratione tractatus, idem Para regaliter uocatus, & apud Tarsum Ciliciæ obsequiorum specie custoditus, cum neque ad imperatoris castra accipi, nec urgentis accessus causam scire cunctis reticentibus posset, tandem secretiore indicio comperit, per literas Romano rectori suadere Terentiũ, mittere propediem alterum Armeniæ regem: ne odio Paræ spéq; quòd reuertetur, natio nobis opportuna deficeret ad iura Persarũ, eam rapere ui uel metu, uel adulatione flagrantium. Quod reputans ille, impendere sibi præsagiebat exitium graue. Et doli iam prudens, neque aliam nisi cito discessu salutis reperiens uiam, suadẽtibus

his quibus fidebat, conglobatis trecentis comitibus secutis eum è patria cum equis uelocissimis, ut in magnis solet dubijsque terroribus audacter magis quàm considerate, pleraque diei partè emensa egressus cuneatim properabat intrepidus. Cúmque eum prouinciæ moderatoris apparitor qui portam tuebatur, percitus festinato studio reperisset in suburbanis, ut remaneret enixius obsecrabat: & parum hoc impetrato, mortis auersus est metu. nec minus paulo postea legionem secutam iámque aduentantem, ipse cum promptissimis retrorsus excurrens, fundénsque in modum scintillarum sagittas, sed uoluntate errans, in fugam compulit: ut cum tribuno milites uniuersi perterrefacti, uiuidius quàm uenerant remearant, ad muros. Exin solutus omni formidine biduo & binoctio exantlatis itinerũ laboribus magnis cum ad flumen uenisset Euphraten, *& inopia nauium uoraginosum amnem uado transire non posset, nandi imprudentia pauentibus multis ipse omnium maxime cunctabatur. & remansisset, ni cunctis uersantibus uaria id reperire potuisset effugium, in necessitatis abrupto tutissimum.* Lectulos *in uillis repertos binis utribus suffulserunt, quorum erat abundans prope in agris uinarijs copia: quibus singulis proceres insidentes & regulus ipse, iumenta trahentes, præruptos undarum occursantium fluctus obliquatis meatibus declinabant: hócque commento tandem ad ulteriorem ripam post extrema discrimina peruenerunt. Residui omnes equis inuecti natantibus, & circunluente flumine sæpe demersi iactatique, infirmati periculoso madore expelluntur ad contrarias margines: ubi paulisper refecti expeditius quàm diebus præteritis incedebant. Hoc nuntiato princeps antedicti fuga perculsus, quẽ elaquea-*

tum fidē rupturum existimabat, cum sagittariis mille succinctis & leuibus Danielum mittit & Barzimerem reuocaturos eum, comitem unum, alterum Scutariorum tribunum. Hi locorum gnaritate confisi, quòd ille properans ut peregrinus & insuetus meādros faciebat & gyros, compendiosis uallibus eius itinera præuenerunt: & diuisis inter se copijs, clausere uias proximas duas, triū milium interuallo distinctas: ut transiturus per utramuis, caperetur improuidus. sed euasit cogitatus hoc casu: Viator quidam ad citeriora festinans, cum cliuum armato militi indisset oppletum, per posterulam tramitem medium squalentem fructetis & sentibus uitabundus excedens, in Armenios incidit fessos: & ductus ad regem, arcano sermone solum quæ uiderat docet, ac retinetur intactus. Mōxque metu dissimulato eques mittitur clandestinus ad dextrum itineris latus, diuersoria paraturus & cibum: quo paulum progresso, in læuum tractum item alius talia facturus ire iubetur ocyssime, alterum aliorsum nesciens missum. Quibus ita utiliter ordinatis, rex ipse cum suis dumeta per quæ uiator uenerat relegens, eo ipso monstrātē, per hispidam & iumento onusto exiguam callem post terga relictis militibus euolauit: qui captis eius ministris, missis ad mentes obseruantium præstringendas, quasi uenaticiam prædam modo non porrectis manibus expectabant. Diūmque hi uenturum operiuntur, ille regno incolumis restitutus, & cum gaudio popularium summo susceptus, in eadem fidei certitudine mansit immobilis, iniurijs quas pertulerat omnibus demussatis. Danielus post hæc & Barzimeres cum lusi iam reuertissent, probrosis lacerati conuicijs ut inertes & desides, ut hebetatæ primo adpetitu uenenatæ serpentes, ora exacuere

letalia, cum primum potuissent lapso pro uirium copia nocituri: & leniendi causa flagitij sui, uel fraudis quam meliore consilio pertulerunt, apud Imperatoris aures rumorum omnium tenacissimas inaesebant falsis criminibus Param, inaentiones Circeas in uertendis debilitandisque corporibus miris modis eum callere fingentes: addentesque quod huiusmodi artibus offusa sibi caligine mutatus, uasorumque forma transgressus, tristes sollicitudines, si huic irrisioni superfuerit, excitabit. hinc in illum inexplicabile auctum principis odium: & doli struebantur in dies, ut per uim ei, uel clam uita adimeretur: agentique tunc in Armenia Traiano, & rem militarem curanti id secretis committitur scriptis. Qui inlecebrosis regem insidijs ambiens, & modo serenae mentis Valētis indices literas tradens, modo ipse sese eius conuiuijs ingerens, ad ultimum cōposita fraude ad prandium uerecundius inuitauit. Qui nihil aduersum metuēs uenit, concessoque honoratiore discubuit loco. cúmque adponerentur exquisitae cupediae, & aedes pulsu neruorum & articulato flatilique sonitu resultarent iam uino incalescente, ipso conuiuij domino per simulationem naturalis cuiusdam urgentis egresso, gladium districtum intentans toruo lumine ferociens quidam immittitur barbarus asper, ex his quos Supras appellant, confossurus iuuenem ne exilire posset etiā tum praepeditum. Quo uiso regulus forte prominens ultra torum, expedito dolo ne adsurgens obuiam omni ratione defenderet, perforato pectore deformis procubuit uictima, ictibus multiplicatis foede concisa. hócque figmento nefarie decepta credulitate, inter epulas quae reuerendae sunt uel in Euxino pōto, hospitali numine contuente, peregrinus cruor in ambitiosa toralia sparsus & spumans satietati superfuit con-

uiuarum horrore maximo dispersorum. Ingemiscat, siquis uita digressis est dolor, huius adrogantiam facti Fabricius ille Luscinus: scies qua animi magnitudine Democharem, uel ut quidam scribunt Niciam ministrum repulerit regum, conloquio occultiore pollicitum, quòd Pyrrhum Italiam tunc bellis sæuissimus exurentem ueneno poculis necabit infectis: scripseritque ad regem, ut ab interiore caueret obsequio. tantum reuerētiæ locum apud priscam illam iustitiam, uel hostilis mensæ genialitas obtinebat. Verum excusabatur recens, musitatum facinus & pudendū necis exemplo Sertorianæ, adulatoribus forsitan ignorantibus, quod ut Demosthenes perpetuum Græciæ decus affirmat, nunquam similitudine aut impunitate alterius criminis diluitur id quod contrà ac licæat arguitur factum. Hæc per Armeniā notabiliter gesta sunt. Sapor uero post suorum pristinam cladem comperto interitu Paræ, quem sociare sibi impendio conabatur, mœrore graui perculsus, augentéque nostri exercitus alacritate fornidinem, maiora sibi præseminans, Arsace legato ad principem misso, perpetuam ærumnarum causam deleri penitus suadebat Armeniam: si id displicuisset aliud poscēs, ut Hiberiæ diuisione cessante, remotisq; inde partis Romanæ præsidijs, Aspacures solus regnare permitteretur, quem ipse præfecerat genti. Ad quæ Valens in hanc respondit sententiam, Nihil derogare se posse placitis ex consensu firmatis, sed ea studio curatiore defendere. Glorioso proposito cōtrariæ regis literæ hyeme iam extrema perlatæ sunt, uana causantis & tumida. Asseuerabat enim non posse semina radicitus amputari discordiarum, nisi interuenissent conscij pacis fœderatæ cum Iouiano, quorum aliquos uita didicerat abscessisse. Ingrauescente posthæc altius cura impe-

rator eligere consilia quàm inuenire sufficiens, id conducere rebus existimans, Victorem magistrum equitum & Vrbicium Mesopotamiæ ducem ire propere iussit in Persas, respõsum absolutum & uniusmodi perferentes: quòd rex iustus & suo contentus, ut iactitabat, scelestè concupiscat Armeniam, ad arbitriũ suum uiuere cultoribus eius ex pacto permissis: & ni Sauromaci præsidia militũ impertita principio sequentis anni ut dispositum est impræpedita reuertèrint, multus ea complebit, quæ sponte sua facere supersedit. Quæ legatio recta quidem & libera, ni deuiasset in eo, quòd absque mandatis oblatas sibi regiones in eadem Armenia suscepit exiguas. Quæ regressa aduenit Surena potestatis secundæ post regem, has easdem imperatori offerẽs partes, quas audacter nostri sumpsere legati. Quo suscepto liberaliter & magnificè, sed parum impetrato quod poscebat, remisso: parabantur magna instrumenta bellorum, ut mollita hyeme imperatore trinis agminibus perrupturo Persidem, ideóque Scytharum auxilia festina celeritate mercantè. Proinde parũ adeptus ea quæ spe uana concèperat Sapor, ultráque solitũ asperatus, quòd ad expeditionem accingi rectorẽ concèperat nostrũ, iram eius conculcans Surenæ dedit negotium, ut ea quæ Victor Comes suscèperat & Vrbicius, armis repetèret: & si quisquam repugnaret, & milites Sauromacis præsidio destinati, malis adfligerentur extremis. Hæcque ut statuerat maturata confestim, nec emendari potuerunt nec uindicari: quia rem Romanam alius circunstetèrat metus totius Gotthiæ Thracias licentius perrumpentis: quæ funera tũc explicari poterũt carptim, si ad ea quoque uenerimus. Hæc per eos agitata sunt tractus: quorum inter seriem Afri-

canas clades & legatorum Tripoleos *manes inultos etiam tum & errãtes sempiternus uindicauit iustitiæ uigor, aliquoties serus sed scrupulosus quæsitor gestorum recte uel secius, hoc modo:* Remigius, *quem populanti prouincias retulimus* Comiti fauisse Romano, *postquã* Leo *in eius locum* Magister esse cœpit officiorum, *à muneribus* Reipublicæ *iam quiescens, negotijs se ruralibus dedit prope* Mogontiacum *in genitalibus locis. Quem ibi morantem securius præf. prætorio* Maximinus *reuersum ad otium spernens, ut solebat diræ luis ritu grassari per omnia, lædere modis quibus poterat affectabat: útque rimaretur plura quæ latebant,* Cæsarium *antehac eius domesticum, posteà notarium principis, raptum quæ* Remigius *egerit, uel quantum acceperit ut* Romani *iuuaret actus infandos, per quæstionem cruentam interrogabat. Quibus ille cognitis, cum esset, ut dictum est, in secessu, conscientia malorum urgente, uel rationem formidine superante calumniarum, innodato gutture laqueì nexibus interijt. Secuto post hæc anno* Gratiano *adscito in trabeæ societatem* Equitio *consule* Valentiniano *post uastatos aliquos* Alemanniæ *pagos, munimentum ædificanti prope* Basiliam *quod appellant accolæ* Robur, *offertur præfecti relatio* Probi *docentis* Illyrici *clades. Quibus ille, ut cunctatorẽ decuerat ducem, examinatius lectis, attonitus cogitationibus anxijs,* Paterniano *notario misso negotium scrupulosa quæsiuit indagine. móxque ueris per eum nuntijs gestorũ acceptis, euolare protinus festinabat, ausos temerare limitem barbaros primo fragore, ut mente conceperat, oppressurus armorum. Quia igitur abeuntẽ autũno multa impediebant & aspera adnitebantur omnes per regiam optimates, ut adusque*

principium Veris eum pertinerent exoratum: primum durata pruinis itinera, ubi nec adultæ impastum herbæ reperirentur, nec cætera usui congrua, penetrari non posse firmãtes: dem uicinorũ Gallijs regum immanitatem, maximéque omniũ Macriani ut formidati tunc prætendentes: quem constabat impacatum relictum, etiãi ipsa urbium mœnia tentaturum. Hæc memorantes addẽtéque utilia reduxere eum in meliorem sententiam: statímque ut conducebat rei communi, prope Mogõtiacum blãdius rex antedictus accitur, proclius ipse quoque ad excipiendũ fœdus ut apparebat. Et uenit immane quo quantóque flatu distentus, ut futurus arbiter superior pacis: diéque prædicto conloquij ad ipsam marginem Rheni caput altius erigens stetit, hinc inde sonitu scutorũ intonante gentiliũ. contrà Augustus ascensis amnicis lembis, septus ipse quoque multitudine castrensiũ ordinum tutius prope ripas accessit, signorum fulgentium nitore cõspicuus. & immodestis gestibus murmuréque barbarico tandem sedato, post dicta & audita ultro citróq; uersus amicitia media sacramenti fide firmatur. Hísque perfectis discessit turbarũ rex artifex delinitus, futurus nobis deinceps socius: & dedit postea adusque uitæ tempus extremum, constantis in concordiam animi facinorum documẽtum pulchrorũ. Perijt autem in Francia postea: quam dum interneciue uastando perrumpit auidius, oppetijt Mellobaudis bellicosi regis insidijs circunuẽtus. Post fœdus tamen solenni ritu impletũ, Treueros Valẽtinianus ad hiberna discessit. Hæc per Gallias & latus agebãtur Arctoum. At in Eois partibus alto externorũ silentio, intestina pernicies augebatur per Valentis amicos & proximos, apud quos honestate utilitas erat antiquior. Nauabatur enim opera diligens, ut homo

rigidus, audire cupiens lites à studio iudicandi reuocaretur, metu ne ita ut Iuliani temporibus defensione innocentia respirante, frangeretur potentium tumor assumpta licentia latius solitus euagari. Ob hæc & similia concordi consensu dehortãtibus multis, maximéque Modesto præfecto prætorio regiorum arbitrio spadonum exposito, & sub agreste ingenii nullis uetustatis lectionibus expolitum, coacto uultu fallente, & asserente quòd infra imperiale culmen causarum essent minutiæ priuatarum, ille ad humiliandum cælsitudinem potestatis negotiorum examina spectanda instituta esse arbitratus, ut monebat abstinuit penitus, laxauitque rapinarum fores: quæ roborabantur indies iudicum aduocatorúmque prauitate sentiẽtium paria: qui tenuiorum negotia militaris rei rectoribus uel intra palatium ualidis uenditantes, aut opes aut honores quæsiuere præclaros. Hanc professionem oratorum forensium πολιτικῆς μορίε εἴδωλον *id est ciuilitatis particulæ umbram, uel adulationi partem quartam esse definit amplitudo Platonis: Epicurus autẽ* κακοτεχνίαν *nominans inter artes numerat malas: Ctesias suasionis opificem esse memorat, assentiente Leontino Gorgia. quam à ueteribus ita determinatam Orientalium quorundam uersutia adusque bonorum extulit odium: unde etiam retinaculis tẽporis præstituti frænatur. Ergo absolutis super eius indignitate paucis, quam in illis partibus agens expertus sum, ad cœptorum cursum regrediar institutum. Florebant elegãtiæ priscæ patrocinijs tribunalia, cum oratores concitæ facundiæ attenti studijs doctrinarum, ingenio, fide, copijs, ornamentisque dicendi pluribus eminebant: ut Demosthenes, quo dicturo concursus audiendi causa ex tota Græcia fieri solitos monumentis Atticis continetur: &*

Callistratus, quem nobilem illam super Oropo causam, qui locus in Euboea est, perorantem idem Demosthenes academia cum Platone relicta sectatus est: ut Hyperides & exhinc & Andocides & Dinarchus & Antiphon ille Rhamnusius, quem ob defensum negotium omnium primum antiquitas prodidit accepisse mercedem. Nec minus apud Romanos Rutilij & Galbæ & Scauri, uita, moribus, frugalitatéque spectati, & postea per uarias æui sequentis ætates censorij & consulares multi & triumphales, Crassi & Antonij & cum Philippis Scæuolæ aliique numerosi, post exercitus prosperrime ductos, post victorias & tropæa, ciuilibus stipendiorum officijs floruerunt: lauredsque fori speciosis certaminibus occupantes, summis gloriæ honoribus fruebantur. Post quos excellentissimus omnium Cicero, orationis imperiosæ fulminibus sæpe depressos aliquos iudiciorum eripiens flammis, non defendi homines sine uituperatione fortasse posse, negligenter defendi sine scelere non posse, firmabat. At nunc uidere est per eos omnes tractus uiolenta & rapacissima genera hominum, per fora omnia uolitantium, & subsidentium diuites domos, ut Spartanos canes aut Cretas uestigia sagacius colligendo ad ipsa cubilia peruenire causarum. In his primus est cœtus eorum, qui minando diuersa iurgia, per uadimonia mille iactantur, uiduarum postes & orborum limina deterentes, & auidi inter discordantes amicos aut propinquos uel ad fines simultatum, ob leuia scrinij receptacula odia struentes infesta: in quibus ætatis progressu non ut aliorum uitia intepescunt, sed magis magísque roborantur. inter rapinas insatiabiles inopes, ad capiendam uersutis orationibus iudicum fidem,

quorum nomen ex iustitia natum est, sicam ingenij distringentes. Horum libertatem temeritas, constantiam audacia præceps, eloquentiam inanis quædam imitatur fluentia loquendi: quarum artium sæuitate, ut Tullius adseuerat, nefas est religionem decipi iudicantis. Ait enim: Cúmque nihil tam mœrruptum esse debeat in republica quàm suffragium, quàm sententia: non intelligo cur qui ea pecunia corruperit, pœna dignus sit: qui eloquentia, laudem etiam ferat. Mihi quidem hoc plus mali facere uidetur qui oratione quàm qui pretio iudicem corrumpit, quòd pecunia corrumpere prudentem nemo potest, dicendo potest. Secundum est genus eorum, qui iuris professi scientiam, quam repugnantium sibi legum aboleuere dissidia, uelut uinculis ori impositis reticentes iugi silentio, umbrarum sunt similes propriarum. hi uelut fata natalitia præmonstrantes, aut Sibyllæ oraculorum interpretes, uultus grauitate ad habitum composita tristiorem, ipsum quoque uenditant quod oscitantur. hi ut altius uideantur iura callere, Trebatium loquuntur & Cæsellium, & Alfenum, & Aurunculorum Sicanorúmque iamdiu leges ignotas, cum Euandri matre abhinc sæculis obrutas multis: & si uoluntate matrem tuam finxeris occidisse, multas tibi suffragantes absolutionem lectiones reconditas pollicentur, si te nummatum senserint. Tertius eorum est ordo, qui ut in professione turbulenta clarescant, ad expugnãdam ueritatem ora mercenaria procudentes, per prostitutas frontes uilésque latratus quò uelint aditus sibi patefaciũt crebros: qui inter soli citudines iudicum per multa distẽtas irresolubili nexu uincientes negotia, laborãt ut omnis quies litibus implicetur, & nodosis quæstionibus de industria iudicia circũscribũt:

quæ cum recte procedunt delubra sunt æquitatis, cum deprauantur, foueæ fallaces & cæcæ: in quas si captus ceciderit quisquam, non nisi per multa exiliet lustra adusque ipsas medullas exuctus. Quartũ atque postremum est genus, impudẽs, peruicax, & indoctum, eorum qui cum innmature à literarijs eruperint ludis, per angulos ciuitatum discurrunt, mumiambos non causarum remedijs congrua commentantes, fores diuitum deterendo cœnarũ ciborúmque aucupãtes delicias exquisitas: qui cum semel umbraticis lucris & inhiandæ undique pecuniæ sese dediderint, litigare frustra quoslibet innocentes hortantur: & ad defendendam causam admissi, quod raro contingit, suscepti nomen & uim negotij sub ore disceptatoris inter ipsos conflictuum articulos instruuntur, circunlocutionibus indigestis ita scatentes, ut cõluuionis teterrimæ audire existimes ululabili clamore Thersitæn. cum autem ad inopiam muniendarum uenerint allegationum, ad effrenatam deflectunt conuiciandi licentiam: quo nomine, ob assidua in personas honorabiles probra, diebus dictis aliquoties sunt damnati: è quibus ita sunt rudes nonnulli, ut nunquam se codices habuisse meminerint. & si in circulo doctorum autoris ueteris inciderit nomen, piscis aut edulij peregrinum esse uocabulum arbitrantur: si uero aduena quisquam inusitatum sibi antea Marcianum uerbotenus quæsierit oratorem, omnes confestim Marcianos appellari se fingunt, nec iam fas ullum præ oculis habent: sed tanquam auaritiæ uenundati & usucapti, nihil præter inseminatam petendi licentiam norunt. & si quem semel intra retia ceperint, cassibus mille impedicant, per morborum simulationem uicissim consulto cessantes: utque peruulgati iuris proferatur lectio una, septem uendibiles in-

troitus præparant, dilationum examina longissima contexentes. & cũ nudatis litigatoribus dies cesserint & menses & annu, tandem obtrita uetustate controuersia, intromissa ipsa capita splendoris, ingressa alia secum aduocatorum simulacra inducunt. cúmque intra cancellorum uenerint septa, & agi cœperint alicuius fortunæ uel salus, atque laborari debeat ut ab insonte gladius, uel calamitoso detrimenta pellantur, conrugatis hinc inde frontibus, brachijsque histrionico gestu formatis, ut concionaria Gracchi fistula post occipitium desit, consistitur altrinsecus diu. tandémque ex præmeditato conludio per eum qui est in uerba fidentior suaue quoddam principium dicendi exeritur, pro Cluentio uel pro Cæsiphontæ orationum æmula ornamenta promittens: & in eam conclusionem cunctis finem cupientibus desinit, ut nondum se patroni post speciem litis triennium editam causentur instructos: spatióque prorogati temporis impetrato, quasi cum Antæo uetere colluctati, perseueranter flagitant pulueris periculosi mercedes. Veruntamen hæc cum ita sint, non desunt aduocatis incõmoda plurima, parum sustinenda recte iudicaturo. nanque sellularijs quæstibus mescati, inter se hostiliter dissident: & rupta maledicendi ferocia, ut dictum est, multos offendunt: quam tunc effutiunt, cum commissarum sibi causarum infirmitatem orationibus ualidis conuelare non possunt. & iudices patiuntur interdum, doctos ex Philistionis aut Æsopi cauillationibus, quàm ex Aristidis illius iusti uel Catonis disciplina productos: qui ære graui mercati publicas potestates, ut creditores molesti opes cuiusquemodi fortunæ rimantes, alienis gremijs excutiunt prædas. Ad ultimum id habet causidicina cum cæteris metuendum & graue, quòd hoc ingenitum est penè litigantibus cunctis, ut

cum iurgia mille casibus cadant, accidentia secus in potestate esse existiment patronorum, & omnem certaminum exitum ijsdem soleant adsignare, & non uitijs rerum aut iniquitati aliquoties disceptantium, sed solis defensantibus irascantur. Verum unde huc declinauimus reuertamur. Pubescente iam uere Valentinianus à Treueris motus per nota itinera gradu celeri contendebat: eique regiones aduentanti quas petebat, legatio Sarmatarum offertur: pedibúsq; eius prostrata orabat pacifica precæ, ut propitius ueniret & lenis, nullius diri facinoris participes populares suos inuenturus aut conscios. Quibus sæpe eadem iterantibus hactenus perpēsa deliberatione respondit: hæc in locis ubi dicuntur admissa, quærēda uerissimus documentis & uindicanda. Cúmque exinde Carnuntum Illyriorum oppidum introisset, desertum quidem nunc & squalens, sed ductori exercitus perquam opportunum, ubi fors copiam dedisset aut ratio, è statione proxima reprimebat barbaricos adpetitus. Et quanquam terrori cunctis erat, dum sperabatur ut acer & uehemens mox iudices damnari iussurus, quorum perfidia uel secessione Pānoniarum nudatum est latus, cum illuc uenisset ita intepuit, ut neque in Gabiniij regis inquireret necem, neque iusta reipublicæ uulnera quo sinente uel agente segnius euenissent, accuratius uestigaret: eo uidelicet more, quo erat seuerus in gregarijs corrigendis, remissior erga maiores fortunas uel uerbis asperioribus incessendas. Solum tamen incitato petebat odio Probum, nunquam ex quo eum uiderat, minari desinens uel mitescens: cuius rei causæ nec obscuræ fuerunt nec leues. Hic præfecturam prætorio tunc primitus nanctus, eámque multis atque utinam probabilibus modis in longum proferre gestiens, non ut prosapiæ suæ claritudo mo-

nebat, plus adulationi quàm uerecundiæ dedit. Contemplatus enim propositum principis, quærendæ undique pecuniæ uias absque iustorũ iniustorúmque discretione scrutantis, errantem non reducebat ad æquitatis tramitem, ut sæpe moderatores fecere tranquilli: sed ipse quoque flexibilem sequebatur atque trauersum. unde graues obedientium casus, exitialia prouisorum nomina titulorum iuxta opulentas & tenues eneruatas succidêre fortunas, argumentis post alijs ualidioribus alijs, usu lædendi reperientæ lõgæuo. Denique tributorum onera uectigaliúmque augmenta multiplicata, optimatum quosdam ultimorum metu exagitatos, mutare compulerunt sedes: & flagitantium ministrorum amaritudine quidam oppressi, cum non suppeteret quod daretur, erant perpetui carcerum inquilini. è quibus aliquos cum uitæ iam tæderet & lucis, suspendiorum exoptata remedia consumpserunt. Hæc ita inlecebrosius atque inhumanius agi loquebatur quidem pertinax rumor: Valentinianus uero tanquam auribus æra militis ignorabat, indifferenter quidem lucrandi uel ex rebus minimis auidus, idque tantum cogitans quod offerebatur, parsurus tamen fortasse Pannoniis, si hæc ante ingemiscenda compendia comperisset, quæ nimium sero tali didicit casu. Ad prouincialium residuorum exemplum etiam Epirotæ acturos sibi gratias à præfecto mittere compulsi legatos, Iphiclen quendam philosophum spectatum robore pectoris hominem adegere non sponte propria pergere ad id munus implendum. qui cum imperatorem uidisset, agnitus aduẽtúsque sui causam interrogatus, Græce respõdit: atque ut philosophus ueritatis professor, quærente curatius principe, si hi qui misere, ex animo bene sentiunt de præfecto, Gementes, inquit, & inuiti. Quo ille uerbo

tanquam telo perculsus, actus eius ut sagax bestia rimabatur, genuino percontando sermone quod non scitabat: ubinam ille esset uerbi gratia honore inter suos antecellēs & nomine, uel ille diues, aut alius ordinis primus. cūmque discaeret perisse aliquem laqueo, abisse alium trans mare, conscuisse sibi alium mortem, aut plumbo uita erepta extinctum, in immensum excanduit, urente irarum nutrimenta tunc officiorum magistro Leone, *prò nefas, ipso quoque praefecturam si celsior è scopulo caderet adfectante: quā si adeptus rexisset, prae his quae erat ausurus administratio* Probi *ferebatur in caelum. Agens itaque apud Carnūtum imperator per continuos tres menses aestiuos arma parabat & alimenta, si qua fors secūdasset peruasurus opportune* Quados, *tumultus atrocis autores. in quo oppido* Faustinus *filius sororis* Viuentij *praefecti praetorio, notarius militans,* Probo *spectante negutium carnificis manu peremptus est post tormenta, uocatus in crimen, quòd asinum occidisse dicebatur ad usum artium secretarum, ut adserebant quidam urgentes: ut autem aiebat ille, ad imbecillitatem firmandam fluentium capillorum: alio quoque in eū perniciose composito, quòd petenti per iocum cuidam* Nigrino *ut eum notarium faceret, exclamauit ille hominem ridens,* Fac me imperatorem *si id uolueris impetrare. hōcque ludibrio inique interpretato, &* Faustinus *ipse &* Nigrinus *& alij sunt interfecti. Praemisso igitur* Merobaude *cum militari peditum manu quam regebat ad uastandos cremandósque barbaricos pagos, comite adiūcto* Sebastiano, Valentinianus *Acincum prope castra commouit: naugij sque ad repentinum casum coniunctis, & contabulato celeri studio ponte, per partem aliam transijt in* Quados, *speculantes quidem ex diruptis montibus eius aduen-*

tum, quò plerique ancipites incertique accidẽtium cum suis caritatibus secesserunt, sed stupore defixos cum in regionibus suis contra quàm opinabantur augusta cernerent signa. Progressus ergo coacto gradu inquantum res tulit, iugulatáque ætate promiscua, quam etiam tum palantem subitus occupauit excursus, & tectis combustis, rediit cum incolumibus cunctis quos duxerat secum: itidémque apud Acinacum moratus autumno præcipiti per tractus conglaciari frigoribus adsuetos commoda quærebat hiberna: nulldque sede idonea potiri præter Sabariam poterat, quanuis eo mualidã tempore assiduisque malis adflictam. unde hoc etiãsi magni intererat paulisper sequestrato, impigre motus peragrata fluminis ripa, castrisque præsidio competenti munitis atque castellis, Bregitionem peruenit: ibique diu compositum ad quietem principis fatum sortem denũtiabat ei supremam prodigijs ingerentibus multis. Nanque diebus antè paucissimis ruinas fortunarũ indicantia cælsarum arsere crinita sidera cometarum, quorum originem supra docuimus: & apud Sirmium repentino fragore nubium fulmen excussum palatij & curiæ partem incendit & fori: & apud Sabariam eodem adhuc constituto, bubo culminibus regij lauacri considens, occentánsque funebria nulla iacientium sagittas & lapides contemplabili dextera cadere potuit, certatim licet ardenti studio petebatur. Item cum ab urbe prædicta tenderet ad procinctum, per portam uoluit unde introijt exire, ut omen colligeret quòd cito remeabit ad Gallias. cúmque locus adgestis ruderibus neglectus purgaretur, lapsam forem ferratam, quæ exitum obserauit, multitudo remouere non potuit uiribus magnis enisa: & dũ frustra tereret diem, coactus per aliam egressus est portam. Noctéque quam lux ereptura eum uita se-

cuta est, ut per quietem solet, uidebat coniugem suam absentem sedere passis capillis, amictu squalenti contectam: quam æstimari dabatur fortunam eius esse cum tetro habitu iam discessuram. Progressus deinde matutinus cõtractiore uultu subtristis, cum eũ oblatus non susciperet equus anteriores pedes præter morem erigens in sublime, innata feritate concitus, ut erat immanis, dexterã stratoris militi iussit abscidi, quæ eum insilientem iumento pulserat consueto: perissétque cruciabiliter innocens iuuenis, ni tribunus stabuli Cerealis dirum nefas cum sui periculo distulisset. Post hæc Quadorum uenere legati, pacem cum præteritorũ obliteratione supplicater obsecrantes: quam ut adipisci sine obstaculo possent, & tirocinium & quædam utilia rei Romanæ pollicebantur. Quos quoniam suscipi placuit, & redire inducijs quæ posæbantur indultis, quippe eos uexari diutius nec aborum inopia nec alienum tempus anni patiebãtur: in consistorium Equitio introducente sunt introemissi. Cúmque membris curuatis starent metu debiles & præstricti, docere iussi quæ ferebant, usitatas illas causationum species iurandi fidem addendo firmabant: nihil ex communi mente procerum gentis delictum adseuerantes in nostros, sed per extimos quosdam latrones amnique confines euenisse quæ inciuiliter gesta sunt: etiam id quoque addendo ut sufficiens ad facta purganda firmantes, quòd munimentum extrui cœptum nec iuste nec opportune, ad ferociã animos agrestes accẽdit. Ad hæc imperator ira uehementi perculsus, & inter exordia respondendi tumidior, increpabat uerborum obiurgatorio sono nationem omnem ut beneficiorum immemorem & ingratam: paulatimque lenitus & ad molliora propensior, tanquam ictus telo uitalia, uocéque simul obstricta, suf-

fectas igneo lumine ærnebatur: & repente cohibito sanguine letali sudore perfusus, ne laberetur spectantibus exulibus, concursu ministrorum uitæ secretioris ad conclaue ductus est intimum. ubi locatus in lecto exiguas spiritus reliquias trahens, nondũ intelligendi minuto uigore cunctos agnoscebat adstantes, quos cubiculariij, nequis eum necatum suspicaretur, celeritate maxima conrogarant. Et quoniam uiscerum flagrante compage laxanda erat necessario uena, nullus inueniri potuit medicus, hanc ob causam, quòd eos per uaria sparserat curaturos militem pestilentiæ morbo tentatum. unus tamen repertus uenam eius iterum sæpiúsque pungendo ne guttam quidem cruoris elicere potuit, internis nimietate calorum ambustis: uel, ut quidã existimabant, arefactis ideo membris, quòd meatus aliqui quos hæmorrhoidas nunc appellamus, obserati sunt gelidis frigoribus concrustati. Sensit immensa ui quadam urgente morborum, ultimæ necessitatis adesse præscripta: diceréque conatus aliqua uel mandare, ut singultus ilia crebrius pulsans stridórque dentium & brachiorum motus uelut cæstibus dimicantiũ indicabat, iam superatus liuentibúsque maculis interfusus, animum diu conluctatum efflauit, ætatis quinquagesimo anno & quinto, imperij minus centum dies secundo & decimo. Replicare nunc est opportunum, ut aliquoties fecimus, & ab ortu primigenio patris huiusce principis adusque ipsius obitum actus eius discurrere per epilogos breues, nec uitiorũ prætermisso discrimine uel bonorum, quæ potestatis amplitudo monstrauit, nudare solita semper animorum interna. Natus apud Cibalas Pannoniæ oppidũ Gratianus maior ignobili stirpe, cognominatus est à pueritia prima Funarius, ea re, quòd nondum adultus uenalem circunferens funem, quinque

militibus eum rapere studio magno conatis nequaquam cessit, æmulatus Crotoniatæn Milonem: cui mala sæpe cohærentæ læua manu retinenti uel dextra nulla unquam uirium fortitudo abstraxit. ob ergo ualidi corporis robur & peritiam militum more luctandi notior multis, post dignitatem protectoris atque tribuni comes præfuit rei castrēsi per Africam: unde furtorum suspicione contactus digressúsque, multo postea pari potestate Britannum rexit exercitum: tandémque honestè sacramento solutus reuertit ad larē: & agens procul à strepitu multitudine bonorum adflictus est à Constantio hoc nomine, quòd ciuili flagrante discordia hospitio dicebatur suscepisse Magnentium, per agrum suum ad proposita festinantem. cuius meritis Valētinianus ab meunte adulescentia commendabilis, contextu suarum quoque suffragante uirtutum, indutibus Imperatoriæ maiestatis apud Niceam ornatus, in Augustum collegium fratrem Valentem adsciuit, germanitate concordi sibi iunctissimum, inter probra medium & præcipua, quæ loco docebimus competenti. Igitur Valentinianus post periculorū molestias plures dum esset priuatus emensas imperitare exorsus, arces prope flumina sitas & turbines, & Gallias petijt Alemānicis patentes excursibus, reuiuscentibus erectius cognito principis Iuliani meritu, quem post Constantem solum omniū formidabant. Ideo autem etiam Valentinianus merito timebatur, quòd & exercitus auxit ualido supplemento, & utrobique Rhenum celsioribus castris muniuit atque castellis, ne latere usquam hostis ad nostra se proripiēs possit. utque multa prætereamus quæ egit moderatoris autoritate fundati, quæque per se uel duces correxit industrios, post Gratianum filiū in societatem suæ potestatis adsumptum, Vithigabium regem Alemannorum

Vadomario genitum adulescentem in flore primo genarũ, nationes ad tumultus cientem & bella, clam quia non potuit, aperte confodit: & Alemannis congressus prope Solicinium locum, ubi insidijs penè perierat, circumuentus, ad exitium ultimum delere potuit uniuersos, ni paucos uelox effugum tenebris amandasset. Inter hæc tamen cautè gesta, iam conuersos ad metuendam rabiem Saxonas, semper quolibet inexplorato ruentes, delatósque tunc ad maritimos tractus, quorum spolijs penè redierant onusti, malefido quidem, sed utili commento peremit, præda raptoribus uiafractis excussa. Itidémque Britannos, cateruas superfusorum hostium non ferentes, spe meliorum adsumpta in libertatem & quietem restituit placidam, nullo penè redire permisso grassatorũ ad sua. Efficacia pari Valentinum quoque Pannoniũ exulem, per has prouincias molientem otium turbare commune, antè quàm negotium efferuescaret, oppressit. Africam deinde malo repentino perturbatã, discriminibus magnis exemit: cum uoracès militarium fastus ferre nequiens Firmus, ad omnes dissensionum motus perflabiles gentes Mauricas concitasset. Simulique fortitudine clades ingemiscendas Illyrici uindicasset, ni mortè præuentus reliquisset rem seriam imperfectam. Ac licet opera præstabilium ducum hæc quæ retulimus, consummata sunt: tamen ipsum quoque satis constat, ut erat expeditæ mentis usúque castrensis negotij diuturno firmatus, egisse complura: inter quæ illud eluere clarius potuit, si Macrianum regem ea tempestate terribilem uiuum capere potuisset, ut industria magna tentarat, postquam eum euasisse Burgundios, quos ipse admouerat Alemannis, mœrens didicisset & tristis. Hæc super actibus principis breui sunt textu percursa: nunc confisi, quòd nec metu, nec

adulādi fœditatē cōstricta posteritas incorrupta præteritorū solet esse spectatrix, summatim eius numerabimus uitia, post & bene merita narraturi. Adsimulauit nōnunquā clemētiæ speciē, cum esset in acerbitatē naturæ calore propēsior, oblitus profecto quōd regēti imperiū omnia numa, uelut prærupti scopuli sunt deuitanda. nec enim usquā reperitur miti coercitione contentus, sed aliquoties quæstiones multiplicari iussisse cruentas, post interrogationes funestas nonnullis adusq; discrimina uitæ uexatis. & ita erat effusior ad nocēdum, ut nullum aliquando damnatorum capitis eriperet mortē subscriptionis elogio leui, cū id etiā principes interdum fecerint sæuissimi. atqui potuit exemplā multa contueri maiorum & imitari peregrina atque interna humanitatis & pietatis, quas sapientes consanguineas uirtutes esse definiunt: è quibus hæc sufficiet poni. Artaxerxes Persarum ille rex potētissimus, quem Macrochira membri unius lōgitudo commemorauit, suppliciorū uarietates quas natio semper exercuit cruda, lenitate genuina castigans, tiaras ad uicem capitum quibusdā noxijs amputabat: & ne secaret aures more regio pro delictis, ex galeris fila pendentia præcidebat: quæ temperantia morum ita tolerabilem eum fecit & uerecundum, ut adnitentibus cunctis multos & mirabiles actus impleret Græcis scriptoribus celebratos. Præneſtino prætore, qui bello quodam Samnitico properare iussus ad præsidium uenerat segnius, ad crimen diluendum exhibito, Papirius Cursor ea tempestate dictator securem per lictorem expediri, hominēque abiecta purgandi fiducia stupefacto, uisum propè fruticem iussit abscidi: hōcque ioci genere castigatum eum absoluit, non ideo contemptus, ut ad resistendum aptus Alexandro magno, si calcasset Italiam, æstimatus. Hæc forsitan Valentinianus ignorans, minimēque

reputans adflicti solatia status semper esse lenitudinem principum, pœnas per ignes augebat & gladios: quod ultimum in aduersis rebus remedium pietas reperit maiorum, ut Isocratis memorat pulchritudo: cuius uox est perpetua docentis, Ignosci debere interdum armis superato rectori, quàm iustum quid sit ignoranti. Vnde motum existimo Tullium *præclare pronuntiasse cum defenderet* Oppiũ: *Et enim multum posse ad salutem alterius, honori multis: parum potuisse ad exitium, probro nemini unquã fuit.* Auiditas *plus habendi sine honesti pranique differentia, & indagandi quæstus uarios per alienæ uitæ naufragia, exundauit in hoc principe flagrantius adolescens: quam quidem prætendentes imperatorem* Aurelianum *purgare tentabant, id adfirmando, quòd ut ille post* Gallienum *& lamentabiles* Reipublicæ *casus exinanito ærario, torrentis ritu ferebatur in diuites: ita hic quoque post procinctus* Parthici *clades magnitudine indigens impensarũ, ut militi supplementa suppeterent & impẽdium, crudelitati cupiditatem opes nimias congerendi miscebat: dissimulans scire, quòd sunt aliqua quæ fieri non oportet, etiamsi licet:* Themistoclis *illius dissimilis, qui cum post pugnam agminaq; deleta* Persarũ *licenter obãbulans armillas aureas uidisset humi proiectas & torquẽ,* Tolle, *inquit, hæc ad comitem quendã prope adstantem, tu qui* Themistocles *non es: non quodlibet probans in duce magnanimo lucrũ.* Huius *exempla continentiæ similia plurima in* Romanis *exuberant ducibus: quibus omissis, quoniam non sunt perfectæ uirtutis indicia (nec enim aliena non rapere laudis est) unum ex multis constans innocentiæ uulgo ueteris specimen ponam. Cum proscriptorum locupletes domus diripiẽdas* Romanæ *plebi* Marius *dedisset & Cin-*

na, uulgi rudes animi & humana soliti respectare, alienis laboribus pepercerunt: ut nullus egens reperiretur aut infimus, qui de ciuili luctu fructum contrectare pateretur sibi concessum. Inuidia præter hæc antedictus medullitus urebatur: & sciens pleraque uitiorum imitari solere uirtutes, memorabat assidue, liuorem uirtutum, rectæ potestatis inuidiam esse sociam. Vtque sunt dignitatum apices maximi, licere sibi cuncta existimantes, & ad sugillandum contrarios exturbandósque meliores pronius inclinati, bene uestitos oderat, & eruditos, & opulentos, & nobiles, & fortibus detrahebat, ut solus uideretur bonis artibus eminere: quo uitio exarsisse principem legimus Hadrianum. *Arguebat hic idem princeps timidos sæpius, maculosos tales appellans & sordidos, ad pauores inritos aliquoties abiectius pallens, & quod nusquam erat inattente formidans. quo intellecto magister officiorum* Remigius, *cum eum ex incidentibus ira feruere sentiret, fieri motus quosdam barbaricos inter alia subserebat: hócque ille audito, quia timore mox frangebatur, ut* Antoninus Pius *erat serenus & clemens. Iudices nunquam consulto malignos elegit: sed si semel promotos agere didicit immaniter,* Lycurgos *inuenisse se prædicabat &* Cassios, *columina iustitiæ priscæ: scribensque hortabatur assidue ut noxas uel leues acerbius uindicaret. nec adflictis erat ullũ in principis benignitate perfugium: quod semper ut agitato mari iactatis portus patuit exoptatus: finis enim iusti imperij, ut sapientes docent, utilitas obedientium æstimatur & salus. Consentaneum est uenire post hæc ad eius actus sequendos recte sentientibus & probandos: cum quibus si reliqua temperasset, uixerat ut* Traianus & Marcus. *In prouinciales admodum par-*

cus, tributorum ubique molliens ſarcinas, oppidorum & limitum conditor tempeſtiuus, militaris diſciplinæ cenſor eximius: in hoc tantum deerrans, quòd cum gregariorum etiam leuia puniret errata, potiorum ducum flagitia progredi ſinebat in maius, ad querelas in eos motas aliquoties obſurdeſcens: unde Britannici *ſtrepitus, &* Africanæ *clades, & uaſtitas emerſit* Illyrici. *Omni pudicitiæ cultu domi caſtus & foris, nullo contagio conſcætiæ uiolatus obſcœnæ, nihil mœſtum: hàncque ob cauſam tanquã retinaculis petulantiã frænarat aulæ regalis, quod cuſtodire facile potuit. Neceſſitudinibus ſuis nihil indulgens: quas aut in otio reprimebat, aut mediocriter honorauit, abſque fratre: quẽ tẽporis cõpulſus anguſtijs in amplitudinis ſuæ ſocietatẽ adſumpſit. Scrupuloſus in deferendis poteſtatibus cælſis: nec imperante eo prouinciã nummularius rexit, aut adminiſtratio uenũdata, niſi inter mitia, ut ſolẽt occupationis ſpe uel impunitæ quædã ſceleſta cõmitti. Ad inferẽda propulſandáq; bella ſolertiſſimus, cautus, æſtu* Martij *pulueris induratus, boni prauique ſuaſor & deſuaſor admodũ prudens, militaris rei ordinum ſcrutantiſſimus, ſcribens decore uenuſtéque pingens & fingens, & nouorũ inuentor armorum: memoria ſermonéque incitato quidẽ, ſed raro facundiæ proximo uigens, amator munditiarũ, lætúſque non profuſis epulis, ſed excultis. Poſtremo hoc moderamine principatus inclaruit, quòd inter religionum diuerſitates medius ſtetit, nec quenquam inquietauit, neq; ut hoc coleretur imperauit aut illud: nec interdictis minacibus ſubiectorum ceruicem ad id quod ipſe coluit, inclinabat, ſed intemeratas reliquit has partes ut reperit. Corpus eius lacertoſum & ualidũ, capilli fulgor coloríſque nitor, cũ oculis cæſijs ſemper obliquũ intuentis & torũ, atque pulchri*

tudo ſtaturæ liniamentorúmque recta compago maieſtatis regiæ decus implebat. *

Reliqua in archetypo deſiderantur.

AMMIANI MARCELLINI RERVM GESTARVM LIB. XXXI.

I NTEREA & Fortunæ uolucris rota, aduerſa proſperis ſemper alternãs, Bellonã furijs mætatem aſcitis armabat, mœſtóſq; tranſtulit ad Orientem euentus, quos aduẽtare præſagiorum fides clara monebat & portentorũ. Poſt multa enim quæ uates augurêſque prædixere ueridicæ, reſultabant canes ululãtibus lupis, & querulum quiddam nocturnæ uolucres gemebant & flebile, & ſqualidi ſolis exortus hebetabãt matutinos diei candores: & Antiochiæ per rixas tumultúſque uulgares id mõ ſuetudinem uenerat, ut quiſque uum ſepati exiſtimaret, Viuus ardeat Valens, licentius clamitaret, uocéſque præconum audiebantur aſſidue, mandantium congeri ligna ad Valẽtini lauacri ſucœnſionẽ ſtudio ipſius principis cõditi. Quæ hunc illi impendere exitum uitæ modo non aperte loquendo monſtrabant. Super his laruale ſimulacrũ Armeniæ Regis, & miſerabiles umbræ pauloantè in negotio Theodori cæſorum, per quietem ſtridendo carmina quædã nimirum horrẽda multos diris terroribus agitabant. tragula gurgulione confecto exanimus uiſa eſt iacens, cuius mors publicorum funerum ærumnas indicabat amplas & perulgatas. Denique cum Chalcedonos ſubuerterẽtur uetères muri, ut apud Conſtantinopolim ædificaretur lauacrum: ordine reſoluto ſaxorũ, in quadrato lapide, qui ſtructura latebat in media, hi Græci uerſus inciſi reperti

sunt, futura plene pandentes, Αλλ' ὁπόταν νύμφαι δροσεραὶ κατὰ ἄσυχο τερπόμεναι στροφώντες ὀνειφέας κατὰ γᾶς καὶ τύχος. ΑΟΓΓΡΟΙΟΓΩΑΥΣΤΟΝΟ ΝΕΣΣΙΚΑΡΔΝΓΟΤΕΔΝΙΑΦΥΜΑΓΟ ΑΥΣΓΕΡΜΟΝΑΝΟΡΩΓΩΓΙΣΤΟΡΟ ΥΚΛΜΙΡΟΟΙΟΤΙΟΡΟΝΤΑΣΥΝΕΧ ΜΗΚΑΙΣΚΙΕΙΚΗΝΟΛΕΤΙΧΟΡΗΝ ΚΑΙΜΥΣΔΑΓΛΗΝΓΑΙΟΝΗΣΔΕΤΙΙ ΒΛΤΑΣΥΝΕΛΤΙΣΙΜΛΙΝΟΜΕΝΗΣ ΤΛΥΤΟΥΚΑΙΒΙΟΤΟΙΟΤΕΛΟΣΚΑΙ ΔΝΡΕΙΝΕΦΕΖΕΙ. *Totius autem sementem exitij & cladium originem diuersarũ, quas Martius furor incendio solito muscẽdo cuncta conciuit, hanc cõperimus causam: Hunnorũ gens, monumentis ueteribus leuiter nota, ultra paludes Mæoticas glacialẽ Oceanum accolẽs, omnem modũ feritatis excedit. Vbi quoniã ab ipsis nascendi primitijs infantum ferro sulcantur altius genæ, ut pilorũ uigor tempestiuus emergens corrugatis cicatricibus hebetetur, senescant imberbes absque ulla uenustate, spadonibus similes, cõpactis omnes firmisque mẽbris, & opimis ceruicibus prodigiose deformes & pandi, ut bipedes existimes bestias, uel quales in cõmarginandis põtibus effigiati stipites dolãtur incõpte. In hominũ autẽ figura sic & in uita usi sunt. Sua asperi, ut neque igni, neque saporatis indigẽt cibis, sed radicibus herbarũ agrestiũ & semicruda cuiusuis pecoris carne uescantur. quam inter femora sua equorumue tergo subsertã, fotu calefaciũt breui. Aedificijs nullis unquã tecti, sed hæc uelut ab usu communi discreta sepulcra declinãt. Nec enim apud eos uel arundine fastigiatum reperiri tugurium potest. Sed uagi montes peragrantes & syluas,*

pruinas famem sitimq; perferre ab incunabulis assuescunt. Peregre tecta, nisi adigentè maxima necessitate, non subeũt: nec enim apud eos securos existimant esse sub tectis. Indumentis operiuntur linteis, uel ex pellibus sylueſtrium murum consarcinatis. nec alia illis domestica uestis est, alia forensis: sed semel absoleti coloris tunica collo inserta non antè deponitur aut mutatur, quàm diuturna carie in pannulos defluxerit defrustata. Galeris incuruis capita tegunt: hirsuta crura corijs muniẽtes hœdinis, eorúmque calcei formulis nullis aptati, uetant incedere gressibus liberis. qua causa ad pedestres parũ accommodati sunt pugnas, uerum equis prope affixi duris quidem, sed deformibus, & maliebriter ijsdem nonnunquam insidẽtes. funguntur muneribus consuetis & ipsi. Quinis in hac natione pernox & perdius emit & uendit, cibúmque sumit & potum, & inclinatus ceruici angustæ iumenti, in altum soporem adusque uarietatem effunditur somniorum. Et deliberatione super rebus proposita serijs, hoc habitu omnes in commune consultant. Agunturque tè nulla seueritate regali, sed tumultuario primatum ductu contenti, perrumpit quicquid inciderit. Et pugnant nonnunquam lacessiti, sed ineuntes prælia cuneatim uarijs uocibus sonantibus toruum. útque ad pernicitatem sunt leues & repentini, ita subito de industria dispersi lugescunt: & impositaacie, cum cæde uasta discurrunt, nec inuadentes uallũ, nec castra inimica pilantes præ nimia parte decerruntur. Eóque omniũ acerrimos facile dixeris bellatores, quòd procul missilibus telis, acutis ossibus pro spiculorũ acumine arte mira coagmentatis, sed distinctis cominus ferro sine ui respectu con hostisque dũ mucronum noxijs obserua contortis laciniis illigant, ut laqueatis resistentium membris equitandi uel gradiendi adimant facultatem. Nemo apud eos arat,

nec ſtiuam aliquando contingit. Omnes enim ſine ſedibus fixis abſque lare uel lege aut ritu ſtabili diſpalantur, ſemper fugientium ſimiles cum carpentis in quibus habitant. ubi coniuges ex uillis ueſtimenta contexunt, & coeunt cum maritis, & pariunt, & aduſque pubertatem nutriunt pueros. Nullíſque apud eos interrogatus, reſpondere unde oritur, poteſt, alibi conceptus, natúſque procul, & longius educatus. Per inducias infidi, inconſtantes, ad omnem auram incidentes ſpei nouæ, perquàm mobiles, totum furori incitatiſſimo tribuentes, inconſultorum animalium ritu, quod honeſtum inhoneſtúmue ſit, penitus ignorantes. flexiloqui & obſcuri, nullius religionis uel ſuperſtitionis reuerentia aliquando diſtricti, auri cupidine immenſa flagrantes: adeo permutabiles, & iraſci faciles, ut eodem aliquoties die à ſocijs nullo irritante ſæpe deſciſcant, itidémque propitiẽtur nemine lenientẽ. Hoc expeditum indomitúmque hominum genus, externa prædandi auiditate flagrans immani, per rapinas finitimorum graſſatum & cædes, aduſq; Achaiam peruenit. Reſtant Maſſagetæ, qui unde ſint, uel quas incolant terras (quoniam huc res prolapſa eſt) conſentaneum eſt demonſtrare. geographica perplexitate monſtrata, quæ diu multa luda & uaria, tandem reperit ueritatis interna ad Iſter aduenarũ magnitudine fluenti Sauromatas prætermeat aduſque amnẽ Tanaim pertinentes, quas iam terminat ab Europa. Hoc tranſito in immenſum extentas Scythiæ ſolitudines Halani inhabitant, ex montium appellatione cognominati, paulatimque nationes conterminas crebritate uictoriarum attritas ad gentilitatem ſui uocabuli traxerũt ut Perſæ. Inter hos Nerui mediterranea incolunt loca, uicini uerticibus alſis, quos præruptos gelúque torpentes Aquilones a-

strimgunt. Post quos Vidini sunt & Geloni perquàm feri. qui detractis peremptorum hostium cutibus indumenta sibi, equisque tegmina conficiunt. bellatrix gens. Gelonis Agathyrsi collimitant, interstincto colore cæruleo corpora simul & crines. & humiles quidem minutis atque raris, nobiles uero latis fucatis & densioribus notis. Post hos Melanchlænas & Anthropophagos palari accepimus per diuersa, humanis corporibus uictitantes: quibus ob hæc alimenta nefanda desertis, finitimi omnes longa petiere terrarum. Ideóque plaga omnis Orienti æstuo obiecta usque dum uenitur ad Seras, inhabitabilis mansit. Partes alia prope Amazonum sedes Halani sunt Oriẽti acliues, diffusi per populos. Has gentes & amplas, Asiaticos uergentes in tractus. quas dilatari adusque Gangen accepi, fluuium intersecantem terras Indorum, maréque mundantem Australe. ibi partiti per utrãque mundi plagam Halani (quorum gentes uarias nunc recensere non refert) licet diremptis spatijs longis, per pagos, ut Nomades, uagantur immensos: æui tamen progressu ad unũ concessere uocabulum, & summatim omnes Halani cognominantur. mores & media & efferatam uiuendi sed iam immaturã. Nec enim ulla sunt illisce tuguria, aut uersandi uomeris curæ: sed carne & copia uictitant lactis. plaustris supersidentes, quæ operimentis curuatis corticum per solitudines conferunt sine fine distentas. Cũq; ad graminea uenerint in orbiculatam figurã locatis sarciculis ferino ritu uescuntur. absumptisque pabulis, uelut carpentis ciuitates impositas uehunt. maréque supra cũ fœminis coeunt, & nascuntur in his & educãtur infantes, & habitacula sunt hæc illis perpetua. & quocunq; ierint, illic genuinũ existimãt larem. armẽta præ se agentes cũ gregibus pascũt. ma-

ximéque equini pecoris est eis solicitior cura. ibi campi & preherbescunt, interfitis pomiferis locis. atq; ideo trãseuntes quolibet, nec alimentis, nec pabulis indigent. quod efficit humectã solum & crebri fluminũ prætermeantiũ cursus. Omnis igitur ætas & sexus imbellis circa uehicula ipsa uersatur. munus distringitur mollibus, iuuẽtus uero equitandi usu à prima puerita coalescens, incedere pedibus existimat uile: & omnes multiplici plena prudẽtes sunt bellatores. Vnde etiam Persæ, qui sunt originitus Scythæ, pugnandi sunt peritissimi. Proceri autẽ Halani penè sunt omnes & pulchri, sic crinibus mediocriter flauis, oculorum temperata torulitate terribiles, & armorũ leuitate ueloces, Hunnísq; per omnia suppares, uerũ uictu mitiores & cultu. la nando & uenando, adusque Mæotica stagna & Cimmeriũ Bosphoron, itidémque Armenias discurrentes & Mediã. Vtque hominibus quietis & placidis otium est uoluptabile, ita illos pericula iuuant & bella. Iudicatur ibi beatus, qui in prælio profuderit animã. senescentes enim & fortuitis mortibus mũdo digressos, ut degeneres & ignauos, conuitijs atrocibus insectãtur. nec quicquã est, quod elatius iactẽt, quàm homine quolibet occiso. próq; exuuijs gloriosis, interfectorum auulsis capitib' detractas pelles, pro phaleris iumentis accommodãt bellatorijs. Nec templũ apud eos uisitur, aut delubrũ, ne tugurium quidem culmo tectum cerni usquam potest. sed gladius barbarico ritu humi figitur nudus, eúmque ut Martem regionum quas circueunt præsulem, uerecundius colunt. Futura uaticinari solent modo. nam rectiores ~~uirgas~~ fœminæ colligentes, eásque cum incantamentis quibusdã secretis præstituto tempore discernentes, apertè quid portetur, nouerunt. Seruitus quid sit ignorabant omnes generoso semine procreati.

Iudicésque etiam nunc eligunt, diuturno bellandi usu spectatos. Sed ad reliqua textus propositi reuertamur. Igitur Hunni peruasis Halanorum regionibus, quos Geuthungis cõfines Tanaitas cõsuetudo nominauit, interfectisque multis & spoliatis, reliquos sibi concordandi fide pacta iũxerunt, eisque adiunctis cõfidentius Ermenrica late patentes & uberes pagos repẽtino impetu perruperunt bellicosissimi Regis, & per multa uariáque fortiter facta uicinis nationibus formidati. Qui ui subitæ procellæ perculsus, quanuis manere fundatus & habilis diu cunctatus est, impendentium tamen diritatem augente uulgatius fama, magnorum discriminum metum uoluntaria morte sedauit. Cuius post obitum Rex Vithimiris creatus restitit aliquantisper Halanis, Hunnis alijs fretus, quos mercede sociauerat partibus suis. Verum post multas, quas pertulit clades, animam effudit in prælio, ui superatus armorum. Cuius parui filij, Viderichi nomine, curam susceptam Alatheus tuebatur & Saphrax, duces exercitii & firmitatæ pectorũ noti. qui cum tempore arcto præueẽti abiecissent fiduciam repugnandi, cautius discedentes ad amnem Danastum, peruenerunt inter Istrum & Boristhenem, per camporũ ampla spatia diffluentem. Hæc ita præter spem accidisse doctus Athanaricus Theruingorum Iudex (in quem, ut antè relatum est, ob auxilia missa Procopio dudum Valens cum mouerat signa) stare gradu fixo tentabat, surrecturus in uires, si ipse quoque lacesseretur, ut cæteri. Castris denique prope Danasti margines aggere ut ungorij uallem longius opportune metatis, Müderichum ducem postea limitis, per Arabiam collagari manu & optimatibus alijs, adusq; uicesimum lapidem misit, hostium speculatoros aduẽtum ipse aciem nullo turbantæ interim struens. Verum longe aliter

quàm rebatur, euenit. Hunni enim (ut sunt in coniectura sagaces) multitudinem esse longius aliquam suspicati, prætermissis quos uiderant, in quietem tanquam nullo obstante compositis, rumpẽte noctis tenebris Luna uado fluminis penetrato, id quod erat potissimum elegerunt. & ueriti ne præcursorius index procul agentes absterreat, Athanaricum ipsum ictu petiuere ueloci, eúmque stupentem ad impetum primum, amissis quibusdam suorũ cœgerunt ad effugia properare montium præruptorũ. Qua rei nouitate maiorèque uenturi pauore constrictus à supercilijs Geraẽti fluminis adusq; Danubium Taifalorum terras præstringens, muros altius erigebat. hac lorica diligentia celeri consummata, in tuto locandam securitatem suam existimans & salutem. Dúmque efficax opera suscitatur, Hunni passibus eum citis urgebant, & iam oppresserãt aduentantes, ni grauati prædarum onere destitissent. Fama tamen late serpente per Gothorum reliquas gentes, quòd insitatum antehac hominum genus modo ruens ut turbo montibus celsis, ex abdito sinu cœrtum apposita quæque conuellit corrumpit: populi pars maior, quæ Athanaricum attenuata necessariorum penuria deseruerat, quæ ritabat domicilium remotum ab omni notitia Barbarorũ. diúque deliberans quas eligeret sedes, cogitauit Thraciæ receptaculum gemina ratione sibi conueniens, quòd & cespitis est feracissimi, & amplitudine fluentorum Istri distinguitur ab aruis petentibus eam peregrini fulminibus Martis. hoc quoque residui uelut mente cogitauere cõmuni. Itaque uiuo ripas occupauere Danubij: missisq; oratoribus ad Valentem, suscipi se humili prece poscebant, & quietè uicturos se pollicentes & daturos, si res flagitasset, auxilia. Dum aguntur hæc in externis, nouos maiorésque solitis ca-

ſus uerſare gentes Arctoas, rumores terribiles diffuderũt. per omne quicquid ad pontum à Marcomannis prætenditur Quadis multitudinem barbarã abditarũ nationum, ui ſubita ſedibus pulſam, circa flumen Iſtrũ uagari cũ caritatibus ſuis, diſſeminantes. Quæ res aſpernanter à noſtris inter initia ipſa accepta eſt, hanc ob cauſam, quòd illis tractibus non niſi peracta aut ſopita audiri procul à gentibus conſueuerunt bella. Verum pubeſcente iam fide geſtorum, cui rumor aduentus gentiliũ addiderat Legatorũ, precibus & obteſtatione petentiũ circa flumẽ ſuſcipi plebẽ extorrem negotiũ lætitiæ fuit, potius quàm timori, eruditis adulatoribus in maius fortunam Principis extollentibus, quòd ex ultimis terris tot tyrocinia Thracenſes nec opinanti offerrẽt ut collatis in unum ſuis & alienigenis uiribus inuictum haberet exercitũ & pro militari ſupplemẽto quod prouinciatim annuũ pẽdebatur theſauris accederet auri cumulus magnus. Hácq; perſuaſione mittuntur diuerſi, qui cũ uehiculis plebẽ tranſferant truculentam. & nauabatur opera diligens, ne qui Romanam Rẽ euerſurus derelinqueretur uel quaſſatus morbo letali. Proinde permiſſu Imperatoris tranſeundi Danubiũ copiam colendíq; adepti Thraciæ partes, tranſfretabãtur in dies & noctes, nauibus ratibúſque & cauatis arboribus alueis agminatim impoſiti. atque per amnem longe omnium difficillimum imbriũmque crebritate tunc auctum ob denſitatem nimiam contra ictus aquarum nitentes quidam, & natare conati, hauſti ſunt plures. Ita turbido inſtantium ſtudio orbis Romani pernicies ducebatur. Illud ſanè neque obſcurum eſt neque incertum, infauſtos tranſuehendi barbaram plebẽ miniſtros, numerum eius comprehendere calculo ſæpe tentantes, conquieuiſſe fruſtratos. Quẽ qui ſcire

uelit (ut eminentissimus memorat uates) Libyci uelit æquoris idē Discere, quàm multæ Zephyro turbentur arenæ. Resipiscant tandē memoriæ ueteres, Medicas acies ductantes ad Græciam: quæ dudum Hellespontum occupantes, & discidio quoddam fabrili maris, ubi montanus pede quæsitum exponuntur & turmatim apud Dorisum exercitus recensetur, concordante omni posteritate, ut fabulosæ sunt lectæ. Nam postquam innumeræ gentium multitudines per prouincias circunfusæ, pandentēsque se in spatia ampla camporū, regiones omnes & cuncta oppleuere mōtium iuga, fides quoq; uetustatis recenti documento firmata est. Et primus cum Alauiuo suscipitur Fritigernus, quibus & alimenta pro tempore & subigendos agros tribus statuerat Imperator. Per id tempus nostri limites reseratis obiciēb, atq; ut AEtnæas faucillas armatorū agmina diffundente Barbaria, cum difficilibus necessitatū articulis correctores rei militaris poscerent aliquos claritudine gestarū rerū notissimos: quasi læuo quodā numine deligente, in unum quæsiti potestatibus præfuere castrensibus homines maculosi. quibus Lupicinus antestabat & Maximus. alter per Thracias Comes, dux alter exitiosus. ambo æmuli temeritatis. Quorum insidiatrix auiditas materia malorū omniū fuit. Nā (ut alia omittamus quæ memorati, uel certe sinentibus ijsdem, alij perditis rationibus in commeantes peregrinos adhuc innoxios deliquerunt) illud dicetur (quōd nec apud sui periculi Iudices absoluere ulla poterat uenia) triste & inauditū. cum traducti barbari uictus inopia uexarētur, turpe cōmerciū duces inuisissimi cogitarūt. & quātos undiq; insatiabilitas colligere potuit canes pro singulis dederat mācipijs, inter quæ ducti sunt optimatū. Per hos dies interea etiam Vitherius Greuthungorum

Rex, cum Alatheo & Aphracæ, quorũ arbitrio regebatur, itémque Farnabio, propinquans Istri marginibus, ut simili susciperetur humanitate obsecrauit Imperatorem, Legatis propere missis: quibus, ut communi rei conducere iudebatur, repudiatis, & quid capesserent anxijs, Athanaricus parumper timescens abscessit, memor Valentem dudum cum fœdaretur concordia despexisse, affirmantem se religione deuinctum, ne calcaret solum aliquando Romanum. hácque occasione principem firmare pacem in medio flumine cœgisse, quam simul tamen ueritus ut adhuc durantem ad Caucalandensem locum altitudine syluarum inaccessum & montium, cum suis omnibus declinauit, Sarmatis inde extrusis. At uero Theruingi iandudum transire permissi, prope ripas etiam tum uagabantur, duplici impedimento astricti, quòd ducum dissimulatione pernicio sa ne hoc uictui congruus sunt adiuti, & tenebantur consulto nefandis nundinandi commertijs. Quo intellecto ad perfidiam instantium malorum subsidium uertere dissimulabant: & Lupicinus ne iam deficerent pertimescens, eos admotis militibus adigebat ocyus proficisci. Id tempus opportunum nacti Greuthũgi cum alibi militibus occupatis, nauigia ultro citróque discurrere solita, trãsgressum eorum prohibentia quiescere perspexissent, ratibus transiere male contextis, castráque à Fritigerno locauere longissime. At ille genuina præuidendi solertia uenturos muniens casus, ut & imperijs obediret & Regibus ualidis iungeretur, incidit segnius, Martianopolim tarde peruenit itineribus lentis. Vbi aliud accessit atrocius, quòd arsuras in commune exitium faces furiales accendit. Alauuo & Fritigerno ad conuiuium corrogatis, Lupicinus latenti nuntio doctus ab oppidi mœnibus Barbaram plebem opposito mi-

litæ procul arcebat, introire ad comparanda uictui necessaria, ut ditioni nostræ obnoxiam & concordem, per preces assidue postulantem. ortisque maioribus iurgijs inter habitatores & uetitos, adusque necessitatem pugnandi est uentum. Efferatique acrius Barbari, cum necessitudines hostiliter rapi sentirent, spoliarunt interfectam militum magnam. Quæ accedens idem Lupicinus latenti nuntio doctus, dum in nepostali mensa ludicris concrepantibus diu discumbens, uino marcebat & somno, futuri conijciens exitum satellites omnes, qui pro prætorio honoris & tutelæ causa duces præstolabantur, occidit. Hócque populus qui muros obsidebat, dolenter accepto, ad uindictam detentorum Regum, ut opinabatur, paulatim augescens, multa minabatur & sæua. Vtque erat Fritigernus expediti consilij, ueritus ne teneretur obsidis uice cum cæteris exclamauit, grauiore pugnandum exitio, ni ipse ad leniendum uulgus sineretur exire cum socijs. quod arbitratum humanitatis specie ductores suos occisos in tumultum exarsit. Hócque impetrato, egressi omnes, exceptíq; cum plausu & gaudijs, ascensis equis uolarunt, moturi incitamenta diuersa bellorum. Hæc ubi Fama rumorum nutrix maligna dispersit, urebatur dimicandi studio Theruingorum natio omnis, & inter metuenda multa, periculorúmque præuia maximorum, uexillis de more sublatis, auditisque triste sonantibus classicis, iam turmæ prædatoriæ concursabant, pilãdo uillas & incendendo, uastisque cladibus quicquid mueniri poterat, permiscentes. Aduersus quos Lupicinus properatione tumultuaria coactis militibus temere magis quàm consultæ progressus, in nono ab urbe milliario stetit paratus ad decernendum. Barbaríque hoc contemplato, globos irrupere nostrorum incautos, & parmas sup-

positis corporibus illidendo obuios hastis perforabant & gladijs. furoréque urgente cruento, & tribuni & pleraque pars armatorum periere signis ereptis, præter ducem infaustum: qui ad id solum inuentus ut confligentibus alijs proriperet ipse semet in fugam, urbem cursu concito petit. Post quæ hostes armis inauti Romanis, nullo uetante per uaria grassabãtur. Et quoniam ad has partes post multiplices uentum est actus, id lecturos (siqui erunt unquam) obtestamur, nequis à nobis scrupulose gesta uel numerum exigat peremptorum, qui comprehendi nullo genere potuit. Sufficiet enim, ueritate ~~nullo uelata~~ mendacio, ipsas rerum digerere summitates: cum explicandæ rerum memoriæ, ubique debeatur integritas fida. Negant antiquitatum ignari tantis malorum tenebris obfusam aliquando fuisse Remp. ~~sed fallunturr~~ malorum recentium stupore confixi. Nanque si superiores uel recens præteritæ reuoluantur ætates, tales tanquam tristes rerũ motus sæpe contigisse monstrabunt. Inundarũt Italiam ex abditis Oceani partibus Teutones repente cum Cymbris: sed post inflictas rei Romanæ clades immensas, ultimis prælijs per duces amplissimos superati, quid potestas Martia habitu prudẽtiæ ualeat, radicitus extirpati discriminibus didicere supremis. Marco itidem moderante Imperium, in unum spirãdo uesania gentium dissonarũ, post bellorum fragores immẽsos posteri urbiũ captarum & direptarũ & pessum concitas proratoris interitus partes eorũ exiguas reliquisset intactas. Verum mox post calamitosa dispendia res in integrũ sunt restitutæ. hac gratia, quòd nondum solutio restitutæ mollicie, sobria uetustas insecta, nec ambitiosis mẽsis, nec flagitiosis quæstibus inhiabat. sed unanimanti ardore summi & infimi inter se congruentes, ad speciosam

pro Rep. mortem tanquam ad portum aliquem tranquillum properabant & placidum. Duobus nauium millibus perrupto Bosphoro & littoribus Propontidis Scythicarum gentium cæteruæ transgressæ, ediderunt quidem acerbas terra mariqué strages. sed amissa suorum parte maxima reuerterunt. Ceciderunt dimicando cum Barbaris Imperatores Decij pater & filius. Obsessæ Pāphiliæ ciuitates, insulæ populatæ complures, inflāmata Macedonia omnis diu multitudo Thessalonicam circunsedit, itidémque Cyzicum. Anchialos capta: & tempore eodem Nicopolis, quam indicium uictoriæ contra Dacos Traianus condidit Imperator. Post clades acceptas illatásque multas & sæuas, excisa est Philippopolis, centum hominum millibus (nisi fingunt annales) intra mœnia iugulatis. Vagatique per Epirum Thessaliámque, & omnē Græciā licentius hostes externi. Sed assumpto in Imperiū Claudio glorioso ductore, & eodem honesta morte prærepto, per Aurelianum acrem uirum & seuerissimum noxarum ultorem pulsi per longa sæcula siluerunt immobiles: nisi quòd postea patrocinales globi uicina cum sua exitio acrius incursabant. Verum ea persequar unde diuerti. Hoc gestorū textu circunlato nuntijs densis, Sueridus & Colias, Gotthorum optimates, cum populis suis longe antè susceptis, & curare apud Hadrianopolim hyberna dispositi, salutē suam ducentes antiquissimam omnium, otiosis animis accidentia cuncta contuebātur. Verum Imperatoris literis repentè perlatis, quibus transire iussi sunt in Hellespontum, uiaticum, cibos, biduique dilationem tribui sibi sine tumore poscebant. Quod ciuitatis magistratus ferens indigne (succensebat enim ijsdem ob rem suam in suburbano uastatam) uiam plebem omnem cum fabrecensibus, quorum illic ampla

est multitudo, productam, in eorum armauit exitium. iussisque bellicum canere buccinis, ni abirent ocyus, ut statutum est, periculo omnibus minabatur extrema. Quo malo præter spem Gothi percussi, & concito quàm considerato ciuium assultu perterriti, steterunt immobiles: lacératique ad ultimum detestatione atque conuitijs, & tentati missilium iactibus raris, ad defectionem erupere confessam. & cæsis plurimis, quos impetus deceperat petulantior, auersisque residuis & telorum uarietate confixis, habitu iam Romano cadaueribus spoliatis armati, uiso propius Fritigerno iunxerunt semet, ut morigeri socij, urbémque clausam obsidionalibus ærumnis urgebãt. In qua difficultate diutius positi passim & promiscue ruebant. eminénsque aliquorum audacia peribat multitudo. multisque sagittis & rotatis per fundas lapidibus interibant. Tũc Fritigernus frustra cum tot cladibus colluctari homines ignaros obsidẽdi contemplans, relicta ibi manu sufficientẽ abire negotio imperfecto suasit, pacem sibi esse cum parietibus memorans. suadénsque ut populãdas opimas regiones & uberes absque discrimine ullo, uacuas præsidijs etiam tum adoriren tur. laudato Regis consilio, quem cogitatorum norant fore socium efficacem, per Thracianum latus omne dispersi cautè gradiebantur, dedititijs uel captiuis uicos uberes ostendentibus, eos præcipue ubi alimentorũ reperiri satias dicebatur. eo maxime adiumento, præter genuinam erecti fiduciã, quòd confluebat ad eos in dies ex eadẽ gente multitudo, dum à mercatoribus uenundati adiectis plurimis, quos primo transgressu necati inedia, uino exili uel panis frustis mutauere uilissimis. Quibus accessere sequendarũ auri uenarum periti non pauci, uectigaliũ perferre non posse non sufficientes sarcinas graues. Suscepticque libenti cõsensione

cunctorũ, magno usui ijdem fuere ignota peragrantibus loca, conditoria frugum occulta & latebras hominum & receptacula secretiora monstrando. nec quicquam, nisi mac cessum & deuium, praeeuntibus ijsdem mansit intactum. sine distãtia nimia aetatis uel sexus, caedibus incendiorúmque magnitudine cuncta flagrabant. abstractisque ab ipso uberũ suctu paruulis & necatis, raptae sunt matres, & uiduatae maritis coniuges ante oculos caesis, & puberes adultique pueri per parentum cadauera tracti sunt. Senes denique multi, ad satietatem uixisse clamantes, post amissas opes cum speciosis foeminis, manibus post tergo contortis, defletisque gentilium faullis aedium, ducebantur extorres.

Haec ex Thracijs magno moerore accepta Valentẽ principem in solicitudines uarias distraxerunt. & confestim Victore magistro Equitũ misso ad Persas, ut super Armeniae statu pro captu rerũ componeret impendentiũ, ipse Antiochia protinus egressurus, ut Constantinopolim interim peteret, Profuturũ praemisit & Traianũ, ambo Rectores. Hi bellãtes quidẽ altius, sed imbelles. Qui cum ad loca uenissent, ubi particulatim perq; furta magis & latrocinia multitudo minui deberet hostilis, ad id quod erat perniciosum in tempestiue conuersi, legiones ab Armenia ductas opposuere, uesanũ adhuc spirãtibus Barbaris, opere quidẽ Martio saepe recte compertas, sed impares plebi immensae, quae celsorũ iugo montium occuparat & campos. Innumeri nõdũ experti, quòd cum desperatione rabies ualeret indomita, trusos hostes ultra Haemi montis abscisos scopulos faucibus insidere praeruptis, ut in Barbaros locis & insulis nunquã reperiens exitum diuturna consumeret fames, & operirentur ipse Frigeridum ducem cum Pannonicis & transalpinis auxilijs aduentantem, quẽ petitu Valentis Gratianus

ire disposuit in procinctum, laturum suppetias his, qui ad ultimum uexabantur exitiũ. Post quem Richomeres domesticorum tunc comes, imperatu eiusdem Gratiani motus è Gallijs properauit ad Thracias, ductans cohortes aliquas nomine tenus. quarum pars pleraq; deseruerat (ut iactauere quidam) Merobaudis suasu, ueriti ne destitutæ administrulis Galliæ uastarentur, licenter Rheno perrupto. Verũ articulorum dolore Frigerido præpedito, uel certe (ut obtrectatores finxere maleuoli) morbum causante ne feruentibus prælijs interesset, uniuersos regens ex communi sententia Richomeres Profuturo sociatur & Traiano, tendentibus prope oppidũ Saliæs. unde haud longo spatio separatum uulgus mæstimabile Barbarorũ, ad orbis rotũdi figurã multitudine digesta plaustrorũ, tanquam intramuranis cohibita spatijs, otio fruebatur & ubertate prædarũ. Præuia igitur spe meliorũ Romani duces, si fors copiã attulisset ausuri aliquid gloriosum, Gothos quicquid molirentur sagaciter obseruabant. id scilicet præstruentes, ut si aliorsum castra moussẽt, quod fecere creberrime, tergo ulmorũ adorti plures profoderẽt confisi, magnámq; spoliorũ auerterẽt partem. Hoc mtellecto hostes, uel trãsfugarũ indicijs docti, per quos nihil latebat incognitũ, in eodẽ loco diu manserũt. sed oppositi exercitus metu præstricti, aliorúmque militũ, quos affluere iã sperabant, tessera data gentili. per diuersa prope diffusas accituere uastatorias manus. quæ optimatũ accẽptis, statimque incensi malleoli ad Carraginẽ, quam ita ipsi appellant, aliti uelocitate regressæ, mentiũ audendi maiora popularibus addiderũt. Nihil post hæc inter partes, præter inducias laxatũ est breues. Reuersis enim his, quos necessitas euocarat, plebs omnis intra septorũ ambitum etiã tum contrusa immaniter fremens, animisque concita tru-

culentis experiri postrema discrimina, nec principibus gentis qui aderant renuentibus, cruditate festinabat. Et quoniã hæc Sole agebãtur extremo, nóxq; aduentans ad quietem inuisos retinebat & mœstos, capto per otiũ cibo, somni manserunt expertes. Cõtrà Romani his cõgnitis, ipsi quoq; exsomnes uerebantur hostes. & male sanos eorum ductores, ut rabidas feras, euentum (licet ancipitem ut numero satis inferiores) prosperum tamen ob iustiorem sui causam mentibus expectantes impauidis. Cadente itaque protinus die, signo ad arma capienda ex utraque parte per lituos dato, Barbari postquã inter eos ex more iuratũ est, tumulosos locos appetere tentauerunt. quo eximde per procliue rotarũ modo obuios impetu conuoluerent acriore. Hócque uiso ad suos quisq; manipulos properans miles, stabili gradu consistens, nec uagabatur, nec relictis ordinibus procurrabat. Ergo ubi utrinq; acies cautius incedentes gressu stetérũt immobili, toruitate mutua bellatores luminibus se cõtuebãtur obliquis. & Romani quidẽ uocẽ undiq; Martia cõcinentes, à minore solita ad maiorẽ protolli, quã gentilitate appellãt barritũ, uires ualidas erigebãt. Barbari uero maiorũ laudes clamoribus stridebãt mõditis. intérq; uarios sermones dissoni strepitus leuiora præmã tẽtabãtur. Iãq; uerutis & similibus alijs utrinq; semet eminus lacessentes, ad cõferẽdas coiere minaciter manus. & scutis in testudinũ formã coagmentatis, pes cũ pede collatus est, Barbaríque ut reparabiles semper & celeres, ingẽtes clauas in nostros cõiicientes ambustas, mucronésque acrius resistentiũ pectoribus illidentes, sinistrum cornu perrumpunt. quod inclinatum subsidialis robustissimus globus, propinquo latere fortiter excitus, hærẽte iam cohorte cruricibus sustentauit. Feruẽte igitur densis cædibus prælio, in confertos quisque

promptior ruens, ritu grandinis undique uolitantibus telis oppetebat & gladijs. & sequebantur equites hinc inde, fugientium occipitia lacertis ingentibus præcidentes & tergo. itidémque altrinsecus pedites lapsorum, timore impeditorum, secantes suffragines. Et cum omnia cæsorum corporibus opplerẽtur, iacebant inter eos quidam semianimes, spem uitæ inaniter usurpando. alij glande fundis excussa, uel harundinibus armatis ferro, confixi. quorũdam capita, per medium frontis & uerticis mucrone distincta, in utrunque humerum magno cum horrore pẽdebant. & pertinaci concertatione nondum lassatæ æquo Martæ partes semet altrinsecus afflictabant. nec de rigore genuino quisquam remittebat, dum uires animorum alacritas excitaret. Diremit tamen interneciua certamina cedens uespero dies, & cunctis qua quisque potuit incomposite discedẽtibus, residui omnes repetunt tentoria tristiores. Humatis denique pro locorum & temporis ratione honoratis quibusdam inter defunctos, reliqua peremptorum corpora diræ uolucres consumpserunt, assuetæ illo tempore cadaueribus pasci, ut indicant nunc usque albentes ossibus campi. Constat tamen in numero longe minore Romanos, cum ea copiosa multitudine colluctatos, funerea multa perpessos, non tamen sine deflendis ærumnis exagitasse barbaram plebem. His casibus præliorum ita luctuose finitis, nostri proximos Martianopoleos petiuere secessus. Gothi intra uehiculorum anfractus sponte sua contrusi, nunquam exinde per dies septem egredi uel uideri sunt ausi. ideóque opportunitatem milites nacti immensas alias Barbarorum cateruas inter Hemimontanas angustias clauserunt, aggerum obiectu excelsorum. hac spe nimirũ, ut Istrum & solitudines perniciosa hostiũ multitudo compacta, nullosque

reperiens exitus, periret inedia, cunctis utilibus ad uiuendum in ciuitates ualidas comportatis. quarum nullam etiam tum circunsedere conati sunt, hæc & similia machinari penitus ignorantes. Post quæ repetiuit Gallias Richomeres, ob maiorem præliorum fremitum, qui sperabatur, inde adminicula perducturus. Hæc Gratiano quater & Merobaude Consulibus agebãtur, anno in autumnum uergente. Inter quæ Valens audito lugubri bellorum direptionumque euentu, Saturnino equestris exercitus ad tempus cura commissa, suppetias Traianum offerentem misit & Profuturum. Fortéque ijsdem diebus per Scythiæ regiones & Mœsiæ omnibus quæ poterant mandi, consumptis: feritate urgente pariter & inopia, Barbaríque molibus magnis ardebant. hócque sæpe tentato cum obruerentur uigore nostrorum, per asperitates scruposas ualide resistentium, adacti necessitate postrema Chunorum & Halanorum aliquos ad societatem spe prædarum ingentium asciuerunt. Quo cognito Saturninus (iam enim aderat & præteritas stationésque disponebat agrarias) paulatim colligens suos, digredi parabat consilio non absurdo: ne subita multitudo, ut immanis pulsus undarum obicibus ruptis emissus, cõuelleret leui negotio cũctos, suspecta loca acutius obseruãtes. Deinde post reseratas angustias, abitúmq; militis tempestiuum, in composite qua quisq; clausorũ potuit, nullo uetante turbandis incubuit rebus. & uastabundi omnes per latitudines Thraciæ pandebantur impune, ab ipsis tractibus quos prætermeat Ister, exorsi, adusque Rhodopen & fractum, quod immensa disterminat maria, rapinis & cædibus sanguinéque & incendijs & liberorum corporum Corruptelis omnia fœdissime permiscẽtes. Tunc erat spectare cum gemitu facta dictu uisúque præ-

dura, attonitas metu fœminas flagris concrepantibus agitari, fœtibus grauidas adhuc immaturis antequam prodirent in lucem, impia tolerantibus multa. implicatos alios matribus paruulos, & puberum audire lamenta, puellarúmque nobilium, quarum stringebat fera captiuitas manus. Póstque adulta uirginitas, castitásque nuptarum ore affecto flens ultima ducebatur, mox profanandum pudorem optãs mortæ (licet cruciabili) præuenire. Inter quæ cũ beluæ ritu traheretur ingenuus pauloantè diues & liber, de te Fortuna, ut inclementi querebatur & cæca, quæ eum puncto temporis breuioris extortum, & dulcedine caritatum domóque extorrem, quam concessisse uidit in cinerem & ruinas, aut lacerandum membratim, aut seruiturum sub uerberibus & tormentis crudo deuouisti uicto ri. Barbari tamen, uelut defractis caueis bestiæ, per spatiorum amplitudines fusius incitati, oppidum petiuere nomine Dibaltum. ubi Tribunum Scutariorum Barzymerem inuentum cum suis cornitisque & alijs peditum numeris castra ponentem assiliunt. eruditum puluere militari rectorem. Qui confestim (ut adigebat necessitas instantis exitij) iussa canere bellicũ tuba lateribus firmatis, prærupit cum promptis accinctis ad prælium. fortitérque resistendo pari pugnandi sortæ discessisset, ni eũ equitum accursus quàmplurimum anhelum circunuenisset & fessum, & ita æcidit interfectis Barbarorum non paucis, quorum clades copiarum magnitudo ælabat. Re in hunc modum peracta, Gotthi quid postea molirentur inerti, quæritabãt Frigeridum tanquam obicem ualidum ubi reperirent excisuri. & cultiore uictu somnóque parũper assumpto, eũ sequebantur ut feræ. docti quòd Gratiani monitu reuersus in Thracias, & prope Beroëam uallo metato, euẽtus rerũ spe-

culabatur ancipites. Et hi quidem ad patrandum propositum discursione rapida maturabãt. ille uero regendi conseruandíq; militis non ignarus, id quod cogitatum est suspicatus, uel exploratorũ relatione quos miserat apertè mstructus, per mõtium cælsa syluarúmq; densitates ad Illyricum redit. erectus prosperitate nimia, quam ei Fors obtulit insperata. Repedando enim, congregatõsque in cuneos sensim progrediẽs, Gotthorum optimatẽ Farnobium cum uastatorijs globis uagantem licentius occupauit, ducentémq; Taifalos nuper in societatem adhibitos, qui si dignum est duci, nostris ignotarum gentiũ terrore dispersis, transire flumen direpturi uacua defensoribus loca, eorum cæterus subito uisis cærtare comminus dux cautissimus parans, adortúsque nationes, ut priusquã grassatores minantes etiam tum acerba, trucidassétq; omnes ad unum, ne nuntius quidem cladis post appareret, ni cum alijs multis perempto Farnobio, metuendo antehac incensore turbarũ, obtestatus preces impensa superstitibus peperciſſet, uiuósque omnes circa Mutinam Regiúmque & Parmam, Italica oppida, rura culturos exterminauit. Hanc Taifalorum gentem ac turpem obscenæ uitæ flagitijs ita accepimus mersam, ut apud eos nefandi concubitus fœdere copulentur maribus puberes, ætatis uiriditatem in eorum pollutis usibus consumpturi. porro siqui iam adultus aprum excæperit solus, uel interemerit ursum immanem, colluuione liberatur incesti. Hæc autumno urgente in hyemem funesti per Thracias turbines conuerrebant. Et qua temporum rabies, uelut cuncta cientibus Furijs, ad regiones quoq; longinquas progrediẽs late serpebat. & iam Lentiensis Alemannicus populus, tractibus Retiarũ cõfinis, per fallaces discursus, uiolato fœdere dudũ concepto, collimitia nostra tẽtabat. Quæ clades

hinc exitiale primordium sumpsit. Ex hac natione quidam inter Principis armigeros militans, poscente negotio reuersus in larem, ut erat in loquendo effusior, interrogantes multos quid ageretur in palatio, docet accersitu Valentis patrui Gratianum Orientem uersus mox signa moturum. ut duplicatis uiribus repellantur plagarum terminalium accolæ, ad Romanorum uerum excidium coniurati. Quibus auide Lentiensis acceptis, ipsi quoque hæc quasi uicini cernentes, ut sunt ueloces & rapidi, conferti in prædatorios globos, Rhenum gelu peruium pruinis Februario mense tendentes, prope cum Petulantibus Celtæ, non sine sui iactura afflictos, graiter adultis uiribus auerterunt. Verum retrocedere coacti, Germaníque noscentes exercitus pleramque partem in Illyricum, ut Imperatorem mox affuturum prægressam, exarsere flagrantius. maioráque conceptátes, pagorum omnium incolis in unum collectis, cum quadraginta armatorum millibus uel septuaginta, ut quidam laudes extollendo principis iactitarunt, sublati in superbiam nostra cõfidentius irruperunt. Quibus Gratianus cum formidine magna compertis, reuocatis cohortibus quas præmiserat in Pannonias, conuocatísque alijs quas in Gallijs retinuerat dispositio prudens, Nannieno negotium dedit uirtutis sobriæ duci: eíque Mallobaudem iunxit pari potestate collegam Domesticorum Comitem Regémque Francorum uirum bellicosum & fortem. Nannieno igitur pensante fortunarum uersabiles casus, ideóque cunctandum esse censente, Mallobaudes autem pugnandi cupiditate raptatus, ut consueuerat ire in hostem, differendi impatiens, angebatur. Prom de horrifico aduersum fragore terrente, primum apud Argentariam signo per cornicines dato, concurri est cœptum. sagittarum ue-

rutorúmque missilium pulsibus crebriores hinc indéque sternebātur. Sed in ipso prælíorum ardore infinita hostium multitudine milites usa, uitantésque aperta discrimina, per calles consitas arboribus & angustas, ut quisque potuit, dispersi, paulo postea stetere fidentius, & splendore consimili, procúlque nitore fulgentes armorum, Imperatorij aduentus iniecere Barbaris metum. Qui repente uersi in tergo, resistentésque interdum, nequid ultimæ rationis omitterent, ita sunt cæsi, ut ex prædicto numero non plus quàm quinque millia, ut æstimabatur, euaderent, densitate nemorum tecti. inter complures alios audaces & fortes Rege quoque Priario interfecto, exitialium concitore pugnarum. Hac læti successu fiducia Gratianus erectus, iámque ad partes tēdens Eoas, læuorsus flexo itinere latenter Rheno transito, spe incitatior bona, uniuersam (si id tentanti Fors affuisset) delere statuit malefidam & turbarum auidam gentem. Hócque urgentibus alijs super alios nuntijs cognito Lentienses ærumnis populi sui ad internitionem penè deleti, & repentino principis aduentu defixi, quid capesserent ambigentes, cum neque repugnandi neque agendi aliquid aut moliendi laxamentum possent inuenire uel breue, impetu celeri obsessos petiuerunt inuijs cautibus colles. abruptísque per ambitum rupibus insistentes, rebus caritatibúsque suis quas secum duxerant, omni uirium robore propugnabant. Qua difficultate perpensa, uelut murorum obicibus opponendi per legiones singulas quingenti milites leguntur armati, usu prudenter bellandi comperti. Qui ea re animorum aucta fiducia, quòd uersari inter antesignanos uisebatur acriter princeps, montes scandere nitebantur, tanquam uenaceas prædas si calcassent, editiora confestim sine certamine ullo rapturi. Exorsúmque

prælium uergente in meridiem die tenebræ quoque occupauere nocturnæ. Quippe magno utriusque partis pugnabatur exitio, cædebant, cadebántq; nostrorum non pauci: simul arma Imperatorij comitatus auro colorúmq; micátia claritudine, iaculatione ponderum densa confringebantur. Et in de diu reputante Gratiano cum optimatibus, pernitiosum apparebat & irritum, contra asperitates aggerum prominentium intempestiua contendere pertinacia. multis (ut in tali negotio) uariatis sententijs, ocioso militi circumuallari placuit Barbaros media fatigatos, qui à locorum iniquitate defenditur. Verum cum obstinatione simili reni tentes Germani peritique regionum petissent alios mõtes, his quos antè insiderant altiores, conuersus illuc cum exercitu Imperator, eadem qua antea fortitudine semitas ducentes ad ardua quæritabat. Quem Lentiensis intentum iugulis suis omni perseuerandi studio contemplantes, post deditionem, quam impetrauere supplici prece, oblata (ut præceptum est) iuuentute ualida nostris tyrocinijs permiscenda, ad genitales terras innoxij ire permissi sunt. Hanc uictoriam opportunam & fructuosam, quæ gentes hebetauit Occiduas, sempiterni numinis nutu Gratianus, incredibile dictu est, quantóq; cum uigore exerto, celeritate alior sum properans, expediuit. Præclaræ indolis adolescens, facundus & moderatus & bellicosus & clemens, ad æmulationem lectorum progrediens principum, dum etiã tum lanugo genis inserperet speciosa, ni uergens in ludibriosos actus natura, laxantibus proximis, semet ad uana studia Cæsaris Cõmodi conuertisset. licet hic incorruptes. Vt enim ille quia perimere iaculis plurimas feras spectante consueuerat populo, & centum leones in amphitheatrali circulo simul emissos telorum uario genere nullo gemmato iul-

nere contruncauit, ultra hominem exultauit: ita hic quoque intra septa, quæ appellant uiuaria, sagittarum pulsibus crebris dentatas conficiens bestias, incidentia multa parui ducebat & seria, eo tempore quo etiam si Imperium Marcus regeret Antoninus, ægre sine collegis similibus & magna sobrietate consiliorum lenire luctuosos Reipub. poterat casus. Dispositis igitur quæ pro temporum captu per Gallias res nationésque poscebant, & punito scutario proditore, qui festinare Primcipem ad Illyricum, Barbaris indicarat, Gratianus exinde digressus per castra quibus Felicis Arboris nomen est, per maureatum opitulanda, dum oppressæ parti porrectis itineribus ire tendebat. Iisdémq; diebus Frigerido multa atque utilia pro securitate communi solertissime cogitanti, muniréque properanti Succorum angustias, ne discursatores hostes & leues, tanquam exæstuares ut in torrentes per Septentrionales prouincias fusius uagarentur, successor Maurus nomine nuttitur Comes, uenalis ferociæ specie & ad cunctam obuiasset inertus. is est, quem præteritorum textu rettulimus, ambigenti super corona capiti imponenda Iuliano Cæsari, dum inter eius armigeros militaret, arrogantia custodiret, torquem obtulisse collo abstractam. remotúsque in ipsa uertigine pereuntium rerum dux cautus & diligens, cum etiam si dudum discessisset in otium, ad procinctum reduci, negotiorum magnitudine poscente deberet. His forte diebus Valens tandem excitus Antiochia, longitudine uiarum emensa uenit Constantinopolim. ubi moratus paucissimos dies, seditionéque popularium leui pulsatus, Sebastiano pauloante ab Italia, ut petierat misso, uigilantiæ notæ ductori, pedestris exercitus cura commissa, quem regebat antea Traianus, ipse ad

Melanthiada uillam cæsarianam profectus, militem stipendio fouebat & alimentis & blanda crebritate sermonum. Vnde cum itinere edicto per tesseram Nicæm uenisset, quæ statio ita cognominatur, relatione speculatorum didicit, refertos opima Barbaros præda à Rhodopeis tractibus prope Hadrianopolim reuertisse. Qui motu Imperatoris cum abundanti militæ cognito, popularibus iungere festinant, circa Beroiam & Nicopolim gentibus præsidijs fixis, atque ilico ut oblatæ occasionis maturitas postulabat, cum trecentenis militibus per singulos numeros lectis, Sebastianus properare dispositus est, conducens rebus publicis aliquid (ut promittebat) acturus. Qui itineribus celebratis conspectus prope Hadrianopolim, obseratis inde portis iuxta adire prohibebatur. ueritis defensoribus, ne captus ab hoste ueniret & suburbanus, atque contingeret aliquid in ciuitatis perniciem, quale per alium acciderat Comitem. Quo per fraudem Magnentiacis militibus capto, claustra patefacta sunt alpium Iuliarum. Agnitus tandem (licet serò) Sebastianus, & urbem introire permissus, cibo & quiete curatis pro copia quos ductabat, secuta luce impetu clandestino erupit. uesperáque intendente, Gotthorum uastatorius cuneus prope flumen Hebrum subito uisus, paulisper opertus aggeribus & fructetis obscura nocte suspensis passibus compositos aggressus est. Id quoque præstauit ut præter paucos quos mortæ uelocitas exemerat pedum, interirent reliqui omnes. prædámq; retraxit innumeram, quà nec ciuitas capit, nec planicies lata cãporũ. Qua causa percitus Fritigernus extimescẽs, ne dux ut sæpe audierat impetrabilis dispersos licenter suorũ globos, raptuíq; intentos cõsumeret, improuisos adoriẽs, reuocatis omnibus prope Cabylem oppidũ, cito discessit, ut agẽtes in regionibus pa-

tulis, nec media, nec occultis uexarentur insidijs. Dum hæc aguntur in Thracijs, Gratianus docto literis patruo, qua industria superauerit Alemannos, pedestri itinere præmissis impedimentis & sarcinis, ipse cum expeditiore militum manu permeato Danubio, delatus Bononiam, Sirmũ introijt. & quadriduum ibi moratus, per idem flumen ad Martis castra descendit, febribus interuallatis afflictus. in quo tractu Halanorũ impetu repentino tentatus amisit sequentiũ paucos. Iisdémque diebus exagitatus ratione gemina Valẽs, quòd Lentienses cõpererat superatos, quódque Sebastianus subinde scribẽs, facta dictis exaggerabat, è Melanthiade signà commouit, æquiperare facinore quodã egregio adolescentẽ properans filium fratris, cuius uirtutibus urebatur. ducébátq; multiplices copias nec contemnendas, nec segnes. quippe etiã ueteranos ijsdem iunxerat plurimos. Inter quos & honoratiores alij, & Traianus procinctus est, paulo antè magister Armorum. Et quoniam exploratione solicita cognitũ est, cogitare hostes fortibus præsidijs itinera claudere, per quæ commeatus necessarij portabantur, accursum est huic conatui competenter ad retinendas opportunitates angustiarum, quæ propè erant, peditibus sagittarijs & equitum turma citius missa, triduóque proximo cum Barbari gradu incederent leni, & metuentes eruptionem per deuia quindecim millibus passuũ à ciuitate discreti stationem peterent Nicen, incertum quo errore procursatoribus omnem illam multitudinis partem quam uiderant in numero decem millium esse firmantibus, Imperator procaci quodam calore perculsus ijsdem occurrere festinabat. Proinde agmine quadrato incedens prope suburbanum Hadrianopoleos uenit: ubi nullo sudibus fossáque firmato Gratianum impatienter operiens.

Richomerem Comitem domesticorum suscipit, ab eodem Imperatore prænussum cum literis, ipsum quoque uenturum mox indicantibus. Quarum textu oratus ut præstolaretur paulisper periculorum participem, néue abruptis discriminibus temere semet committeret solum, adhibitis in consilium potestatibus uarijs, quod facto opus esset, deliberabat. & cum Sebastiano autore, qui dã protinus eundum ad certamen urgerent, Victor nomine magister Equitum armatus, sed cunctator & cautus, eadem sentientibus multis, Imperij socium expectari censebat, ut incrementis exercitus Gallicani ascitis, opprimeretur leuius tumor barbaricus flammans. Vicit tamen funesta Principis destinatio, & adulabilis quorundam sententia regiorum. qui ne penè iam partæ victoriæ (ut opinabantur) consors fieret Gratianus, properari cursu celeri suadebant. Et dum necessaria parabantur ad decernendũ, Christiani ritus presbyter (ut ipsi appellant) missus à Fritigerno Legatus cum alijs humilibus uenit ad Principis castra. susceptúsque leniter, eius denique ductoris obtulit scripta, petentis propalam ut sibi suisque, quos extorres patrijs laribus rapidi ferarum gentium exercere discursus, habitanda Thracia sola cum pecore omni concederetur & frugibus. hoc impetrato, spondentis perpetuam pacem. Præter hæc idem Christianus, ut conscius arcanorum & fidus, secretas alias eiusdem Regis obtulit literas, qui astu & ludificandi uarietate nimium solers dicebat, Valentem, quasi mox amicus futurus & socius, aliter se popularium sæuitiam mollire non posse, uel ad cõditiones rei Romanæ pro futuras allicere, nisi subinde armatum ijsdem iuxta monstraret exercitum, & timore imperatorij nominis intentato, eos à pernicioso pugnandi reuocaret ardore. Et Legati-

ti quidem ambigui frustra habiti discesserunt. Exoriente uero aurora diei, quem quintum Iduum Augustarum numerus ostendit annalis, signa præpropere commouentur, impedimentis & sarcinis prope Hadrianopoleos muros cum legionum tutela congrua collocatis. Thesauri enim & principalis fortunæ insignia cætera, cum Præfecto & Consistorianis ambitu mœnium tenebantur. Decursis itaque uiarum spatijs confragosis, cum in medium torridus procederet dies, octauo tandem hostium carpenta cernuntur, ad speciem rotunditatis detornata digestáq;, exploratorum relatione affirmabantur. Atque, ut mos est, ululante barbara plebe ferum & triste, Romani duces aciem struxere, & antè posito dextero cornu equitum, primo peditatus pars maxima subsidebat. Cornu autem equitum lævum disiectis adhuc per itinera plurimis, summa difficultate conductum properabat passibus citis. Dúmque idem cornu, nullo etiamnum inturbante extenditur, horrendo fragore simulantibus armis, pulsúque nunaci scutorum territi Barbari, quoniã pars eorum cum Alatheo & Sáfrago procul agens, & accito, nondũ fœderatuos pacem misere Legatos. Eorum dum uilitatem despicit Imperator, ut firma fierent paciscenda, optimates poscens idoneos mitti, illi demdustria cunctabantur: ut inter fallaces inducias equites sui redirent, quos affore iam sperabant, & miles feruore calefactus æstuo, sicis saucibus commarceret, relucente amplitudine camporum incendijs, quos lignis, nutrimentísque aridis subditis ut hoc fieret, ijdem hostes urebant. Cui malo aliud quoque accedebat exitiale, quòd homines & iumenta cruciabat inedia grauis. Inter quæ Fritigernus callidus futuri cõiector Martémq; pertimescens ancipitẽ, uelut caducatorẽ unũ è ple-

be, suo misit arbitrio, impetens nobiles quosdam & electos ad se propediē obsides mitti, impauidus ipse mini * militare laturus & necessaria. Laudato probatóque formuda ti ducis proposito, tribunus Equitius, cui tūc erat cura Palatij credita, Valentis propinquus, assentiētibus cunctis ire pignoris loco mature disponitur. Quo renitētē, quia semel captus ab hostibus, lapsiūsque à Dibalto, uerebatur eorū irrationabiles motus, Richomeres se sponte obtulit propria ire: qui promiserat libēs, pulchrū hoc quoque facinus & uiro cōuenire existimās forti. iámque pergebat indicia dignitatis & nataliū daturus. Eo ad uallū hostile tendētē sagittarij & scutarij, quos Baturius Iberus quidā tunc regebat & Cassio, auidius impetu cæliti progressi, iámque aduersis connexi, ut immature proruperāt, ita inerti discessu primordia belli fœdarūt. Hócque impediméto conatus intempestiui & Richomeris alacritas fracta est nusquā ire permissi, & equitatus Gotthorū cum Alatheo reuersus & Safrago Alemannorū manu permixta, ut fulmen prope montes cælsos excussus, quoscúque accursu uelocis euenire cominus potuit, incitata cæde turbauit. Cúmq; arma ex latere omni concuterētur & tela, lituósque Bellona luctuosos inflaret, in clades Romanas solito immanius furens, cedentes nostri, multis inter clamantibus restiterunt. & prælii, flammarum ritu acres absterrebat militum animos, confixos quibusdam rotatis ictibus iaculorum & sagittarum. Deinde collisæ in modum rostratarum nauium acies, tridentésque se uicissim, undarum specie motibus sunt reciprocis agitatæ. Et quia sinistrum cornu adusque plaustra ipsa accessit, ultra (qui tulissent suppetias) processurum à reliquo equitatu desertum multitudine hostili urgente, sicut ruina aggeris magni, oppressum atque deiectum est, stete-

runt improtecti pedites, ita concaterunatis manipulis ut fixi nec mucronem exerere, aut manus reducere quisquam posset. Nec iam obiectu puluerís cælum patere potuit ad prospectum, clamoribus resultans horrificis. Qua causa tela undique mortem ubrantia destinata cadebāt & noxia, quòd nec prouideri poterant, nec caueri. Verum ubi effusi immensis agminibus Barbari iumenta *conterebāt & uiros, & neque ad receptum consertis ordinibus laxari usquam poterat locus, & euadendi copiam constipatio densior adimebat, nostri quoque ultimo cadendi contemptu occursantes receptis gladijs obtruncabāt, & mutuis securium ictibus galeæ perfringebantur atque loricæ. uideréque liebat, cælsum ferocia* Barbarum, *genis stridore cōstrictis, succiso poplite aut absassa ferro dextera, uel confosso latere, inter ipsa quoque mortis confinia minaciter circunferentem oculos truces. ruinaque confligentium mutua ad humum corporibus stratis, campi peremptis impleti sunt. & morientiū gemitus profundísque uulneribus transfixorum cum timore audiebātur ingenti. In hoc tanto tamque confusæ rei tumultu exhausti labore & periculis pedites, cū deinceps neque uires illis, neque mentes suppeterent ad consilium, diffractis hastarum plerísque collisione assidua, gladijs contenti districtis in consertas hostium turmas mergebantur, salutis immemores, circunspectantes ademptum esse omne euadendi suffugium. Et quia humus riuis operta sanguineis gressus labiles euertebat, conabantur modis omnibus uitam impendere non multam, adeo magno animorum robore oppositis incumbentibus, ut etiam telis quidam proprijs interirent.* Atra *denique cruoris facie omnia conturbante, & quocunque se inflexerant oculi acerui cæsorum aggestis, exanimata ca*

dauera sine parsimonia calcabantur. Sólque sublimior decurso Leone *ad domicilium cælestis* Virginis *transiens*, Romanos *magis attenuatos inedia sitique confectos, etiam armorum grauantibus sarcinis exuperabat. Ad ultimum incumbente* Barbarorum *põdere, acies inclinatæ nostrorum, quod solum postremis malis habuere subsidium, incondite (qua quisque poterat) uertuntur in pedes. Dúmq; omnes dispersi per ignotos tramites cædunt,* Imperator *diris pauoribus circunseptus, paulatímque insiliens funerum moles ad* Lancearios *confugit &* Mattiarios. *qui dũ multitudo tolerabatur hostilis, fixis corporibus stetérant inconcussi. Eóque uiso* Traianus *exclamat, spem omnem absumptam, ni desertus ab armigeris princeps saltem aduentitio tegeretur auxilio. Hócque audito* Victor *nomine* Comes, Batauos *in subsidijs locatos haud procul, ad* Imperatoris *præsidium raptim cogere properans, cum inuenire neminem posset, gradiens retro discessit. Parique modo* Richomeres *periculo semet exemit &* Saturninus. *Sequebantur itaque furore ex oculis luente* Barbari *nostros iam linquente uenarum calore torpentes. quorum aliqui percussoribus cadebant incertis, nonnulli ponderibus solis urgentium obruti, ictúque suorum aliqui trucidati. nec enim sæpe renitentibus cedebatur, aut parcebat cedentibus quisquam. Super his obstruebant itinera iacentes multi semineces cruciatus uulnerum in conferentes, cum quibus aggeres quoque equorum constrati cadaueribus campos implerunt. Diremit hæc nunquam pensabilia damna (quæ magno rebus stetere* Romanis) *nullo splendore lunari nox fulgens. Primáque caligine tenebrarum, inter gregarios* Imperator *ut opinari dabatur (neque enim se quisquam uidisse, uel præsto fuisse asseuerauit) sagitta pcrni*

ciose saucius ruit, spiritúque mox consumpto decessit, nec postea repertus est usquam. Hostium enim paucis, spolian di gratia mortuos per ea loca diuersatis, nullus fugatorum uel accolarum illuc adire est ausus. Simili clade Cæsarem accepimus Decium dimicantem cum Barbaris acriter, equi lapsu prostratum, quem feruentem retinere non ualuit, abiectúmque in paludem nec emergere potuisse, nec inueniri. Alij dicunt, Valentem animam non exhalasse confestim, sed cum candidatis & spadonibus paucis propè ad agrestem casam relatum, secunda cognitione fabre munitam, dum fouetur manibus imperitis circunsessum ab hostibus qui esset ignorantibus, dedecore captuitatis exemptum. Cum enim oppessulatas ianuas perrumpere conati, qui secuti sunt, aperte pensilis domus sagittis mæsserentur, ne per moras inexpedibiles populandi amitterent copiam, congestis stipulæ fascibus & lignorum flāmáque supposita, ædificium cum omnibus torruerunt. Vnde quidam de canditatis per fenestram lapsus, captúsque à Barbaris prodidit factum, & eos mœrore afflixit magna gloria defraudatos, quòd Romanæ rei Rectorem non cepere superstitem. Is ipse iuuenis occultè postea reuersus ad nostros, hæc ita accidisse narrauit. Pari clade, recuperatis Hispanijs, Scipionum alterū cremata turri, in quam confugerat, absumptum incendio hostili comperimus. Illud tamen certum est, nec Scipioni, nec Valenti sepulturam (qui supremitatis honor est) contigisse. In hac multiplici uirorum illustrium clade, Traiani mors eminuit & Sebastiani. cum quibus triginta quanque oppetiere tribuni Vacantes, & numerorū Rectores, & Valerianus atque Equitius. quorū alter stabulū, alter curabat palatium. Inter hos etiā Promotorum tribunus potentius ce

cidit in primæuo ætatis flore, bono cuique spectatis meritis Vrsicini patris magistri quondam Armorũ suisque cõmendabilis. Constátque uix tertiam euasisse exercitus partem, nec ulla annalibus, præter Cannensem pugnam, ita ad internitionem res legitur gesta. quanquam Romani aliquoties reflectente Fortuna fallacijs lusi bellorum iniquitati cesserunt ad tempus. & certamina multa fabulosæ naeniæ fleuere Græcorũ commendabiles, constátque * Perijt autem hoc exitu Valens quinquagesimo anno contiguus, cum per annos quatuor imperasset & decem paruo minus. Cuius bona, multis cognita, dicemus & uitia. Amicus fidelis & firmus. ultor acer ambitionum. seuerus militaris & ciuilis disciplinæ corrector. perui gil semper & anxius, ne propinquitatem eius prætendens, altius semet ferret. erga deferendas potestates uel adimendas nimũ tardus. prouinciarum æquissimus tutor. quarum singulas, ut domum propriam, custodiebat indemnes. tributorum onera studio quodam molliẽs singulari. nulla uectigalium admittens augmenta. in requirendis reliquorum debitis non molestus. furibus & in peculatu deprensis Iudicibus inimicus asper & uehemens. Nec sub alio principe in huiusmodi negotijs melius secum actum esse meminit Oriẽs. Super his omnibus liberali erat animi moderatione. Cuius rei licet abundent exempla, unum tamen sufficiet poni. Vt sunt in palatijs nonnulli alienarum rerum auidi, si quid caducum uel aliud petisset ex usu, cum magna iustorum distinctione contradictoris copia seruata, donabat ei quu petierat tres uel quatuor. alios absentes aliquoties imperatorum participes iungens, ut castigatius agerẽt inquieti lucra quibus inhiabant hoc minus commento cernentes. Super ædificijs autem, quæ per diuersas urbes

& oppida uel instauraui t, uel à primis instruxit auspicijs (ne sim longior) taceo, potioribus ipsis id apertius monstrare concedens. Hæc bonis omnibus æmulãda sunt, ut existimo. Nũc eius uitia percurramus. Magnarũ opum intẽperans appetitor, laborũ impatiens, duritidmque magis affectans immanem, in crudelitatem proclinior. subagrestis ingenij, nec bellicis, nèc liberalibus studijs eruditus. alienis gemitibus libẽter emolumenta fructúsque conquirẽs. túncque magis intolerabilis, cum incidentia crimina ad contẽptam uel læsam principis amplitudinem trahens, in sanguinem sæuiebat & dispendia locupletum. Illud quoque ferri non poterat, quod cum legibus lites omnes quæstiones committere uetẽres uellet, destinatis que uelut lectis iudicibus negotia spectanda mandabat, nihil agi contra libidinem suam patiebatur. iniuriosus aliâs & iracundus, & criminantibus sine differentia ueri uel falsi facillime patens. quæ uitiorum labes etiã in his priuatis quotidianísque rationibus impendio est formidanda. cessator & piger, nigri coloris pupula oculi unius obstructa, sed ita ut non eminus appareret. figura bene compacta membrorũ, staturæ nec procræ, nec humilis, incurius cruribus, extantéque mediocriter uentre. Hæc super Valente dixisse sufficiet, quæ uera esse, æqualis nobis memoria plene testatur. Illud autẽ præteriri non conuenit, quòd cum oraculo Tripodis, quem mouisse Patricium docuimus & Hilarium, tres uersus illos fatidicos comperisset, quorum ultimus est, ΕΝΓΑΙΔΙΟΙΣΙΜΙΜΑΝΤΟΣ ΑΙΑΛΙΛΑΙΟΜΕΝΟΙΟ Αρ, hoc (ut erat inconsumatus & rudis) inter initia contemnebat, processu uero luctuum maximorum, obiecta etiam timidus eiusdem sortis recordatione Asiæ nomen horrebat, ubi Erichthæo oppido sup-

positum montem Mimanta & Homerũ scripsisse & Tullum, doctis referentibus, audiebat. Denique post interitum eius disæssúmque hostilem, prope locum in quo cecidisse existimatus est, inuentus dicitur saxeus monumenti suggestus, cui lapis affixus incisis literis Græcis, sepultum ibi nobilem quendã Mimanta uetærem indicabat. Post exitialem pugnam, cum iam tenebris nox terras implesset, his qui superfuere, dextra pars, alij læua, uel quo metus traxerat, ferebatur quisque proximos quærẽs. cum præter se nihil singuli licere poterant, occipitijs proprijs ferrum arbitrantes hærere. Audiebantur tamen, licet longius, eiulatus miserabiles relictorum, singultúsque morientium, & uulneratorum cruciabiles fletus. Lucæ uero cœptante victores, ut bestiæ sanguinis irritamento atrocius efferatæ, spei inanis illecebris agitati Hadrianopolim agminibus petiuere dẽsatis, eam uel cum discriminibus excisuri postremis, doctiper proditores & transfugas, potestatum culmina maximarũ & fortunæ principalis insignia thesaurósque Valentis illic ut arduo in monumento conditos. Et ne interualla tis ardor intepescæret moras, hora diei quarta, ambitu cincto murorum infestissime cærtabatur. oppugnatoribus genuina ferocia ad præceps exitium festinãtibus, contráque defensorum ugore ualidis uiribus incitato. Et quia militum calonúmque numerus magnus ciuitatem cum iumentis introire prohibitis affixus parietibus mœnium ædibúsque continuis pro loci humilitate fortiter decernebat, superarátque rabies imminentium adusque horam diei nonam, subito pedites nostri trecenti ex his qui prope ipsas stetere loricas conferte in cuneum desciuerunt ad Barbaros. eósque illi auide raptos, confestim (incertum quo consilio) trucidarunt. Et ex eo deinceps obseruatum est, nemi-

nem huiusmodi aliquid uel in desperatione rerum ultima cogitasse. Feruente itaque tot malorum congerie, repēte cum fragore cælesti imbres nubibus atris effusi dispersere circunfrementium globos. reuersique ad uallum dimensum tereti figuræ plaustrorum immanes spiritus latius porrigentes, iubebant nostris per minacas literas & Legatū æta tem, fide retinendæ salutis accepta. Verum introire non ausso quo missus est, per Christianum quendam portatis scriptis & recitatis, utque dicebat contemplatis, parandis operibus diei, & nox omnis assumpta. Nam intrinsecus silicibus magnis obstrusæ sunt portæ, & mœnium intuta firmata, & ad emittenda undique tela uel saxa tormenta per locos aptata sunt habiles, aggestáque prope sufficiens aqua. Pridie enim diminuentium quidam siti adusque ipsa utæ discrimina uexati sunt. Cōtra Gothi reputantes difficiles Martis euentus, anxijque cum sterni & sauciari cernerent fortiores, & particulatim uires suas conuelli, astutum miere consiliū, quod ipsa indicantæ iustitia publicatum est. partis enim nostræ candidatos aliquos, qui die præterito ad eos defecerant. pellexere, ut simulata fuga uelut ad propria remeātes, intra muros suscipi se curarent, ingressíque latenter quandam mœnderēt partem: ut tanquam signo erecto occultius, dum circa exigendū mœndiū distringitur multitudo clausorum, cuitas perrūperetur impropugnata. Perrexere ut statutum est candidati, cúmque prope fossas uenissent, manus tendentes orantésque, ut Romanos semet admitti poscebant. & receptí (quia nulla erat suspicio quæ uetaret) interrogatiq; super consilijs hostū, uariarunt. unde factū est ut cruēta quæstione uexati cruciatibus perirēt abscisis, quid acturi uenerāt aperte cōfessi. Omni itaq; bellādi apparatu præstructo, aducētante uigilia tertia

Barbari abolito præteritorũ uulnerum metu, in urbis obseratos aditus multiplicatis ordinibus mundarunt, & obstinatione magnatium maiore. At cum armatis prouinciales & palatini ad obruendos eos excitatius exurgebant, & huiusmodi tela, in multitudine tãta uel temerè missa cadere sine noxa non poterant, animaduersum est à nostris ijsdem telis Barbaros uti, quibus petebantur. Ideóque mandatum est, ut neruis ferrum lignúmque connectentibus ante iactum incisis, emitterẽtur arcu sagittæ. quæ uelitantes, uires integras inseruabant, infixæ uero corporibus nihil uigoris perdebãt, aut ærte si cecidissent in uanum ilico frangebãtur. Dedit autem rebus ita flagrantibus graue momentum casus admodum inopinus. Scorpio, genus tormenti quem Onagrum sermo uulgaris appellat, è regione contra hostium aciem dẽsam locatus, lapidem contorsit ingentem, qui licet humo frustra illisus est, uisus tamen ita eos metu exanimauit, ut stupore spectaculi noui cedentes è medio, abire tentarent. sed buccinis, optimatum monitu occinentibus, instauratum est præliũ, & pari modo res Romana superior stetit, nullo ferme alio telo uel fundæ amento incussum excusso. Agmina enim præeuntium Ductorum, quos rapiendi Valentis malis lucubrationibus quæsti cupiditas incendebat, secuti cæteri præ se ferebant æquiperasse discrimina potiorũ. nanque semineces aliqui, aut magnis obtriti ponderibus, uel confixi iaculis pectora, uoluebãtur. nonnulli scalas uehendo, ascensúsque munieros ex latere omni parantes, sub oneribus ipsis obruebantur, contrusis per pronum saxis & columnarum fragmentis & cylindris. Nec quenquam furentium cruoris horrenda species ad seruum usque diẽ ab alacritate faciẽdi fortiter auertebat. Hoc incitante, quòd ẽtiam defensorum

plurimos cadere diuersis ictibus uidentes eminus, lætabãtur. Ita sine requie ulla uel modo, pro mœnibus & cõtra mœnia ingentibus animis pugnabatur. Et quia nullo ordine iã sedere procursus pugnabatur & globos, quod desperationis erat signum extremæ, flexo in uesperam die digressi omnes redire ad tentoria tristes, inconsideratæ dementiæ alter alterum arguentes, quòd non ut suaserat antea Fritigernus, obsidionales ærumnas ubique declinarunt. Conuersi post hæc per omne tempus noctis (ut æstiuæ, non longum) ad uulnerũ curas artésque medendi gentiles, reddita luce in uarias consiliorum uias deducebantur, quorsum tenderẽt ambigentes. multísque dictatis & controuersiis occupare statuunt Perinthum. exinde quæq; diuitiarum referta, docentibus omnia perfugis, etiam domorum nedum urbiũ interna nosentes. Hanc secuti sententiam, quam utilem existimarunt, itineribus lentis, miscentes cuncta populationibus & incendijs, nullo renitente pergebant. Obsessi uero apud Hadrianopolim, post eorũ abitum, perdito cum uacare hoste loca proxima compertæ fidei nuntiassent exploratores, egressi media nocte uitatis aggeribus publicis, per nemorosa & deuia trãs Philippopolim, exindéq; Serdicam aliam Macedoniæ urbem, cum intemeratis opibus quas habebant, omni studio properãdum excogitato, currebant uelut in regionibus illis reperiendo Valentæ. quem inter medios certaminum turbines oppetiisse, uel certe ad tuguriũ confugisse (ubi existimatus est ui periisse flammarũ) penitus ignorabãt. At Gothi Hunnis Halanísque permixti nimium belliosis & fortibus, rerúmque asperarum difficultatibus induratis, quos miris præmiorum illecebris sibi sociarat solertia Fritigerni, fixis iuxta Perinthum castris, ipsam quidem urbem (cladiũ me-

mores pristinarum) nec adire, nec tentare sunt ausi. agros uero fertiles, latè distentos & longe, ad extremum uastaue re penuria, cultoribus cæsis aut captis. Vnde Constantinopolim, copiarũ cumulis inhiantes amplissimis, formas quadratorum agminum insidiarum metu seruãtes, ire ocyus festinabant, multa in exitium urbis inclytæ molituri. Quos inferẽtes sese immodicè, obiicésque portarum penè pulsantes, hoc casu cælestè repulit numen. Sarracenorum cuneus (super quorum origine moribúsque, diuersis in locis retulimus plura) ad sortem magis expeditionalium rerum, quàm ad concursatorias habilis pugnas, recens illuc accersitus, congressurus Barbarorum globo repente conspecto à ciuitate fidenter erupit, diúque extento certamine pertinaci, æquis partes discessere momentis. Sed Orientalis turma nouo neque antè uiso superauit euẽtu. Ex ea enim Crinitus quidam, nudus omnia præter pubẽ, subrauicum & lugubre strepens, educto pugione agmini se medio Gothorũ inseruit. & interfecti hostis iugulo labra admouit, effusúmque cruorem exuxit. Quo monstruoso miraculo Barbari territi, postea non ferocientes more cum agendum appeterent aliquid, sed ambiguis gressibus incedebant. Processu dein audaciæ fracto, cum murorum ambitum, insularum spatijs immensis oblongum, & inaccessus pulchritudines urbis, & incolentiũ plebem considerarent immensam, iuxtáque fretum, quod Põtum disterminat & AEgæũ, disiectis bellorũ officinis quas parabant, post accepta maiora funera quã illata exinde digressi sunt effusorie per Arctoas prouincias, quas peragrauere liẽter, adusq; radices Alpiũ Iuliarũ, quas Venetas appellabat antiquitas. His diebus efficacia Iulij magistri militiæ trãs Taurũ enituit salutaris & uelox. Cõperta enim Fatorũ sorte per Thracias,

Gotthos anteà susceptos, dispersósque per uarias ciuitates & castra, datis tectioribus literis ad eorũ Rectores Romanos omnes, quod his temporibus raro contingit, uniuersos tanquã uexillo erecto, uno eodẽ die mandauit occidi, expectatione promissi stipẽdij securos ad suburbana productos. Quo consilio prudẽti sine strepitu uel mora cõpleto, Orientales prouinciæ discrimnibus ereptæ sunt magnis. Hæc ut miles quondam & Græcus, à principatu Cæsaris Neruæ exorsus, adusque Valẽtis interitum, pro uirium explicatui mensura. opus ueritatem professum nunquam (ut arbitror) sciens silentio ausus corrumpere uel mendacio. Scribant reliqua potiores ætate, doctrinis florentes. Quos id (si libuerit) aggressuros, procudere linguas ad maiores moneo stilos.

EXCVDEBAT ROB. STEPHANVS TYPOGRAPHVS REGIVS PARISIIS, ANN. M. D XLIIII. XVI. CALIVN.